Ottimo Esemplare — perfetto —

(stocco) $300

Verrius Flaccius Fastorum anui fogl. gr. Romae 1779 fig. con il Rame d'Augusto di Car. maratta del. 1 60

Verri Flacci Fastorum cura et studio P. Fr. Foggini. fol. Romae 1779. »

[illegible]

AVGVSTVS
Ex jaſpide Chalcedonia bicolori
Apud Em. Card. Gaſp. de Carpinea.
Nunc in Museo Vaticano

Carol. Maratta del. *P. V. Auden Aert Sculp.*

FASTORVM ANNI ROMANI A VERRIO FLACCO ORDINATORVM RELIQVIAE

EX

MARMOREARVM TABVLARVM FRAGMENTIS

PRAENESTE NVPER EFFOSSIS

COLLECTAE ET ILLVSTRATAE

ACCEDVNT

VERRII FLACCI

OPERVM FRAGMENTA OMNIA QVAE EXSTANT

AC FASTI ROMANI

SINGVLORVM MENSIVM

EX HACTENVS REPERTIS

CALENDARIIS MARMOREIS

INTER SE CONLATIS EXPRESSI

CVRA ET STVDIO P.F.F.

ROMAE ANNO SAL. MDCCLXXIX

Io. Caſsini Som.co In.

MARIAE THERESIAE
AUGUSTAE

PETRUS FRANCISCUS FOGGINIUS.

VERRIUS FLACCUS, quem in tradendis disciplinis prae ceteris aequalibus suis Romae inclarescentem Imp. Caesar Augustus, larga in annum adsignata mercede, apud se in Palatium

transſire voluit, ut Caeſares eius nepotes, magnae ſpei adoleſcentes, litteris erudiret, prodit nunc quaſi redivivus, & iterum frui Auguſto praeſidio expoſcens ad TE advolat, AUGUSTORUM PROLES, AUGUSTI HEU NIMIS CITO AD SUPEROS VOCATI! UXOR, AUGUSTI FELIX MATER, REGIAE, AUGUSTAEQUE DOMUS AUSTRIACAE ORNAMENTUM, ET CULMEN. Apparet ille profecto male mulctatus temporis iniuria; ſed ipſas etiam reliquias veterum laudatorum Scriptorum in publicam lucem prodire maximi intereſt, praecipue vero ſi quid antea ignoratum ſive ad hiſtoriam, ſive ad mores pertinens complectantur, aureamque ſeu Graeci, ſeu Latini ſermonis aetatem ſapiant; quae quidem ſingulae dotes nuper reperta ſacrorum Faſtorum Populi Romani a Verrio Flacco ordinatorum fragmenta commendant. Itaque SACRAE MAIESTATI TUAE eum confidenter ſiſtere, qualiſcumque eſt, haud vereor; etenim de illo aeſtimare ipſa potes, quae a pueritia interioribus, reconditiſque litteris imbuta litteras ſemper amaſti, earumque cultores honoribus affeciſti: & quae, delectis ad exſequenda magnae mentis Tuae conſilia ſapientiſſimis viris, curaſti feliciter apud tot populos imperio Tuo late ſubiectos, qua legibus, qua auſpiciis, & ubique ope Tua praeſente, ut Academiis inſtitutis reſtitutiſve, Bibliothecis multiplicatis

& auctis,

& auctis, Museis naturalium, antiquarumque rerum apte instructis, Machinarum, instrumentorumque cuiusque generis copia apparata, Doctoribus laudatissimis undelibet arcessitis, Praemiis virtuti & honori propositis, omnium disciplinarum, & ingenuarum artium studia increbrescerent in dies, & ad fastigium proveherentur. Hanc unam, REGINA AUGUSTA, de Tuis laudibus, etsi omnes in TE virtutes, quibus imperantes esse decet instructos, mirifice eminent, libens merito nunc admiror, ac praedico, quod ea potissimum indigeat Verrius meus, quem ad Tuum Regium, Augustumque Thronum provolutus humillime

NOMINI, MAIESTATIQUE TUAE

DEDICO, DICO, CONSECROQUE.

PRAE-

PRAEFATIO.

I. NObilissimum Grammaticum VERRIUM FLACCUM, quem Augustus, data ei nepotes suos Caesares docendi cura, in Palatium cum tota schola transire iussit, statuam habuisse Praeneste in foro contra hemicyclum, in quo Fastos a se ordinatos, & marmore perite incisos publicarat, Svetonius in eius vita memoriae mandavit. At vero audaces tentare omnia, & invertere critici homines, verborum Svetonii lectione contra Mss. Codd. fidem immutata, manifestum gravissimi historici testimonium ita solicitare, atque adeo labefactare studuerunt, ut vel dubium illud facerent, vel adigerent ut id innueret, quod Svetonium dicere maluissent, ut viderentur ipsi plus sapere, quam ceteri omnes. Cum enim Romae inter rudera veteris Fori repertae essent marmoreae illae tabulae Fastos civiles P. R. continentes, quae nunc bono publico adservantur affixae in Palatio IIIVir. quos Conservatores Urbis vocant, in Capitolio, puduit plures illius temporis eruditos viros fateri, ignorare se operis auctorem: & audacter Verrium Flaccum supponentes, Svetonii testimonium ad praeconceptam opinionem suam stabiliendam, multifariam, ac plane mirifice perverterunt. Verum, ut quisque intelligat saepe saepius in corrigendis veterum auctorum libris, interpretandisque antiquis monumentis, satius esse fateri se plura nescire, quam de omnibus temere, aut plus aequo acute diiudicare; en ipse Praeneste detectus mox est hemicyclus, cuius Svetonius meminit: & circa illum pars quaedam effossa est marmorearum tabularum, in quibus perite incisi leguntur Fasti a VERRIO FLACCO ordinati. Earum quaedam frusta, quae primum casu quodam prodierunt in lucem, nullius fere pretii habita sunt, ex quo fortassis aliqua perierunt; sed cum aliqua deinde in potestatem venerint Illmi Praesulis Leonardi Cecconii Montis Alti olim Episcopi, nobilissimi civis Praenestini, & ob editam Praenestis historiam meritissimi; factum est apud illum litterarum in eis expressarum exemplum, quod cum mihi visendum obtulisset Cl. V. Petrus Antonius Petrinius Praenestinus, magni no-

Operis occasio, & caussa.

minis

minis in Romana Curia Advocatus, statim, eo inspecto, sensi Nundinales, ut vulgo appellant, litteras exhibere: statimque exsultans animo in spem veni, quod tandem aliquando repertus esset locus, ubi Fasti a VERRIO FLACCO olim editi delitescebant. Quae spes multo magis mihi visa est certissima, ubi intellexi reperta esse ea marmorum frusta secus reliquias cuiusdam circularis aedificii; hoc enim esse hemicyclum a Svetonio designatum quis non crederet? Itaque edoctus pertinere locum ad Seminarium Clericorum Dioecesis Praenestinae, illico adgredior Eminentissimum Episcopum Iohannem Franciscum Stuppanium, quem mei amantissimum semper habui; & , quo sum animi impetu a natura comparatus, conceptam spem eidem communico, conceptae spei rationes expono, rei pretium commendo, operis facilitatem exaggero, & , si placet, sumtus etiam offero, ut non ex levitate animi, neque ex fervido, & impotenti eruditionis genio, sed quod mihi persuasissimum erat consulto me loqui sentiret. Quid multis? Continuo cordatus Princeps mente percepit oblatam sibi esse raram, & amplam occasionem benemerendi de litteraria Republica universa; continuoque iussit, ut tellure reconditus thesaurus, nullo argenti pondere, & auri contra aestimandus, diligenter exquireretur. Atque utinam eius animi magnitudinem gravis, ac diuturnus, quo ex improviso correptus est, corporis morbus non imminuisset! Hinc enim contra votum contigit, ut nonnisi aliquam sperati thesauri partem constituant quae, operi manu admota, effossae sunt marmoreae Fastorum VERRII tabulae. Praeterea hae ita sunt intercisae, corrosae, & in parvula frusta tum a vetustate, tum a ruina misere diffractae, ut adfuerint Eminentissimo Principi, qui ei proponerent, ut in muro inferioris atrii aedium suarum, brevi certe perituras, conlocaret. Exhorrui haec audiens: & praetexens caussam, quod certior ordinare earum fragmenta, & exscribere vellem, curavi solicitus, ut ad me mitterentur: paratisque quatuor ligneis capsis eius altitudinis, ac latitudinis, cuius veteres fuisse marmoreas tabulas ex ipsis superstitibus fragmentis collegeram, minutiora quaeque frusta in eis disposui, ferreisque ungulis firmavi; ac demum, infixis primum in subiecto ligno pluribus clavulis capitatis, lacunas gypso tomentoque implevi, & plasticam circum diffracta marmora ita composui, ac complanavi, ut fracturarum vestigia apparerent, & tamen hae novae tabulae illarum veterum tabularum marmorearum speciem referrent. Re confecta Eminentissimum Principem rogo, ut ad me veniat. Venit, vidit, & iussit in nobilissima aedium suarum parte conlocari. Praeterea cum etiam animo sapienter reputaverit, quod in loco facilis aditus conlocari eas oporteret, elegans ad primas aedium suarum scalas cubiculum eis adsignavit, cui est aditus contra nobilioris aulae portam: & quoniam illius cubiculi fornicem variis picturis iam decoraverat, novo picturarum ordine parietes exornari mandavit, quae nimirum iisdem praecipue tabulis dedicatae omnes dignoscerentur. Ad haec magno contra eas suspenso lapide, memoriam temporis, ac loci, quo hae reliquiae Fastorum VERRII FLACCI repertae fuerunt, inscriptam voluit; & inscriptio haec est, in qua tamen hemicyclus quasi pars Fori Praenestini minus exacte enunciatur, cum solum constet, quod in conspectu eius positus fuerit.

HEMI-

HEMICYCLVM
FORI PRAENESTINI
A VERRIO FLACCO
DVODECIM MARMOREIS TABVLIS
KALENDARES FASTOS P. R
DESIGNANTIBVS
OLIM EXORNATVM
CASV NVPER DETECTVM
IO. FRANC. EPISCOPVS PRAENESTINVS
S. R. E. CARDINALIS STVPPANIVS
E RVDERIBVS EFFODI
CONQVISITORVM MARMORVM REPERTA FRAGMENTA
INTERCISA LICET ET MANCA
COLLIGI ET VNIRI
ET IN QVATVOR TABVLAS DISPOSITA
IN SVIS HISCE AEDIBVS
APTE CONLOCARI ET AD PERPETVITATEM SERVARI
NE TAM REMOTAE ANTIQVITATIS MONVMENTVM
ERVDITORVM STVDIO VMQVAM DELITESCERET
CVRAVIT
ANNO SALVTIS MDCCLXXIV

Fecit haec omnia Cardinalis Stuppanius gravi morbo laborans ; morti vero proximus amice me compellavit, ne occultum, & ſine commentario eſſe relinquerem tam ſingulare veteris Romae monumentum, quod, me impellente, exquiri, effodi, ac ſervari ſumptuoſe curaverat, ut illud ne dum domeſticis, ſed exteris quoque hominibus innoteſceret. Quid facerem ?

Viri excellentis mente clemente edita
Submiſſa placide blandiloquens oratio

facile me vicit. Promiſi. Ecce libelli huius mei occaſio, & cauſſa.

Cuius generis ſint Faſti a Verrio ordinati.

II. Iamvero, ut ad rem propius accedam, animadvertendum eſſe primum exiſtimo, quod Faſti a VERRIO FLACCO ordinati, publicatique Praeneſte, complectebantur, non ſecus ac libri Faſtorum ab Ovidio ſcripti,

Tempora cum cauſſis Latium digeſta per annum:

nec non . . . . *Sacra annalibus eruta priſcis,*
Et quo ſit merito quaeque notata dies.

Praeterea interſita in illis etiam erant Auguſtae domus tum feſta domeſtica, tum praemia *feſtos*, ut idem Poëta loquitur, *ſignantia faſtos*, quae Iulio Caeſari, Auguſto, & Tiberio Patrum cura, & Quiritium favor detulerant. Sunt igitur Faſti Verriani ex eorum genere, qui vel Sacri, vel Calendares dici poſſunt, utpote Sacra, & Ferias ſtatas ſignantes, quae a Calendis ad Calendas ſingulis anni menſibus celebrabantur. Feſtus ita illos deſcribit: *Faſtorum libri appellantur, in quibus totius anni ſit deſcriptio: Faſtis enim dies Faſti inſunt*; quae ultima verba ita Dacerius recte reſtituit, cum antea mendoſe ita legerentur: *Faſti enim dies feſti ſunt*. Porro neminem praeterire poſſe puto, quod ab anno IV. regni Numae ad annum U. C. DL. penes ſolos Pontifices Romae fuit omnis tum ſacri, tum humani iuris ſcientia; ſed hoc anno, teſte Livio, C. Flavius Cn. F. Appii Caeci Pont. Max. Scriba, dierum diſcrimina ex occultis Pontificiis tabulis memoria excepit, ac publicavit. *Eodem anno* [nempe P. Sulpicio Averrione, & P. Sempronio Sopho Coſs.] *C. Flavius Cn. F. Scriba, patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum callidus vir, & facundus, Aedilis curulis fuit. Civile ius repoſitum in penetralibus Pontificum evulgavit, Faſtoſque circa Forum in albo propoſuit, ut quando lege agi poſſet ſciretur*. Ita Livius (*a*). Quod ſi tunc primitus in eo albo Sacra ſolummodo, & Feriae breviter indicabantur; poſtea tamen Pontificii iuris periti de eorumdem Sacrorum, ac Feriarum ratione plura addiderunt; ac demum adiecta ſunt etiam nomina, & facta hominum, tum ambitione Principum, tum aſſentatorum perverſitate. Egit hoc primum M. Antonius, quod illi obiicit Cicero (*b*). In Faſtis ad Lupercalia adſcribi ille iuſſit: *C. Caeſari Dictatori perpetuo M. Antonium Conſulem, populi iuſſu, regnum detuliſſe*. Res cordatioribus viris diſplicuit, ſed in exemplum tranſiit. Cicero, quod ab Antonio factum redarguerat, ipſe fecit; nec veritus eſt ſibi plaudere quod feciſſet. *Ego*, ſcribit in epiſtolis (*c*), *D. Bruto liberato, cum laetiſſimus ille civitati dies illuxiſſet, idemque, caſu, Bruti natalis eſſet, decrevi, ut in Faſtis ad eum diem Bruti nomen adſcriberetur*. Haec autem licentia in immenſum deinceps crevit, poſtquam nimirum Rempublicam Romanam Imperatores occuparunt; ex quo illud Taciti (*d*): *Quo die Senatum ingreſſus eſt Domitianus*,

(*a*) Hiſt. lib. IV. (*b*) Philipp. II. 22. (*c*) Epiſt. ad Brutum lib. ſing. ep. 15. (*d*) Hiſt. lib. IV. c. 40.

tianus, de absentia patris, fratrisque, ac iuventa sua pauca, & modica disseruit &c. Tum forte ducti, per quos redderentur bello rapta, quique aera legum vetustate delapsa noscerent, figerentque, & qui FASTOS ADVLATIONE TEMPORVM FOEDATOS EXONERARENT. Rem ex libris Fastorum Ovidii, aliorumque marmoreorum Calendariorum veterum fragmentis iam compertam, modo nunc praecipue testantur fragmenta Fastorum, quos VERRIUS ordinavit. In his VERRIUS non modo Feriarum, Sacrorumque dies indicit, eorumdemque Sacrorum aut caussam, aut rationem docet, sed praeterea passim notat tum dies, tum annos gestarum rerum a Iulio Caesare, Augusto, & Tiberio, honorumque, quos iisdem Principibus Senatus Populusque Romanus decrevit. Et quoniam in his paucis, quae nunc in lucem prodeunt, eorum fragmentis plura deprehenduntur notata, quae prius ignorabantur; quis tam ferreus ut teneat se, quominus non vehementer doleat, hos Fastos repertos esse adeo diffractos, intercisos, & mancos? Eo magis si obversetur animo gravissima VERRII auctoritas, qui Grammatici nomen obtinuit, non quia scholastico pulvere sordesceret syllabarum tantummodo minutias aucupans, sed quia inter illustres aetatis suae viros, doctos, atque omnis eruditionis genere excellentes in ea Grammaticorum schola floreret, quae *gloriosa mater facundiae* dicta est a Cassiodoro (*a*). Etenim, si de sacrorum ratione loquentem VERRIUM audis, fuit VERRIUS, Macrobio iudice, sive adeo Varrone apud Macrobium (*b*), *iuris Pontificii peritissimus*; si Latini sermonis puritatem, & vim desideras, scripsit aureo Augusti aevo, & de *significatione verborum* plures libros edidit; ac demum si historiam spectes, quae suo tempore evenerunt testatur, in urbe degens, quinetiam in ipsa Caesarum domo.

De loco, ubi fragmenta Fastorum Verrii Flacci reperta fuerint.

III. Ad haec animadvertas volo, quod VERRIUS hoc Calendarium ordinavit, ut in conspectu tum Fori nobilissimae Romanorum Coloniae, tum ipsius Caesarei Palatii, ubi Augustus, & Tiberius rusticari solebant, conlocaretur. Huius Palatii ingentes ruinae distant a montis Praenestini radicibus p. m. mille passuum, & a laeva in conspectu habent aeque distantem a montis radicibus locum illum, ubi hemicycli vestigia, & Calendarii fragmenta effossa sunt; media vero interiacet quaedam vallicula, ad quam utrimque a summo aequalis declivitas deducit. Illis Caesarei Palatii ruderibus nomen nunc praebet parva aedes Deiparae Virgini dicata, vulgo dicta *Santa Maria della Villa*: hunc vero locum vulgo nominant *le Quadrella*, fortassis quia rustici in ea regione terram ad culturam exercentes marmorea, & lateritia fragmenta frequenter effodere consueverint. Nunc temporis late circum nullum eminet cuiuslibet veteris aedificii vestigium; ideoque nemo ex multis Praenestinarum antiquitatum enarratoribus suspicatus fuerat, quod veteris Praenestis aedificia in eum usque agrum se extenderent. Hoc manifestatum modo est primum, detecto hemicyclo, effossisque marmoreis circa

(*a*) Cassiodor. Epist. lib. IX. ep. 21.

(*b*) Varro anno octuagesimo & octavo aetatis suae adhuc libros scribebat, teste Plinio *lib.* XXIX. *cap.* 4., & obiisse creditur A. U. C. DCCXXVII. Itaque fas est dicere, quod ipse Varro hoc elogio VERRIUM nostrum honestaverit, quem in notis ad eius vitam a Svetonio scriptam coniecimus iam inclarescentem A. U. C. DCCX. Hinc autem prudentior factus, quam inferius *pag.* 88. in notis ad VERRII fragmenta, ubi Macrobii locus integer describitur, dubitanter proposui, tentatam emendationem retracto.

circa illum noſtris tabulis; quia certos nos facit Svetonii auctoritas fuiſſe Praeneſte in conſpectu eius fori hemicyclum, in quo faſtos a ſe ordinatos VERRIUS vulgaverat. Qua de re, ne rurſus ab hominum memoria id excidat, eiuſdem hemicycli reliquiae ut in aprico remanerent, & ſecus illas ut columna marmorea erigeretur cum hoc titulo, curavi:

HEIC VESTIGIA HEMICYCLI
PRAENESTE AD FORVM POSITI
IN QVO VERRIVS FLACCVS
FASTOS A SE ORDINATOS
ET MARMORE PERITE INCISOS VVLGARAT
EX FRAGMENTIS EORVMDEM FASTORVM
CIRCVMREPERTIS DETECTA SVNT
AN. SAL. MDCCLXXIII
NE REI MEMORIA PEREAT
LOCVS HOC TITVLO SIGNATUS ESTO

Quum autem Caeſarum Villa poſticum proſpiciat hemicycli latus, hic vero in extrema ſummitate oppoſitae a leva declivitatis ſit poſitus, facile intelligitur, quod fori area, quae certo patebat monti propius ſupra locum, quo viae Praeneſtina ac Labicana iunguntur, valde in longum extendebatur, nempe, ut creditur, a vinea, quae ad S. Luciae aedem adiacet, verſus aediculam, cui nomen *la Madonna delle Grazie*; & eam aream fuiſſe porticibus, aliiſque aedificiis circumdatam, & exornatam tum plures veteres inſcriptiones memorant (*a*), tum etiam oſtentant fragmenta zophororum, coronarum, columnarumque marmorearum late circum effoſſa. Praeterea illuſtrium, ac benemerentium virorum ſtatuas in foro ponere conſueviſſe Magiſtratus Praeneſtinos, tum Livius (*b*) teſtatur, tum plures pariter comprobant ex baſibus ibidem repertis deſcripti tituli apud harum rerum collectores; quas inter adnumeranda eſt praecipue VERRII ſtatua contra hemicyclum poſita; quaſi nimirum VERRIUS ſculptos ibi faſtos a ſe ordinatos contemplari videretur.

Et

(*a*) Adi Vulpium *Veteris Latii* tom. IX. lib. 16. cap. 6. & 8., Cecconium *Storia di Paleſtrina* lib. I. cap. 4. 5., & 7. (*b*) Lib. XXIII. 19.

Et interim haec ſcibenti mihi nuncius adeſt modo etiam plures alias ibi effoſſas eſſe ſtatuas, & titulos; quorum duos, quoniam, ut exſtant cum compendiariis notis, & minus perite inciſi, de criptos accepi, & ſcitu ac commentario plane digros puto, heic appono. Primus enim non ſolum quod diſſerebam luculenter confirmat, ſed etiam nos docet, Praeneſte an. Ch. CCCLXXXVI. Chriſtianam religionem dominari nondum coepiſſe; & quod IV. Non. Mart. nondum Romae innoteſcebant Conſulum eiuſdem anni nomina. Hic annus etiam in Inſcriptione Interamnenſi apud Muratorium a nominibus Conſulum anni ſuperioris deſignatus invenitur, ſed ſine menſis nota: quod non praeterit inciſa ad dexterum latus huius Praeneſtinae baſis inſcriptio.

IVLIANI...

POSTVMIO IVLIANO C M V [a] OB MERITVM AMOREM ET RELIGI
ONEM QVAM ERGA CIBES VNIVERSVS HABERE SATIS DIG
NATVS EST QVIQVAE TESTAMENTO SVO MEMOR
HONORIFICENTIAE N [b] .... E MEMORIAE [c] RETI
NES TESTAMENTOQVE .....SA [d] CVI VOCABVLVM
EST FVLGERITAM TER.. [e] ... NESTINO NOBIS VNI
VERSIS CIBIBVS QVOS MAGNA ADFECTIONE DI
LIGEBAT RELIQVIT CVIQVE OB EADEM CONTEMPLA
TIONE DIGNISSIMO PATRONO CVIVS OMNES [f] REQVI
MVS DEFENSIONEM ET VINDICIVM STATVAM PROMP
TO ANIMO ERIGENDAM CENSVIMVS ADQ. OB [g] NIMIO
AMORE CIVICO SECVNDVM N ANNO VEL AMPLIVS VNIVERSI
CIVVES PRAE AEPVLVM CELEBRATVRI EXPL. [h] TESM. PARTIS
POS. IVLIANVS V. C. SANVS SALBVS SANA QVOQVE MENTE IN
TEGROQVE CONSILIO MEMOR CONDICIONIS OMANE TESTAMENTVM
FECI. INTER CETERA CIVIBVS PRAE. [i] OMNIBVS DARI BOLO EX
MASSA PRAE. KASAM CVI VOCABVLVM EST FVLGERITA
REGIONI [k] CAMP. TERR. PRAE. ITA VT AD MEMORIAM
MEAM PER SINGVLOS ANNOS SINE DVBIO COLANT
SPIRTVM MEVM ITA TAM. [l] VT CONLOCENT STATVA [m] NOMINE
MEI INFORO ET HOC IPSVM EXPL. [n] TESTAM. ASCRIBANT IBI ET NON
HAET [o] POTEST. DEXTRAENDI VT SI QVADO ALLIENARI BOLVERINT

FISCVS POSSIDEAT

a F. *clarae memoriae viro.*

b F. *noſtrae.*

c Hic aqua mihi haeret cum marmor ipſum non inſpexerim.

d *Kaſã.*

e *Territorio Praeneſtino.*

f F. *requirimus.*

g F. *obitum.*

h *Exemplum teſtamenti partis.*

i *Praeneſtinis.*

k F. *regionis campeſtris* h. e. *in planitie poſitae.*

l *Tamen.*

m *Statuã.*

n *Exemplum teſtamenti.*

o *Habeant.*

In latere baſis dextero.

DEFVNTVS XVI. KAL. DEC
D. N. ARCADIO AVG. ET BAVTONI
VC. CONSS
DD. DIE IV. NONAS
MAR. COSS. SS

Alter

Alter titulus, unde Anicio Auchenio Basso, qui cum Fl. Philippo Consulatum gessit An. Ch. CDVIII., Anicii praenomen obvenerit, indicare videtur, & hic est:

BASSI
ANICIO AVCHENIO
BASSO VC. PROCONS
CAMP. PROVISORI EIVS
DEM PROVINCIAE RES
TITVTORI GENERIS
ANICIORVM OB MERITA
EIVS INLVSTRIA
ORDO POPVLVSQVE CIVITA
TIS PRAENESTINAE PON. CENS

Nec mirere quod Praeneste adeo longe a montis sui radicibus per suppositam planitiem urbana, ac suburbana aedificia olim protulerit, uti locus comprobat, quo hemicycli vestigia reperta sunt. Coepisse hoc puto a Syllae temporibus, qui veteranorum suorum coloniam Praenesten deduxit. Sylla enim amplissimis sacris aedificiis clivum montis late replevisse dicitur, specie tenus, quasi suam erga Fortunae Praenestinae numen religionem ostentaret, revera tamen, si bene coniicio, ut novos colonos, incolasque primigenios, nec non factiosos quoque cives Romanos, munitione loci frui libere posse impediret. Praeterea eam coloniam in planitie consedere maluisse crediderim, ut commodius adsignatis sibi agris frueretur; quod par est credere placuisse etiam magis coloniae deinceps deductae, seu mavis dicere, novis colonis Syllanae coloniae adscriptis ab Augusto. Demum nonne Praeneste *aestivas* suas *delicias* habebant Romani (*a*)? Nonne ipsis etiam Caesaribus placuit Praeneste rusticari? Augustus, teste Svetonio (*b*), *ex secessibus praecipue frequentavit maritima, insulasque Campaniae, aut proxima Urbi oppida Lanuvium, PRAENESTE, Tibur*. Et de Tiberio tradit Gellius (*c*), in suburbano Praeneste ex capitali morbo convaluisse. Igitur facile est intelligere, quod Praenestina suburbia ampliare oportuerit: & cur vicinia Villis repleri contigerit, aliisque cuiuscumque generis aedificiis tum ad usum, tum ad splendorem, & spectaculum, & voluptatem. Cicero (*d*), ante Augusti imperium, quos Praeneste viderat agi ludos mirifice extollit; & Tacitus (*e*) narrat, Nerone imperante tam copiosum ibi exstitisse gladiatorum Gymnasium, ut Roma, tentatae ab eis eruptionis accepto nuncio, trepidaverit, ne novus Spartacus insurgeret.

IV. Hacte-

(*a*) Vid. Ciceron. Philip. II. 40.
(*b*) In Aug. cap. 72.
(*c*) Noctium Attic. lib. XVI. cap. 13.
(*d*) Ad Atticum lib. XII. ep. 2.
(*e*) Annal. lib. XV. 46.

Quonam tempore Verrius Flaccus Fastos a se ordinatos vulgaverit.

IV. Hactenus quae pertinent ad rationem Fastorum VERRII FLACCI, & ad locum, ubi Praeneste eorum fragmenta reperta sunt, exposuimus; modo vero inquiramus oportet, quo tempore a VERRIO ordinati, vulgatique illi fuisse videantur: & ad quod tempus in hemicyclo ad forum Praenestinum spectabiles manserint. Ovidius *lib.VI. Fastorum* Iunonem inducit iactantem, a suo nomine appellatum esse mensem Iunium, & hunc ei honorem praestare non solum Romam, sed etiam Ariciam, Laurentum, Lanuvium, Tibur, & Praeneste. Sic autem habet (*a*):

Nec tamen hunc nobis tantummodo praestat honorem
Roma: suburbani dant mihi munus idem.
Inspice quos habeat nemoralis Aricia fastos,
Et populus Laurens, Lanuviumque meum.
Est illic mensis Iunonius: inspice Tibur,
Et Praenestinae moenia sacra Deae,
Iunonale leges tempus &c.

Esto igitur, hos versus alludere ad Fastos VERRII Praeneste vulgatos, uti plane pluribus doctis viris placuit; diiudicata res est: VERRIUS Fastos suos sub imperio Augusti vulgavit. Nec scrupulum iniiciant eorum fragmenta, quia fastos exhibent penitus Romanos, quasi vis orationis, quam Iuno habet, hinc evanescere videatur; facile est enim reponere, satis esse potuisse Poëtae ad conciliandam carminibus suis eruditionem, & copiam, quod illi, etsi toti Romani, in hemicyclo Praenestino publice expositi legerentur, & in mense Iunio *Iunonale tempus* indicerent.

Quinetiam meditabar, utrum ob hanc ipsam caussam, quia hi Fasti toti sunt Romani, comprobarentur Augusto imperante Praeneste vulgati. Cum enim Municipes, qui legibus suis, & iure suo utebantur, peculiares sibi ferias, & sacra, & ludos agere consuescerent, videbantur mihi vulgati priusquam Praeneste ex Colonia in Municipii statum redigeretur; quae immutatio, Augusto iam vita functo, facta est indulgentia Tiberii, ut constat ex oratione, quam Imperator Hadrianus de Italicensibus, unde ortus fuerat, ad Senatum habuit, in qua, teste Gellio (*b*), *mirari se ostendit quod & ipsi Italicenses, & quaedam item alia Municipia antiqua, in quibus Uticenses nominat, cum suis moribus, legibusque uti possent, in ius Coloniarum mutare gestiverint; Praenestinos autem refert maximo opere a Tiberio Imperatore petiisse, orasseque, ut ex Colonia in Municipii statum redigerentur; idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuisse, quod in eorum finibus, sub ipso oppido, ex capitali morbo revaluisset.* Ita, inquam, meditabar, sed in irritum cessit labor, ubi, sciens VERRIUM etiam sub Tiberio vixisse, nullam reperire potui probabilem rationem, ex qua eliceretur, Tiberium ius Municipii Praenestinis indulsisse statimac imperium iniit: atque adeo, serius profecto indulsisse suadent ipsa Hadriani verba testantis, id a Tiberio Praenestinos *maximo opere petiisse, orasseque*. Praeterea indulsit sane Imperii sui anno IV, si bene sentio, ad monumentum ob eam indulgentiam Tiberio Praeneste dedicatum

(*a*) Ovid. Fast. VI. v. 57.

(*b*) Lib. XVI. cap. 13.

dicatum pertinere, quod olim ad caput veteris fori, in vinea ſcilicet, quae in conſpectu aedis S. Luciae adiacet, repertum eſt marmor, in quo litteris unius palmi & trium unciarum inciſum legebatur:

. . . . I. F. DIVI. IVLII. N. AVGVST . .

& infra litteris unciarum ſeptem:

. . . . . . IG. III. IMP. VIII. TRIB. POTEST. XVII . .

quas ſupplere ita oportet:

TI. CAESARI. AVGVSTI. FILIO. DIVI. IVLII. N*EPOTI*. AVGVSTO *CONSVLI. DES*IG*NATO*. III. IMP. VIII. TRIB*VNITIAE*. POTEST*ATIS*. XVIII

Publico aliquo monumento Praeneſtinos natura glorioſos (*a*) adeo inſignem Tiberii erga eos indulgentiam memoriae commendaſſe, quis dubitet? Hoc poſito, convenientia loci, ubi marmor effoſſum fuit, & ſcripturae eius nobilitas, notatuſque in eo Tiberii Conſulatus III. coniecturam meam mirifice comprobant; numeratis enim Tiberiani Imperii annis a die XIV. Cal. Septembres, quo Auguſtus deceſſit, Tiberius an. IV. Imperii ſui ex eo die dictus fuit uſque ad Calendas Ianuarias Conſul deſignatus III. agebatque annum Tribunitiae Poteſtatis a Cal. Ian. XVIII., & a V. Cal. Iulias XVIIII. (*b*). Haec obiter.

Atqui, ut ad propoſitum redeam, addam modo probabiliſſimam plane rationem ſtabiliendi, quod Auguſto imperante Faſtos ſuos VERRIUS publicaverit. Eam opportune mihi praeſtant quaedam alia marmorum fragmenta inſcripta nominibus Magiſtratuum Coloniae Praeneſtinae, quae effoſſa ſunt una ſimul cum fragmentis Faſtorum, & quae una ſimul cum Faſtis in hemicyclo affixa fuiſſe videntur. Unum horum, quod paullo inferius integrum referam, Germanicum & Druſum Caeſares nominat, & Germanicum Druſo praeponit, unde intelligitur ſcalptum illud fuiſſe Auguſto imperante, quia imperante Tiberio mos obtinuit, ut Druſus Tiberii ex Agrippina natura filius Germanico filio eius adoptivo, & ex fratre Druſo maiore nepoti praeponeretur, quod nummi oſtentant a Morellio, & Spanhemio editi. Praeterea in eodem fragmento legitur: CN. PONTIVS RVSTICVS FLAMEN AVGVSTI, & videtur haud deſignari Flamen inauguratus Auguſto iam vita functo, & inter Deos relato; tunc enim *Divi* titulus non deeſſet, prout in aliis non deeſt recentioribus Praeneſtinis inſcriptionibus, quarum plures titulum memorant *Flaminis Divi Auguſti*; quia hoc praenomine ἀποθεωθέντες Imperatores donabantur. Neque vero me praeterit reſpuiſſe Auguſtum Romae divinos honores (*c*), dum viveret. Verum Romae reſpuit, non tamen in Coloniis. Quod in his Flamines ſibi dedicatos vivus habuerit, certiores nos faciunt Cenotaphia Piſana: & Tacitus (*d*), ubi varia de Auguſti vita prudentum iudicia expo-

(*a*) Plautus apud Nonium in voce *Opino*: *Praeneſtinum opino eſſe, ita erat glorioſus*.

(*b*) Conſule Diagramma annorum, quibus Auguſtus, ceterique poſt eum Imperatores uſque ad Alexandrum, Tribuniciam Poteſtatem ſuſceperunt, ac renovarunt, a Ioh. Vignolio digeſtum Diſs. II. *de primo anno Severi Alexandri Auguſti*, recuſa Tom. I. Operum S. Hippolyti Ep. & M. curante Ioh. Alberto Fabricio editorum, pag. 193.

(*c*) Svetonius in Aug. cap. 52.

(*d*) Annal. lib. I. 10.

exponit, hoc inter cetera, de quibus Augustus arguebatur, recenset: *Nihil Deorum honoribus relictum, cum se templis, & effigie Numinum per Flamines, & Sacerdotes coli vellet.*

At enim in nostris tabulis die X. Martii haec exstat nota: FERIAE EX S. C. Q. . . . . . TI. CAESAR PONTIFEX MAX. FAC EST DRVSO ET NORBANO: Et haec alia die XXIII. Aprilis: SIG. DIVO AVGVSTO PATRI AD THEATRVM MARCELLI IVLIA AVGVSTA ET TI. AVGVSTVS DEDICARVNT. Hae duae notae nonne luculenter ostendunt hos Fastos Tiberio iam imperante fuisse vulgatos? & profecto, si alteram diligentius expendas, post nonum eius imperii annum, ut colligitur ex Tacito (*a*), qui ea recensens, quae gesta sunt C. Sulpicio, & D. Haterio Coss. annum imperii Tiberii octavum, & nonum signantibus, eam dedicationem memorat, nec multo ante factam asserere videtur. Verum contra est, quod utraque nota si ipsum inspicias marmor, postquam tabulae scalptae iam fuerant, & parieti hemicycli infixae, addita dignoscitur; ex quo opposita difficultas omnino eripitur. Earum prima de Pontificatu Maximo Tiberii non modo minutioribus descripta est litteris, sed etiam adeo leviter scalptis, ut ferreo potius stilo exarata, quam scalpro incisa videatur; altera vero Vinaliorum descriptioni subterinducta, ita totum, quod vacuum ibi erat, spatium replet, ut, ne cum subiecta posterioris diei nota videretur coniuncta, inter utramque ad latus appictum fuerit incisi cuiusdam signum, quo distinguerentur. Itaque haud destruunt illae notae, quod coniectando adserebam, sed plane adstruunt, atque confirmant; etsi non abnuo, quod ipse VERRIUS curaverit, ut adiicerentur; cum *decesserit*, Svetonio teste, *aetatis exactae sub Tiberio*.

V. Quod autem pertinet ad tempus quousque VERRII Fasti in foro Praenestino spectabiles manserunt, equidem constare crediderim, quod adhuc manerent scribente Macrobio Saturnaliorum libros, quia eorum non semel meminit. Scribebat Macrobius imperante Theodosio Magno; & quia tunc etiam temporis Praeneste in deliciis fuisse nobilissimis Romanorum epistolae Symmachi Consulis testantur, publica pariter eius aedificia mansisse non dubito. Quinetiam, etsi Imp. Theodosii Magni pietate Christiana religio latius dominari coepit, Praeneste tamen multo serius dominari eam coepisse manifesto comprobat, quem superius recitavi, mox repertus in veteri Praenestino foro titulus cuidam Postumio Iuliano, universis civibus Praenestinis ita censentibus, dedicatus, in quo ad *colendum eius spiritum* annuae epulae indicuntur Epicureorum in morem, quem ea testamenti ipsius Epicuri particula, quam refert Tullius (*b*), mirifice illustrat. In ea Epicurus sanciebat, *ut Amynomachus, & Timocrates heredes sui, de Hermachi sententia dent, quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis, mense Gamelione: itemque omnibus mensibus, vicesimo die lunae, dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sunt, ut & sui, & Metrodori MEMORIA COLATVR.*

Ad quod tempus Fasti Verrii Flacci manserint Praeneste spectabiles.

Qua de re labente quarto Ecclesiae saeculo Fastorum VERRII tabulae, [horrendum, si quod aliud, visu, ethnicae superstitionis, atque licentiae monu-

(*a*) *Annal.* lib. III. §. 64. (*b*) *De Finibus* lib. II. cap. 31.

monumentum] diffractae fuiſſe videntur : & diruto ipſo , in quo haerebant affixae , hemicyclo , ſub ruina ſepultae . Foſſores , qui huius ruinae rudera excavarunt , praeter quaedam parvi pretii numiſmata , Auguſti, Othonis, Veſpaſiani , ac Domitiani ; quinarios etiam quoſdam poſterioris aetatis uſque ad Eccleſiae ſaeculum octavum invenerunt. Nec indictum praeteribo , quod cum primum circa hemicycli veſtigia terram effodere coeperint, repertum ibi eſt columellae fragmentum cum ſigno Crucis; neſcio an ibidem a Chriſtianis poſitum ad expiationem loci , ubi tabulae illae ſacrilegorum feſtorum rationem ad ſuperſtitionis incrementum explicantes tamdiu homines deceperant ; an vero quia ſequioribus ſaeculis , cum iterum gens tota, ut ſe a barbarorum incurſionibus liberaret, in montem ſe recepit, rurale aliquod ſacellum ſuperexſtructum fuerit.

An umquam alias effoſſum fuerit e Praeneſtinis ruderibus fragmentum aliquod eorumdem Faſtorum.

VI. Quod ſi quaeras , an poſt hemicycli , in quo affixae fuerant Praeneſte marmoreae Faſtorum VERRII tabulae, ruinam , prodierit umquam alias ante haec noſtra tempora ex iis ruderibus aliquod earumdem fragmentum , ſcias volo, prodiiſſe ſane plus iam ducentis annis : & nequeo mirari ſatis quomodo illius aetatis eruditi viri adeo indiligenter in illud adverterint. Praeneſte enim repertum eſſe ſcientes , non modo locum ipſum , quo effoſſum fuerat, inveſtigare neglexerunt , ſed ne illo quidem uſi ſunt ad ſtabiliendam veram textus Svetonii lectionem. Hoc fragmentum utrum alicubi etiamnunc ſuperſit, incompertum habeo ; ſed quae legebantur in eo inſcripta verba Fulvius Urſinus (*a*) in familia Iulia reipub. Litterariae communicavit, ex quo deinde Gruterus , & plures alii Romanarum antiquitatum periti in ſuis libris deſcripſerunt ; quia celebris ex eis dirimitur controverſia de anno , quo Caeſar Auguſtus a S. P. Q. R. *Pater Patriae* appellatus eſt. En illa :

NON. N. CONCORDIAE
IN ARCE FERIAE EX
S. C. QVOD EO DIE
IMPERATOR CAESAR
AVGVSTVS PONTIFEX
MAXIMVS TRIB. POTEST
XXI. COS. XIII. A SENATV
POPVLOQVE ROMANO PATER
PATRIAE APPELLATVS

Hae Nonae cuius menſis eſſent iam ex Ovidio innotuerat, qui Februarii *canens alterno pectine Nonas*, ita Caeſarem Auguſtum alloquitur (*b*):

Sancte Pater Patriae , tibi Plebs , tibi Curia nomen
Hoc dedit ; hoc dedimus nos tibi nomen Eques.
Res tamen ante dedit : ſero quoque vera tuliſti
Nomina : iampridem tu Pater Orbis eras.

Verum ex eo marmoreo Faſtorum VERRII fragmento praeterea innotuit, quo anno hoc factum ſit. Itaque Nonis Februariis A. U. C. DCCLII., quo a Cal. Ian. Conſulatum XIII., & Poteſtatem Tribuniciam ex a. d. Cal. Iulias ſuperioris anni

(*a*) Libro *de Familiis Romanorum* edito Romae an. 1577. (*b*) Faſt. lib.II. v.127.

anni gerebat XXI., Imp. Caesar Augustus, iam pluries oblatam, & tunc ei (*a*) *in Curia Senatus, neque decreto, neque acclamatione, sed per Messalam, id mandantibus cunctis*, ita eum consalutantem delatam appellationem *Patris Patriae* quasi victus precibus recepit, seu, ut verbo Ovidii utar, *tulit*, & de illa gratias egit Senatui, ex cuius Consulto hinc postea factum est, ut eo die quotannis essent Feriae Concordiae in Capitolio, quoniam res gesta fuerat consentiente Senatu cum populo. Cl. Norisius (*b*) hoc multo antea Praeneste repertum Calendarii fragmentum ita interpretatus est omnium primus, & quae Norisii interpretationi opponi posse videbantur, deinceps exposuit, ac diluit luculenter Iacobus Perizonius (*c*). Si quis autem dubius haereat, quia Ovidius (*d*) huius rei meminit in Fastis suis, quos confecit antequam exsul abiret anno DCCLII., respondeo, ex hoc solummodo deduci posse, eum exsulasse labente eo anno, non ineunte. Rupertus (*e*) litteram N, quae in hoc fragmento exstat post litteras NON. explicabat *Novembribus*, Norisius *Novalia*. Nugatur ille; nec dignam se coniecturam alter promovet. Certo indicat *Nefastus*. Quia vero *Patris Patriae* appellatio honoris appellatio erat, non potestatis, ut notat Dio (*f*), *sero* eam Augustus tulit, quod etiam ad exemplum transiit. Docet Appianus (*g*) in more positum fuisse, ut ea appellatio Imperatoribus sero decerneretur, veluti in publicum testimonium maximarum rerum ab eis gestarum. Qua de re ab Orosio (*h*) Hadrianus scite dicitur *continuo* Pater Patriae *in Senatu ultra morem maiorum appellatus*; & Spartianus (*i*) de eodem Hadriano refert, quod *Patris Patriae nomen sibi delatum statim & iterum postea distulit, quod hoc nomen Augustus sero meruisset*.

VII. Iamvero ne quid silentio praeterire videar, unde aestimari possit Fastorum VERRII pretium, alia etiam duo declaranda, & expendenda esse arbitror; nempe & quam sumptuose marmore incisi essent, & quam perite. Ad primum pertinet, quod cuiuslibet mensis dies in peculiari marmorea tabula descripti erant, singularumque tabularum longitudo per quatuordecim fere palmos extendebatur, latitudo vero ad palmos duos cum dimidio p. m.; in latitudine enim aliquantulum variant tabulae Martii, & Aprilis a tabulis Ianuarii, & Decembris, quae inter se aequales, illis vero aliquanto latiores sunt. Praeterea plana est harum superficies, illarum paullulum concava, & quidem Martii paullo amplius, quam Aprilis. Tres a tergo laevigatae sunt, tabula Martii rudis; nec eadem est in singulis tabulis marmoris crassities, ad minimum tamen est duarum unciarum. Huiusmodi varietates ex eo originem habent, quod hae tabulae elaboratae fuerint, ut in concavo hemicycli spatio aptarentur, cuius circuitus est palmorum p. m. 56., & os patet palmos p. m. 28.; easdem vero duodecim tabulas muro hemicycli ita affixas fuisse, ut inter se iungerentur, ex eo constat, quod in tabulis mensis Aprilis, & Decembris retro nundinales litteras appareant incisae plures litterae, quae ad notas pertinent proximorum superiorum mensium Martii, & Novembris. Et quoniam circum

Quam sumptuose inscripti essent in marmore Fasti Verrii Flacci.

 hemi-

(*a*) Svet. in Aug. cap. 18.
(*b*) *Cenotaph. Pis.* Differt. II. cap. 8.
(*c*) *In Animadversionibus historicis* cap. 7.
(*d*) Vid. *Histoire de l'Academie Royale &c.* Tom. XXIII. p. 166.
(*e*) Epist. 22. ad Reinesium.
(*f*) Lib. LIII. §. 18.
(*g*) *De bel. Civ.* lib. II. pag. 432.
(*h*) Lib. VII. cap. 13.
(*i*) Cap. 6.

hemicycli reliquias plurium columnarum reperta ſunt fragmenta, nec non etiam quarumdam marmorearum tabularum fruſta, in quibus plurium Magiſtratuum ipſius Coloniae, & forte etiam alicuius collegii nomina ſcripta leguntur, fuiſſe hemicylum variis aliis ornatibus decoratum ambigi nequit; & forte eae tabulae, vel ſupra tabulas Faſtorum, vel ad earumdem latera fuere diſpoſitae. Similiter Calendarium Antiatinum ſuperiori in parte inſcripta habet nomina ſervorum domus Auguſtae, qui ſub Conſulibus ibidem notatis ludos curaverant; & inferius ſex menſium Faſtos. Ex his tabulis, quae inventa eſt minus manca, & interciſa, illa eſt, cuius ſupra meminimus, & quae hanc nominum, ac Magiſtratuum exhibet ſeriem:

. . . RMANICVS CAESAR DRVSVS CAESAR QVINQ
. . . COMINVS BASSVS QVINQVENNALI
ORDINE EX S. C. PRAEF
M. PETRONIVS RVFVS
CDINOIVS CN. EGNATIVS AED
C. LVCIVS RVFVS C. THORENAS Q
CN. PONTIVS RVSTICVS FLAMEN
CAESARIS AVGVSTI

& rurſus in alio fragmento nomen legitur PETRONII RVFI cum titulo IIVIR. Itaque hinc certi ſumus fuiſſe olim Praeneſte Quinquennales, Praefectos, IIviros, Aediles, Quaeſtores, Flamines Auguſti. Duumviri etiam in his Faſtis bis memorantur.

Neque inſolens reputes, duos Caeſares, Germanicum, & Druſum, fuiſſe Quinquennales in colonia Praeneſtina. Sic quoque Nero, & Druſus Caeſares, Germanici filii, Quinquennales fuerunt in colonia Carthaginis novae, teſte nummo ibidem cuſo apud Vaillantium. Praeterea alium eiuſdem coloniae nummum citat Havercampus (*a*), in quo exſtat Tiberii caput ab altera parte, & caput C. Caligulae ab altera cum litteris: *Caius Caeſar Tiberii Neronis Quinquennalis coloniae victricis Iuliae novae Karthaginis*. Quin etiam ipſum Imp. Hadrianum fuiſſe Quinquennalem in patria ſua, & item Adriae, tradit Spartianus. Appoſite tamen animadvertit Vaillantius, quod Imperatores, & Caeſares creabantur in coloniis tum Quinquennales, tum IIviri, & Decuriones, non quia eos gererent Magiſtratus, ſed honoris cauſſa; habebant enim alios ad munus gerendum ſuffectos, qui in antiquis lapidibus appellantur Praefecti Decurionatus, ſeu Quinquennalitatis Caeſaris. Morellius in Familia Vipſania nummum cuiuſdam Romanae coloniae edidit, ubi M. Vipſanius Agrippa Quinquennalis dicitur, & praeterea duo nominantur Praefecti Quinquennalitatis eius, *Hiberus* nempe, & *Benignus*, ſi recte alterum hoc nomen aerugine partim abſumptum ſupplet Havercampus (*b*) ex alio nummo ſimili apud eumdem Morellium, in quo eſt Auguſti Imp. caput nudum cum litteris IMP. CAESAR BEN. PRAE., & in altera parte Tropaeum, & litterae HIBERO PRAEF. Ex hoc tamen noſtro marmore Praeneſtino quid amplius intelligas

(*a*) In Commentario ad *Theſaurum Morellianum Numiſmatum Familiarum Rom.* pag. 237.

(*b*) Ibidem pag. 452.

telligas velim, quod Vaillantium, & Havercampum latuit, ſeu quod illi ſaltem animadvertere neglexerunt: huiuſmodi nempe Praefectos creari ſolitos ex S. C., & praeterea non ſolum in Coloniis tranſalpinis creandi eos morem obtinuiſſe, ſed etiam in Italicis; ex quo quidem altero corruit Havercampi coniectura, qui duos, quorum meminimus, nummos in Hiſpania eſſe cuſos, & Auguſti de Cantabris, Aſturibuſque victoriam exprimere ſenſit ob eam cauſſam, quia Praefecti titulus in Hiſpanicis nummis unice invenitur.

Quam perite inciſi ſint in marmore Faſti Verrii Flacci, tum ob elegantiam ſcalpturae, tum ob rectam ſcripturae rationem.

VIII. Quod vero ad ſcalpturam noſtrarum tabularum ſpectat, ex ea mirifice probari ſentio, quod Svetonius ſcripſerit fuiſſe VERRII Faſtos *marmore perite inciſos*, ut aliqui habent Mſs. Codd., non vero *marmoreo parieti*, ut in editis. Litterae nundinales, & quae variam dierum oeconomiam diſtinguunt, maximae ſunt, ſcalptaeque omnes ſimiliter elegantiſſime. Elegantes ſunt etiam minores litterae, quibus ſacra, eorumque cauſſa, & ratio, reſque hiſtoricae notantur, ſed diverſimode efformatae ob maiorem, minoremve, ſeu notarum brevitatem, ſeu loci amplitudinem, & fortaſſe etiam ob diverſitatem ſcalptorum. Nullae tamen ſunt implexae, & quae Romanarum litterarum non ſervent formam. Solummodo plures non ſunt quadratae, & multae ſunt minutae, tenues, vacillantes. Utriuſque generis litterarum ſpecimen aere inciſum ob oculos habes in tabula huic Praefationi ſubiecta.

Scripturae rationem in tabulis marmoreis Faſtorum Verrii ſervatam magnae eſſe auctoritatis.

IX. Praeterea, Svetonium dixiſſe VERRII Faſtos *perite inciſos* non modo ob ſcalpturae elegantiam, ſed multo etiam magis ob emendatam ſcribendi rationem, arbitror. Diſputant critici an ſaxa ex libris ſcriptis, an vero ſatius ſit manu exaratos Codices ex lapidum inſcriptionibus emendare. Qui lapidarios fuiſſe homines imperitos contendunt, pro Mſs. Codd. ſtant, alii vero pro lapidibus. Sed huic diſputationi locus datur, ubi Codices cum lapidibus ſepulcralibus conferuntur, qui privatorum ſtudio ſaepe ſaepius ab imperitis artificibus incidebantur, non autem ſi conferas cum inſcriptionibus publicis, iuſſu Principum, aut Magiſtratuum inciſis. Manifeſtum vetuſtioris orthographiae teſtimonium Quintilianus (*a*) appellare non dubitat ſcripturam Columnae Roſtratae, quae in foro poſita eſt a C. Duellio. Itaque, mea ſententia, parem fidem, auctoritatemque ſibi iure vindicant noſtrae tabulae, utpote quae ſcalptae cura, & ſtudio laudatiſſimi Grammatici, qui bene omnes noverat emendate loquendi, ſcribendique partes, ut in conſpectu fori nobiliſſimae Romanorum Coloniae publice exponerentur. Qua de re orthographia, id eſt formula, ratioque ſcribendi a Grammaticis inſtituta, & aurea latini ſermonis aetate ſervata, tuto ex eis ediſci poteſt, ac debet, non ſecus ac ediſcitur a quocumque alio antiquo, & publico, ſeu marmoreo, ſeu aereo monumento. Nec indecorum putes ſi quid in meis notis ad hoc pertinens animadvertam. *Non obſtant hae diſciplinae per illas euntibus, ſed circa illas haerentibus* (*b*).

Editoris conſilium in notis ſuis ad fragmenta Faſtorum Verrii Flacci.

X. Verum non modo quae ad Grammaticam pertinent, ſed etiam gravioris momenti res, quae pertinent tum ad Mythologiam, tum ad hiſtoriam Romanam, ita mihi pertractandas eſſe cenſui, ut potius nimis ſobrius viderer, quam plus aequo verboſus. Scribebam non docendi ſtudio, vel oſtentandi voto, ſed promiſſi reus factus, quod has Faſtorum VERRII reliquias, nunc primum ex Praeneſtinis ruderibus erutas, orbi litterario communica-

(*a*) *Inſt. Or.* lib. 1. cap. 7. (*b*) Idem ibid.

municarem non ſine aliquo apparatu, ex quo facilius earum pretium innoteſceret. Itaque in primis curavi, quae nova mihi eſſe viſa ſunt, adnotare, & quae deficiunt, ſupplere. Cetera vero ita expoſui, ut nemo mihi iure poſſit vetus adagium obiicere: *Noctuas Athenas* mittis.

Quae ſint in hoc volumine fragmentis Faſtorum Verrii praemiſſa, & quae appendicis loco ſubiecta.

XI. Demum, ut hic meus, qualiſcumque ſit, liber ad bonarum litterarum incrementum utilior fiat, & litteratorum hominum commodo quammaxime inſerviat, praemiſi fragmentis Faſtorum VERRII FLACCI vitam a Svetonio deſcriptam, quam pluribus etiam meis animadverſionibus illuſtrare ſategi: deinde vero ſubieci omnes ex deperditis VERRII libris excerptas ſententias, quas veteres Scriptores allegant; ita ut in uno volumine habeas VERRII FLACCI opera omnia, quae exſtant. Demum ad calcem libri, appendicis loco, eadem Faſtorum a VERRIO ordinatorum fragmenta cum fragmentis aliorum Faſtorum, qui ſimiliter in marmore ſcripti tum Romae, tum aliis in locis reperti ſunt, diſtinctim conlata adiiciam; ex quo complexu, & conlatione exoritur integrum, perfectumque Calendarium Romanum, quod in uſu fuit ab initio annorum, qui Iuliani appellantur, uſque ad Claudii Imperium. Cenſebam neque melius, neque expeditius reſarciri poſſe damnum, quod tempus edax, hominumque negligentia huiuſmodi intulit priſcae Romanorum ſuperſtitionis monumentis.

VERRII

SPECIMEN LITTERARUM
CALENDARII MARMOREI
PRAENESTINI

A VIIII VINF IO
M
DEI
CONSECRATUM

B VIII C RENTUR AB·RUTULIS QUIA MEZENTIUS·REX ETRI UM
PACISCEBATUR· SI SUBSIDIO VINISSIT·OMNIUM·ANNORUM
VINI·FRUCTUM· SIG·DIVO·AUGUSTO·PATRI·AD·THEATRUM·MARC
IULIA·AUGUSTA·ET·TI·AUGUSTUS·DEDICARUNT
TI·CAESAR·TOGAM·VIRILEM·SUMPSIT·IMP·CAESARE VII·M·AGRIPP
III COS

VERRII FLACCI VITA

AUCTORE

CAIO SVETONIO TRANQUILLO (*).

VERRIUS FLACCUS (*a*), libertinus (*b*), docendi genere maxime inclaruit. Namque ad exercitanda (*c*) diſcentium ingenia aequales (*d*) inter ſe committere (*e*) ſolebat, propoſita non ſolum materia, quam ſcriberent (*f*), ſed & praemio, quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus, pulcer, aut rarior (*g*). Quare ab Auguſto quoque nepotibus eius (*h*) praeceptor electus tranſiit in Palatium cum tota ſchola (*i*), verum ut ne quem amplius (*k*) poſthac diſcipulum reciperet; docuitque in atrio Catilinae (*l*) domus, quae pars Palatii tunc erat: & ſeſtertia centena (*m*) in

(*) In libro *de illuſtribus Grammaticis* c.17.

(*a*) In Chronico S. Hieronymi an. ab Orbe condito 2024., & Chr. 9. mentio fit VERRII FLACCI, & praenomen *Marci* ei imponitur. *Arthemidorus Tarſenſis Stoicus Philoſophus, & M. Verrius Flaccus Grammaticus inſignes habentur*. Quid de hoc praenomine ſentiendum ſit dicam inferius.

(*b*) Cod. Vat. 4498. *Libertus*. Cuius autem ex Gente Verria noſter Verrius Flaccus libertus fuerit, ignoratur. Cuiuſdam Verrii, praeſtantis ſane viri, mentio eſt in duabus epiſtolis Ciceronis ad Paetum (*lib. 9. epiſt.* 20., *&* 26.); & ex epiſtola Lentuli ad Ciceronem (*lib.* 12. *ep.* 14.) conſtat, fuiſſe eum tum ipſi Lentulo cariſſimum, tum Panſae tunc Conſulis deſignati amicum; quinetiam Cicero (*in lib. de nat. DD.*) Paeti quoque, & Attici familiarem, & in philoſophicis diſciplinis ſectatorem Epicuri eumdem fuiſſe teſtatur. Anne fortaſſis hic ille fuit Verrius, qui Verrium Flaccum ob ingenii praeſtantiam ex ſervitute in libertatem vindicavit? Atque adeo, anne hic ipſe eſt noſter Verrius iam libertinus factus, & tunc primaevo in flore iuventae, qui ob eruditionis ſuae meritum Ciceronis, Attici, aliorumque ſummorum virorum familiaritate frueretur? Enimvero cum deceſſerit, Svetonio teſte, *exactae aetatis ſub Tiberio*, qui Auguſto ſucceſſit A. U. C. 766. ſi aetas ei detur annorum pl. m. octoginta iam erat fervidus iuventa Hirtio, & Panſa Coſs. A. U. C. 710. Porro obiter adnotabo conſtare ex Inſcriptionibus antiquis, quae in Etruriae urbibus exſtant, a Gorio editis *tom.* 3. *pag.* 161. *&c.* inclaruiſſe in colonia Feſulana gentis Verriae ſtirpem: nec deeſſe nummum, ubi gens Verria memoratur, cuſum a Caeſarauguſtanis gratulantibus Caeſari Auguſto Conſulatum XII., in quo viſitur eiuſdem Auguſti caput laureatum cum inſcriptione: AVGVSTVS DIVI *Filius* *Cos.* XI. DES*ignatus* XII. TR. P. XIX., & in averſa parte colonus agens boves cum litteris: CAESAR*ea* AVGVSTA C. ALLIARIO T. VERRIO IIVR*is*.

(*c*) Cod. Vat. 4498. *ad exercitandum*.

(*d*) Hoc eſt, *eiuſdem aetatis*.

(*e*) Alludit Svetonius ad gladiatorum *commiſſiones*.

(*f*) Cod. Vat. 4498. *non ſolum qua materia ſcriberent*.

(*g*) Cod. Vat. 4498. *ac rarior*.

(*h*) Caio ſcilicet, & Lucio, & fortaſſis etiam Poſtumo Agrippae, etſi *rudem bonarum artium* eum dicit Tacitus *Ann.* I. 3. 6. Eos Iulia Auguſti filia ex M. Agrippa genuerat.

(*i*) Ut nimirum Auguſti nepotes Caius, & Lucius Caeſares, *& condiſcipulorum ingenia aemulantes maiores in litteris progreſſus facerent*. Ita Noriſius in *Cenot. Piſan.* Diſs.II. 1. Porro unus ex ea ſchola fuiſſe videtur Avilius, *al.* Avidius Flaccus Eques Romanus, quem condiſcipulum nepotum Auguſti fuiſſe teſtatur Philo in invectiva contra eumdem Avilium ſcripta.

(*k*) Plures Ms., & ed. *verum ut neque*.

(*l*) Domus Catilinae, ut Marlianus, & Faunus docent, fuit iuxta baſilicam Opimii. Achilles Statius, cum in Ms. Cod. ſcriptum inveneriṭ *Catulinae*, prout legitur in Codd. Vat. 1518., & 1862. coniecit legendum eſſe *Catuli*; & profecto domus L. Catuli fuit Regione X. in qua Palatium.

(*m*) Nempe ex computo Noriſii loc. cit. *Romanae monetae ſcutatos bis mille ac quingentos*.

in annum accepit. Decessit aetatis exactae (*a*) sub Tiberio. Statuam (*b*) habet

(*a*) Hoc est, *decrepitae*.

(*b*) Plura occurrunt exempla huius honoris eruditis viris apud Graecos, Romanosque praestiti. Vid. *Figrelium*. Haec autem statua Verrio Flacco Grammatico posita utrum aliquando e Praenestinis ruderibus effossa fuerit, & modo ignota alicubi exstet, an vero lateat etiam nunc inter ruinas sepulta, dubius haereo, sciens fuisse olim effossam Praeneste basim cum titulo:

Q. VERRIO Q. F. PAL
FLACCO
SEVIRO AVGVSTALI
CVRATORI MVNERIS
PVBLICI
DECRETO STATVAM ET FAS
ORDO DECVRIONVM ET AVGVSTALIVM
ET PLEBS VNIVERSA S. P. P. P. D. D

Vulgavit hunc titulum *Inscr. cap.6. pag.* 486. Raphaël Fabrettus e schedis, ut ipse ait, Barberinis: sed, si ingenue loqui voluisset, fateri debebat descripsisse ex collectione Inscriptionum, quam Donius confecerat, & in Bibliotheca Principum Gentis Barberinae reliquerat. Porro nullo eum commentario Fabrettus illustravit, contentus cum aliis similibus inscriptionibus conferre, ut hoc unice comprobaret, Decuriones, & Augustales, & Populum tali semper ordine dispositos reperiri, cum unitim nominantur; de qua re plura congerit Chimentellius *de honore bisellii* cap. 40. Antonius Gorius ipsam Donianam Inscriptionum antiquarum collectionem integram edidit, ubi hic titulus occurrit Classe V. num. 120., sed nihil ad propositum animadvertit, solummodo enim vocem FAS interpretari satagit. At vero ad nostrum Verrium Flaccum hunc titulum pertinere Vulpius censuit *vet. Latii lib.*16. *cap.*8. & 10. *tom.IX. pag.*178. & 215. descriptumque esse ex basi, super quam erat posita illius statua Praeneste in foro. Neque sibi obstare putat, quod Svetonius eum dixerit *Libertinum*; titulus vero dedicatus sit viro trium nominum, & e Palatina tribu: reponit enim libertinae conditioni non repugnasse tria nomina, & in aliquam ex Romanis tribubus inseri; nec mirum esse adiicit, quod Verrius Grammaticus tria nomina adhibuerit, & in Palatinam tribum cooptatus fuerit, postquam acceptis in schola sua Augusti nepotibus in Palatium transiit. At enim: Verrio Flacco Grammatico non *Quincti* praenomen, sed Marci convenit, ut habetur in Chronico S.Hieronymi. Quid Vulpius? Silentio hoc praeterit, vel quia eius non meminerit, vel quia minimi momenti id duxerit. Enimvero huic Chronico plura recentius assuta fuerunt, & ab incertis auctoribus. Contra vero certa, ac manifesta est Svetonii auctoritas testantis, habuisse Verrium Grammaticum statuam Praeneste in foro, quae si cum hoc titulo Praeneste reperto, & memoriam dedicationis statuae cuidam Verrio Flacco decretae, & positae a Decurionibus, Augustalibus, Populoque Praenestinis exhibente conferatur, nonne statim vehementissimam suspicionem iniicit, hunc ipsum esse Verrium, de quo Svetonius loquitur? Equidem fateor ita mihi contigisse. Qua de re meretur omnino is titulus, ne sine aliquo commentario dimittatur. Qui essent *Seviri Augustales* copiose exponit Norisius *Cenotaph. Pis. Diss. I. cap. 6.*, cui tamen haud facile consentio constitutos esse in Coloniis Augustales ad imitationem Augustalium a Tiberio, post Augusti apotheosim, Romae institutorum, cum in illis adhuc vivens instar Numinis cultus Augustus fuerit *per Flamines, & Sacerdotes*, teste Tacito. *Munera publica* dicebantur ludi, aliaque spectacula; & plures veteres lapides testantur fuisse Praeneste Amphitheatrum, Theatrum, Circum, & Ludum gladiatorium. Cicero ad Atticum lib.12. ep.2. scribit: *Ludi interea Praeneste. Ibi Hirtius, & isti omnes. Et quidem ludi dies octo. Quae coenae! Quae deliciae!* At si hic titulus ad Verrium Fastorum Praenestinorum editorem spectat, fortassis *curator muneris publici* Verrius dicitur ob sibi susceptam curam ordinandi Fastos, & vulgandi, ut rite statis diebus sacra fierent, & ludi. Vocem FAS Gorius interpretatur FASTIGIVM, & coniicit significare aliquod aedificium columnis suffultum, supra quod statuae in sublime erigerentur. Quid ni potius tecti genus instar tholi, seu trichori, quod super statuam emineret? Hoc etiam Muratorius *Inscr. pag.* DCXVIII. praesensit, & confirmat auctoritate Scriptorum medii aevi. Festus, seu mavis Paullus Festi

habet Praeneste (*a*) in inferiore (*b*) fori parte, contra (*c*) hemicyclum (*d*), in quo Fastos (*e*) a se ordinatos, & marmoreo parieti (*f*) incisos publicarat.

Festi epitomator, *Fastigium*, inquit, *aedificii summum*; sed haec vox videtur primum assumta ad significanda sacrarum aedium tecta tum cum inventum est ita ea conficere, ut in medio sui altius assurgerent ad pluviam ex utraque parte deiiciendam. Audi Ciceronem *lib. 3. de Orat. cap. 46: Capitolii fastigium illud, & ceterarum aedium, non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est; nam cum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque tecti parte aqua dilaberetur, utilitatem templi fastigii dignitas consecuta est: ut etiam si in caelo statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum fuisse videatur*. Ex qua auctoritate, si titulus, de quo agitur, ad Verrium nostrum pertineat, & vocem FAS, quae in eo legitur, interpretati recte sint FAS*tigium* Gorius, & Muratorius, videretur profecto habuisse nostrum Verrium Praeneste in foro statuam cum singulari dignitate dedicatam. At ubi nam gentium repertus est umquam alius vetus titulus, in quo quid simile notetur? Meditabar an potius τὸ FAS primae sint litterae vocis FAS*tos*, cuius reliquae iam evanuerint, cum titulus descriptus fuit; ita ut non modo statuae, sed Fastorum quoque nostri Verrii Flacci Praeneste olim factam dedicationem ille consignet. Quid vero si legere liceret: AD FASTOS? Nonne mirifice cum Svetonii verbis conveniret testantis fuisse Verrii statuam *contra* hemicyclum positam? Et quia Svetonius non ait, in quo Fastos publicavit, sed *in quo Fastos publicarat*, nonne indicat dedicationem statuae factam fuisse diu post Fastorum publicationem? Sentio coniecturae audaciam, aeque tamen scio ad manus esse titulum non ex ipso marmore, sed ex alienis anonymis schedis a Donio descriptum in Bibliotheca Vaticana. Subsequentes siglae S. P. P. P. D. D. multimode explicari possunt. Placeret ne: *Sumptu Publico Postulante Populo Dedicarunt*? Fabrettus, & Sponius edidere D. P. contra Donii fidem, cuius schedas exscripsere.

(*a*) Hunc locum contra Mss. Codd. fidem miro modo vexarunt Critici. Octavius Panthagatus legebat: *pro Vestae*; Faërnus: *prope Vestae*, nempe templum, quod erat regione octava, ubi etiam forum. Achilles Statius emendabat: *pura veste*; Ant. Augustinus legendum censuit: *pedestrem*. Nugae. Vide *Praefationem*.

(*b*) Cod. Vat. 1518., & 4498., nec non Cod. Vat. Urb. 1194. habent: *in superiore*. Quis autem diiudicare valeat, quae inter utramque lectionem praeferenda sit? Et hoc pariter sentiendum est de varia lectione, quae subsequitur, utrum nempe Svetonius scripserit *contra*, seu *circa hemicyclum*; plures bases, quae ex titulis suis positae in foro Praenestino dignoscuntur, tum olim, tum etiam aliquae hos dies, in loco longe dissito ab hemicycli vestigiis effossae fuerunt.

(*c*) Cod. Vat. 1518., & 1862., & Cod. Vat. Urb. 1194. *circa*, prout in veteri rarissima editione Svetonii *de ill. Grammaticis*, Samueli Pitisco, & ipsi Fabricio ignota, manca tamen, & mendosissima, quae prodiit Florentiae apud S. Iacobum de Ripoli MCCCCLXXVIII.

(*d*) Cod. Vat. 1862. *hemicyclium*, quam lectionem ex Cod. Ms. notat quoque Achilles Statius, perperam licet legendum putet *contra Senaculum*, ubi Magistratus cum Senioribus deliberabant, & situm erat Capitolium inter, & Forum, monente Victore. In veteri editione Florentina legitur *heniculum*, & in quodam alio Ms. Achilles Statius reperiit: *homicidium*. Cod. Vat. 4498. habet *hemiculum*. Cod. Vat. 1518., & Cod. Vat. Urb. 1194. *emiciclum*. Itaque vera lectio est *hemicyclium*, vel *hemicyclum*. Sic a Graecis semicirculus, & ἡμίκυκλος, & ἡμικύκλιον dicitur. Cicero *de Amicitia* cap. 1. *Memini, domi in hemicyclio sedentem*. Vid. & Sidonium lib. 2. ep. 2., & Plinium lib. 5. cap. 6.

(*e*) Cod. Vat. Urb. 1194. mendose: *fasces*, & mendosius ed. vetus Florentina: *facto*. Legendum esse *Fastos* facile intelligitur. Sed olim certatum est pluribus, cuius generis *fastos*, & quo in loco eos Verrius publicaverit. Iamvero cum reperta sint Praeneste horum ipsorum Fastorum fragmenta, & quidem circa reliquias cuiusdam hemicyclii, nullus restat amplius decertandi locus; & erroris manifesto convincuntur Panvinius, Sigonius, aliique, qui Fastos Consulares Capitolinos Verrio Flacco adtribuunt.

(*f*) Casaubonus in Petaviano Ms. Cod. legit: *Marmori perite incisos*. Sic Cod. Vat. 4498.; & Cod. Vat. Urb. 1194. *Marmore perite incisos*, quam quidem veram esse lectionem arbitror visis ipsorum Fastorum marmoreis fragmentis.

QUAEDAM ALIA EIUSDEM SVETONII

DE VERRIO FLACCO GRAMMATICO

TESTIMONIA.

SVetonius in eodem libro *de illustribus Grammaticis* cap. 18. Lucii Crassitii vitam describens, VERRII FLACCI sic meminit: *Sed cum edoceret* [h. e. Lucius Crassitius] *iam multos, ac nobiles, in his Iulium Antonium Triumviri filium* (*a*), *ut* VERRIO (*b*) *quoque compararetur, dimissa repente schola transiit ad Q. Septimii* (*c*) *Philosophi sectam*.

Praeterea Svetonius VERRIUM iterum memorat cap. 19. de Scribonio Aphrodisio dicens: *Docuit quo Verrius tempore, cuius etiam libris* de Orthographia *rescripsit, non sine insectatione studiorum, morumque* (*d*) *eius*.

Demum VERRII FLACCI mentionem factam esse a Svetonio aliqui putant, etiam in libro de XII. Caesaribus, in vita Augusti cap. 86., etsi Mss. Codd. & ed. fere omnes pro *Verrius* habent *Veranius*. En Svetonii locum: *Marcum quidem Antonium, ut insanum increpat Augustus, quasi ea scribentem, quae mirentur potius homines, quam intelligant. Deinde ludens malum, & inconstans in eligendo genere dicendi ingenium eius, addidit haec: Tuque dubitas, Cimber ne Annius* (*e*), *an* VERRIUS FLACCUS (*f*) *imitandi sint tibi? ita ut verbis, quae Crispus Sallustius excerpsit ex originibus Catonis, utaris? An potius Asiaticorum Oratorum inanibus sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?*

(*a*) Ad quem Horatii Oda II. lib. 4. Consulatum Antonius egit cum Paullo Fabio Maximo, & cum nova moliretur, ut colligitur ex Seneca *de brevitate vitae*, iussu Augusti, testibus Dione, & Tacito, occisus est, seu potius, ut innuit Velleius, sua manu cecidit, ut Augusti iussus anteverteret.

(*b*) Qui scilicet inter Grammaticos aetatis suae primas obtinebat. Sed ex eo etiam Crassitius Verrio comparari potuit, quod Antonii Triumviri filium doceret, ut ille Augusti nepotes.

(*c*) Nicolaus Faber in vet. Ms. Pithoeano legit *Q. Sextii*, ut notat in Praef. ad Senecam controv. 11. Q. Sextius pater, & Q. Sextius filius, uterque ob meritum in studiis Philosophiae, saepe laudantur a Seneca.

(*d*) Argumentum licentiae Verrii Flacci est nota, quam Calendis Apr. apposuit; & suspicio animum subit utrum hinc confirmari possit quod superius coniiciebam, ipsum nostrum esse Verrium, quem Cicero narrat fuisse philosophum Epicureum.

(*e*) Al. *Cimber ne, an Annius*, sed male. Cimbrum Cicero C. Annium Cimbrum appellat Philipp. II. x. 6., ubi tamen corrupte in ed. legitur *Caninium Cimbrum*. Fuit autem Cimber decurtatorum amator verborum, quod lepide inridet Virgilius *in Catalectis* epigr. 2. primas tantummodo exprimens syllabas nominum earum rerum, quas fingit Cimbrum illisisse, & miscuisse ad propinandum fratri suo venenum.

(*f*) Hinc potissimum suadetur legendum esse *Verrius*, non autem *Veranius*. Numquam enim Veranius aut a Festo, aut a Macrobio, qui fortassis unice eum citant, Flaccus cognominatur. Adde, Verrium *De obscuris* (idest vocibus) *Catonis* plures libros scripsisse, teste Gellio.

IANVARIVS

/R·IN·LATIO
T·LIBO·QVOD

LAPIO·VEDIOVI·IN·INSVLA·HAE·ET
AE·CALENDAE·APPELLANTVR·QVIA
MVS·IS·DIES·EST·QVOS·PONTIFEX·MINOR·QVO
MENSE·AD·NONAS·SIN
TOLIO·IN·CVRIA·CALA ISNO
QVIA·EO·DIE·MAG·IN·EVNT·QVOD·COEPIT
C A BCI
IANTVR·QVOD·IIS·LICET·FARI·APVD
VERBIS·LEGE·AGI·NON·POTEST·IDEM
TRIDIE·OMNIS·CALENDAS·QVOD·IIS

VS·COIRE·CONVOCARE·COGI·POTEST

AL
QVEM LEGI
D PR C LEGE·AGI·NON

IE
CAVSSA

G C IMP·CAESAR·AVGVST
HIRTIO·ET·PANSA
VII·VIR·EPVL·CREATVS

H VI C SIGNVM·IVSTITIAE·AVGVS
ET·SILIO·COS

A V AGON

AGONIA
AVT·QVIA
B IIII EN HAEC NOTA·SIGNI
PRO·INPONEBATVR
QVAM·HOSTIA·INMO
NEFAS·FIT·ITAQVE·IA
LICERE·AGI·TI·CAESA

C III KARM

FVTVRA·OB·QVAM·CA
OMINE·MORTICINO
D PR C AB·ROMVLO·ET·IANVM
AVGVSTVS·TI·CAESAR

E EIDN LVD
ID·IS
NOS
AI

F XIX EN CORONA·QVER
AVGVSTI·ONER
P·R·RES
VITIOSVS·EX·S·C
EANDEM CAVSSAM NIS·CALENDA

G XIIX KARN FERIAE·CA NTI·OB·EANDEM·CAVSSAM
III·IDVS·HERCVLES·DICITVR·INSTITVIS
SI·FIDENAS·EO·DIE·CEPISSIT

XVII C IMP·CAESAR PPELL VS·IPSO·VII·ET·AGRIP
CONCORDIAE·AV AEST·P·DOLABELLA·C·SILANO·COS
TI CAESAR·EX PA AVIT

A XVI C PONTIFICES·N VIR·EPVLONVM VICTVMAS·IN
NT·A VAM·DEDICAVIT·TI·CAESAR
F AVG·PATR·DEDICAVIT

P XV C

G XIIII C

XIII C

E XII C

F XI C

G X C

H VIIII C

A VIII C

B VII C

C VI C AED LVCIS·DEDICA

D V C

E IIII F FERIAE IMP CAES
MA
MARINA
DIVVS·CAESAR·ADI AVGERETVR·A

F III NP FERIAE EX·S·C·QVO DIE·ARA·PACIS·AVGVSTA
MARTIC DEDICATA SI·DRVSO·ET·CRISPINO·C

G PR C

XXXI

IANUARIUS

SIngulorum mensium Fastis praefixerat Verrius mensis nomen, & unde illud originem duceret. Ad hoc pertinent duo, quae sequuntur, huius primae Tabulae fragmenta.

. . . . VR IN LATIO] Forte : *appellabat*VR IN LATIO. Censorinus ex Varrone adnotat (*a*): *Romanos a Latinis nomina mensium accepisse*, & *Ianuarium a Iano, cui attributus est, nomen traxisse*. Et quidem Varro (*b*) mensium nomina recensens: *Prior*, inquit, *a Principe Iano Ianuarius appellatus*. Id ipsum a Verrio hic adnotatum fuisse ne dubites.

. . . . T. LIBO. QVOD] Forte : *Faciun*T LIBO QVOD *Ianual appellatur*. Audi Festum, qui Verrii scripta expilasse dicitur : *Ianual* LIBI *genus, quod Iano tantummodo libatur*. Huius LIBI meminit Ovidius (*c*), & *Cereale* illud appellat.

I. Ian. . . . . LAPIO. VEDIOVI. IN. INSVLA] Supple : *Feriae Aescu*LAPIO. VEDIOVI. IN. INSULA. Templa duo in insula Tiberina Kal. Ianuariis, alterum Aesculapio, alterum Iovi, dedicata fuisse Ovidius quoque testatur (*d*):

Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere fastis:
Sacravere patres hac duo templa die.
Accepit Phoebo, Nymphaque Coronide natum
Insula, dividua quam premit amnis aqua.
Iuppiter in parte est: cepit locus unus utrumque,
Iunctaque sunt magno templa nepotis avo

Utriusque templi dedicatio eodem facta est die, non autem eodem anno. Aesculapii Aedes in Insula constituta est ann. U. C. 462. cum ab Epidauro ille est arcersitus, ut urbem pestilentia laborantem liberaret (*e*); Iovis vero aedem C. Servilius Duumvir dedicavit, cum *vota illa esset sex annis ante, Gallico bello, ab L. Furio Purpureone Praetore*, & *ab eodem postea Consule locata*; teste Livio (*f*). L. Furii Purpureonis Consulatus signat ann. U. C. 557.

I. Ian. VEDIOVI] In excusis, & in mss. libris veterum scriptorum, apud quos huius Numinis nomen occurrit, vario modo scriptum invenitur, nempe *Veiovis*, *Vedeiovis*, *Vediiovis* &c. Ex fide, & auctoritate nostri marmoris hoc loco, & in Tabula Fastorum mensis Martii, scribendum esse constat *Vediovis*. Quis autem Deus esset *Vediovis*, non una exstat omnium sententia. Dionysius homo Graecus (*g*), ne in Romano etymo ac ritu erraret, caute appellavit incertum quemdam δαίμονα. Vide plura ad diem VII. Martii.

I. Ian. IN INSVLA] Nempe Tiberina, quam apposite ita describit Ovidius (*h*):

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis,
INSULA *nomen habet, laterum quae a parte Deorum*
Porrigit aequales media tellure lacertos.

A HAE.

(*a*) Censorinus *de die natali* cap. 22.
(*b*) Varro de L.L. lib. 5.
(*c*) Fast. I. v. 127.
(*d*) Fast. I. v. 289.
(*e*) Val. Max. lib. I. cap. 8.
(*f*) Livius lib. 34.
(*g*) Dionys. Halicarn. lib. 2.
(*h*) Metam. XV. v. 739.

1. Ian. HAE . ET ... AE . CALENDAE &c.] Totum hoc fragmentum ita ſupplendum eſſe crediderim : HAE ET *aliae* CALENDAE APPELLANTVR QVIA *dierum primus* IS DIES EST QVOS PONTIFEX MINOR QV*olibet* MENSE AD NONAS S*ingulas calat in Capi*TOLIO IN CVRIA CALA*bra*) Haud diſſimili ratione loquitur Varro (*a*) : *Primi dies menſium nominati Calendae ab eo, quod his diebus calentur eius menſis Nonae a Pontificibus, quintanae, an ſeptimanae ſint futurae, in Capitolio in Curia Calabra, ſic: Dies te quinque calo, Iuno Novella: ſeptem calo, Iuno Novella*; ſeu mavis legere cum Ioſ. Scaligero, *Iana Novella*; nam Luna dicta eſt *Iana* eadem ratione, qua Sol appellabatur *Ianus*. *Pronunciavit Nigidius*, ſcribit Macrobius (*b*), *Apollinem Ianum eſſe, Dianamque Ianam, appoſita d littera, quae ſaepe i litterae, cauſſa decoris, apponitur*. Item Varro nos docet (*c*), quod *Ianam Lunam* appellare ſolebant ruſtici *plenilunium*; quo ſcilicet tempore pulcherrimam ſui ſpeciem Luna praebet, totum Solem ad nos remittens. Verum hoc quoque certum eſt Iunonem ac Lunam unum & idem Numen fuiſſe creditum, ideoque initia menſium, quae a Lunae ortu ſervabant, Iunoni tribuebant; quod ita explicat Macrobius (*d*): *Ut Idus omnes Iovi, ita omnes Calendas Iunoni tributas, & Varronis, & Pontificalis affirmat auctoritas: quod etiam Laurentes patriis religionibus ſervant; qui & cognomen Deae ex caeremoniis addiderunt Calendarem Iunonem vocantes. Sed & omnibus Calendis a menſe Martio ad Decembrem huic Deae Calendarum die ſupplicant. Romae quoque Calendis omnibus, praeter quod Pontifex minor in Curia Calabra rem divinam Iunoni facit, etiam Regina ſacrorum porcam, vel agnam in regia Iunoni immolat, a qua etiam Ianum Iunonium vocatum eſſe diximus, quod illi Deo omnis ingreſſus, huic Deae cuncti Calendarum dies videntur adſcripti; cum enim initia menſium maiores noſtri ab exortu Lunae ſervaverint, iure Iunoni addixerunt Calendas, Lunam ac Iunonem eamdem putantes; vel quia per aërem meat, unde & Graeci Lunam ἄρτεμιν nuncuparunt, ideſt αεροτόμιν, quod aëra ſecat; Iuno autem aëris arbitra eſt*.

1. Ian. CALENDAE] Verrius integram ſcribens hic, & inferius poſtero die, vocem *Calendae* utitur littera C, littera vero K, ubi ſolum per primam litteram *Calendas* indicat, ut in tabulis menſium Martii, & Aprilis, quarum inſtar mancas ſupplevi Ianuarii, & Decembris. Cauſſam ex Q. Terentio Scauro *de Orthograph.* diſcimus: K *quidam*, inquit, *ſupervacuam eſſe litteram iudicarunt, quoniam vice illius fungi C ſatis poſſet; ſed retenta eſt, ut quidam putant, quoniam notas quaſdam ſignificaret, ut Kaeſonem, & Kaput* [legis nempe, non hominis] *& Kalumniam, &* KALENDAS. Similiter Quintilianus (*e*) litteram K inter redundantes litteras recenſet, docens tamen eam eſſe *quorumdam nominum* notam; eorum nempe, quae a Terentio Scauro accepimus, & enumerat etiam Terentianus Maurus (*f*) docens:

K ſimiliter otioſa ceteris ſermonibus,
Tuncque in uſu eſt cum KALENDAS *adnotamus, aut Kaput,*
Saepe Kaeſones notabant hac vetuſti littera.

Valerius Probus docet notam Calendarum fuiſſe K., & KL.

1. Ian. PONTIFEX MINOR] Iacobus Gutherius (*g*) *de veteri iure Pontificio*, ſuſpicatur, quod Cincius Priſcus in veteri lapide apud Gruterum (*h*) dictus PONTIFEX SACRARIVS IVNONIS, fuerit *Pontifex ille minor*, qui ſingulis Calendis Iunoni ſacra faciebat in Curia Calabra. Quod tamen acute magis, quam vere dictum puto; videtur enim huius calationis ius ita ad Collegium minorum Pontificum ſpectaſſe, ut quiſque exſequi eam poſſet; niſi forte excipias, qui peculiari inter eos nomine nuncupabantur, de quibus Feſtus: *Minorum Pontificum Maximus dicitur, qui primus in id Collegium venit; item Minimus, qui noviſſimus*. Porro ex Feſto hoc etiam colliges minorum Pontificum Collegium diſtinctum fuiſſe a Collegio Pontificum, neque enim Feſtus dicit *in Collegium*, ſed *in id Collegium*, ut bene animadvertit Noriſius in *Coenotaph. Piſ.*

(*a*) Varro de L. Lat. lib. 5.
(*b*) Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 9.
(*c*) Varro lib. 1. *de re ruſtica* cap. 37.
(*d*) Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 15.
(*e*) Quintil. Inſtit. Orat. I. 4.
(*f*) *De Syllabis*.
(*g*) Guth. lib. 1. cap. 23.
(*h*) Gruter. p. CCCVIII.

Pis. Diss. I. cap. 5. Quo vero ritu Pontifex minor Nonas declararet ita exponit Macrobius (*a*): *Priscis temporibus, antequam fasti a Gn. Flavio Scriba, invitis patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori haec provincia delegabatur, ut novae Lunae primum observaret adspectum, visamque Regi sacrificulo nuntiaret. Itaque sacrificio a Rege, & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex calata, idest vocata in Capitolium plebe iuxta Curiam Calabram, quae Casae Romuli proxima est, quot numero dies a Calendis ad Nonas superessent pronuntiabat: & quintanas quidem dicto quinquies verbo* καλῶ, *septimanas repetito septies praedicabat. Verbum autem* καλῶ *Graecum est, idest, voco, & hunc diem, qui ex his diebus, qui calarentur, primus esset, placuit calendas vocari, hinc & ipsi Curiae, ad quam vocabantur, Calabrae nomen datum est. Ideo autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas superessent calando prodebat, quod post novam Lunam oportebat Nonarum die populares, qui in agris essent, confluere in urbem, accepturos caussas feriarum a Rege sacrorum, scripturosque, quid esset eo mense faciendum; unde quidam hinc Nonas aestimant dictas, quasi novae initium observationis; vel quod ab eo semper ad Idus novem dies putantur: sicut apud Tuscos Nonae plures habebantur, quod hi nono quoque die Regem suum salutabant, & de propriis negotiis consulebant.*

1. Ian. IN CVRIA CALA...] *Curia*, inquit Festus (*b*), *locus est, ubi publicas curas gerebant*: CALABRA CVRIA *dicebatur, ubi tantum ratio sacrorum gerebatur*. Eam a Numa aedificatam fuisse in Capitolio tradit Dionysius (*c*); & aliis triginta Curiis a Romulo exstructis ampliorem fuisse constat, quod singulis Calendis universus populus ad eam vocaretur ad Nonas, & nundinas ediscendas. Audi Macrobium (*d*): *Pontifex calata, idest, vocata in Capitolium plebe, iuxta Curiam Calabram, quae casae Romuli proxima est, quot numero dies a Calendis ad Nonas superessent pronuntiabat*. Haec igitur Curia dicta est Calabra a calatione, quam in ea Pontifex minor facere solebat, & erat proxima Casae Romuli, quam Pub. Victor collocat, prout in editis libris legitur, in Reg. X., sed legendum est Reg. IIX., quae Capitolium complectebatur. Eiusdem Curiae situm indicat etiam Livius (*e*), ubi narrat, quod Censores Q. Fulvius Flaccus, & A. Postumius Albinus clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt, ab aede Saturni in Capitolium ad Senaculum, ac super ad Curiam. Qua de re sita fuisse videtur in ea Capitolii parte, quae montis Palatini angulum, & viam sacram aspicit, & in qua nunc exstant IIIvir. Urbis Conservatorum aedes.

1. Ian. ... NO ...] Forte *Annus* NOVUS *incipit*. Sic Seneca (*f*) diem Calendarum Ianuarii *novum annum vocat*; & Ovidius (*g*) Ianum alloquens cecinit:

> *Dic age, frigoribus quare* NOVUS *incipit* ANNUS.

1. Ian. QVIA . EO . DIE . MAG. INEVNT . QVOD . COEPIT ..... C. A. DCI.] En caussa cur novus annus a Cal. Ianuariis inciperet. Consules eo die Magistratum inibant, QVOD COEPIT *urbis conditae* ANNO DCI. Plutarchus *in Quaest. Rom. qu.*10 scribit, quod ipsi primi Consules, eiectis Regibus, Magistratum inierunt Cal. Ianuariis, sed fallitur. Primi Consules honorem inierunt Cal. Iuniis; deinde vero praebuerunt novis Consulibus auspicia modo Calendae Octobres (*h*), modo Calendae Sextiles (*i*), modo Idus Maiae (*k*), modo Idus Decembres (*l*), modo Calendae Quinctiles (*m*), & tandem longe diutius Idus Martiae. Hinc Tibullus cecinit (*n*):

> *Martis Romani festae venere Calendae,*
> *Exoriens nostris hinc fuit annus avis.*

Et Ausonius (*o*):

> *Martius & generis Romani praesul, & anni,*
> *Prima dabat Latiis tempora Consulibus.*

A 2 Porro

(*a*) Macrob. lib. I. cap. 15.
(*b*) Festus v. *Curia*.
(*c*) Dionys. lib. I.
(*d*) Macrob. Saturn. lib. I. cap. 15.
(*e*) Livius lib. 41.
(*f*) Seneca epist. 83., & ep. 87.
(*g*) Fast. I. v. 149.
(*h*) Livius lib. 5. (*i*) Id. lib. 3. (*k*) Id. ibid.
(*l*) Id. lib. 4. (*m*) Id. lib. 5., & 6.
(*n*) Tibullus lib 3. Eleg. I. (*o*) Eclog.

Porro hunc morem duraſſe uſque ad tertium bellum Punicum notavit Ovidius (*a*), praecipuas menſis Martii dotes recenſens:

Hinc etiam veteres initi memorantur honores
Ad ſpatium belli, perfide Poene, tui.

Mutandi Comitia cauſſa fuit, quod Hiſpani rebellabant, ut verbis utar Epitomatoris Liviani (*b*); & Q. Fulvius Nobilior, & T. Annius Luſcus primi fuerunt, qui Calend. Ian. Conſulatum auſpicati ſunt, quo maturius in provinciam proficiſcerentur. Contigit hoc, ut notant Florus, & Caſſiodorus, A. V. DC., ſed Verrius contigiſſe ait ab Urbe Condita A. DCI. Unde haec ſententiarum diſcordia? Quia Verrius ab anteactis Palilibus annos Urbis accuratius ſupputavit. Cenſorinus *de die natali cap.* 21. lucidiſſimis notis ſignare ſatagens annum, cuius veluti index, & titulus quidam erat Ulpii, & Pontiani Conſulatus, appoſite ſcribit: *A Roma autem condita* [annus] *DCCCCXCI.*, *& quidem ex Palilibus, unde Urbis anni numerantur*. Demum ad imitandum adverte diphthongum *oe* in verbo COEPIT.

1. *Ian.* Ɖ] Ita in marmore numeralis nota ſignificans *quingenta* ſculpta eſt. F. Sixtus Medices, qui elegantiſſimum librum ſcripſit *de Latinis numerorum notis* Venetiis editum an. 1557., animadvertit, D litteram exprimentem quingenta *exſurgere ex* C *converſo ſic* Ↄ, *&* V *eidem praepoſito ſic* VↃ, *quae dicerent quinquies centum*. Cui animadverſioni haec ſubdit: *Duae autem hae litterae coniunctius deſcribi ſic potuiſſent* Ɖ, *ſed ut venuſte ſimul, & celeriter figurentur, tranſverſa linea remota, per* D *ſolum notari eſt conſtitutum*. Quod conjectando vir doctus animadvertit, veriſſimum eſſe ex noſtro marmore recognoſcas velim.

2. *Ian.* . . . LANTVR] Hoc eſt, *appel*LANTVR. Verrius in hoc, & in alio, quod contra eſt, in noſtra Tabula fragmento, explicaverat quid ſignificarent litterae F. N. ℞. C., quae ſingulos dies diſtinguunt, prout inferius ad diem X. explicat notam EN. Sic Ovidius in primo Faſtorum ſuorum limine, dierum Faſtorum, Nefaſtorum, Interciſorum, Comitialium, & Nundinalium rationem, atque diſcrimen explicandum ſibi fore duxit hiſce verſiculis:

Ne tamen ignores variorum iura dierum
Non habet officium Lucifer omnis idem.
Ille Nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur;
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.
Nec toto perſtare die ſua iura putaris:
Qui iam Faſtus erit, mane Nefaſtus erat.
Nam ſimul exta Deo data ſunt licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera Praetor habet.
Eſt quoque, quo populum ius eſt includere ſeptis:
Eſt quoque, qui nono ſemper ab orbe redit.

2. *Ian.* . . . . DIE OMNIS CALENDAS QVOD IIS] Lege: *Poſtri*DIE OMNIS CALENDAS QVOD IIS *res publica male geſta eſt*. Scilicet Verrius hic adnotaverat poſtriduanum ſingularum Calendarum diem fuiſſe *atrum*; & verba quae ſupplevi ex alio ipſius Verrii libro deſumta ſunt, nempe ex lib. 4. *de Verborum ſignificatione*, ubi cauſſam exponens, propter quam Nefaſti, & Atri haberentur dies primi poſt Calendas, Nonas, & Idus, ita loquebatur, teſte A. Gellio (*c*): *Urbe a Gallis Senonibus reciperata, L. Attilius in Senatu verba fecit, Q. Sulpicium Tribunum militum ad Alliam adverſus Gallos pugnaturum rem divinam dimicandi gratia poſtridie Idus feciſſe; tum exercitum Populi Romani occidione occiſum, & poſt diem tertium eius diei Urbem, praeter Capitolium, captam eſſe: compluresque alii Senatores recordari ſe ſe dixerunt, quotiens belli gerendi gratia res divina poſtridie Calendas, Nonas, Idus a Magiſtratu P. R. facta eſſet, eius belli proximo deinceps praelio* REM PVBLICAM MALE GESTAM ESSE. *Tum Senatus eam rem ad Pontifices reiecit: ipſi, quod videretur, ſtatuerent. Pontifices decreverunt nullum his diebus ſacrificium recte futurum.* Conci-

(*a*) Faſt. lib. III. verſ. 147. (*b*) Lib. 47. (*c*) A. Gell. lib. V. cap. 17.

Concinit Festus (*a*), qui Verrii scripta in epitomen redegit: *Nonarum postridie, Iduum, Calendarum dies alieni sunt . . . . quoniam decreto Pontificum atri hi dies esse iudicati sunt, quod quotiescumque Romani duces belli gerendi gratia, his diebus supplicavere*, MALE REM PUBLICAM GESSERE. Ovidius (*b*):

Vindicat Ausonias Iunonis cura Calendas,
Idibus alba Iovi grandior agna cadit.
Nonarum tutela Deo caret: omnibus istis
[Ne fallare, cave] proximus ater erit.
Omen ab eventu est: illis nam Roma diebus
Damna sub adverso tristia Marte tulit.

Plutarchus *quaest.* 25. alias etiam caussas huius superstitionis proponit, sed Romanos ipsos suorum rituum peritiores fuisse aequum est credere. Porro hisce male ominosis diebus nec ius dicere, nec praelium inire, nec ludos dare, nec comitia, supplicationes, sacrificia, & convivia publica peragere, fas erat; quinetiam vel iter aliquod aggredi mali ominis habebatur; quam superstitionem inter Christianos quoque irrepsisse constat ex S. Augustino: scribit enim in expositione Epistolae ad Galatas (*c*): *Nunc autem innumerabiles de numero fidelium cum magna confidentia in faciem nobis dicunt: die post Calendas non proficiscor*. Vide etiam *epist.* 55. olim 119., necnon *Enchiridion* §.21.

3. Ian. . . . . LVS . COIRE . CONVOCARE . COGI . POTEST] Hoc est: *Populus coire, convocare, cogi potest*. Qui essent Comitiales dies hic Verrius explicabat. De illis ita Festus: *Comitiales dies appellabant, cum in Comitio conveniebant, qui locus a coeundo, idest, simul veniendo dictus est*. Et Varro: *Comitiales dicti, quod tum esset populus constitutus ad suffragium ferendum; nisi si quae feriae conceptae essent, propter quas non liceret, ut Compitalia, & Latinae*.

6. Ian. . . . . IE . . . CAVSSA . . .] Primum post Nonas *diem* habitum esse atrum, ob eamdem *caussam*, qua primum diem post Calendas, hic Verrius adnotaverat.

CAVSSA . . .] Festus in v. *Solitaurilia* docet, antiquae consuetudinis fuisse nullam in scribendo litteram geminare; & inde subdit: *Quam consuetudinem Ennius mutavisse fertur, utpote Graecus graeco more usus*. Sed propius ad propositum ita loquitur Quintilianus (*d*): *Quid? Quod Ciceronis temporibus, paullumque infra, fere quoties S littera media vocalium longarum, vel subiecta longis esset, geminabatur, ut caussae, cassus, divissiones: quomodo & ipsum, & Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent*.

7. Ian. IMP. CAESAR AVGVST . . . . HIRTIO . ET . PANSA . . . .] Hoc fragmentum ex antiquo marmore Narbonensi (*e*), ubi plures Augusto dicati memorantur dies, suppleri ita posse coniicio: IMP. CAESAR AVGVST*us Imperium orbis auspicatur* HIRTIO ET PANSA *Cos*. Sic enim in eo marmore: VII. IDVS . IANVAR. QVA . DIE . PRIMVM . IMPERIVM . ORBIS . TERRARVM . AVSPICATVS . EST. Quomodo id contigerit ex Plinio intelligitur; ex hisce vero marmoribus quis fuerit appellatus a Plinio *primus potestatis* Caesaris Augusti *dies*. En Plinii testimonium (*f*): *Divo Augusto Spoleti sacrificanti*, PRIMO POTESTATIS SVAE DIE, *sex victimarum iecinora replicata, intrinsecus ab ima fibra, reperta sunt; responsumque duplicaturum intra annum imperium fore*. Huius auspicii etiam Dio, & Svetonius, & Iulius Obsequens meminere; sed Dio (*g*) immolatas ab Augusto victimas fuisse duodecim dicit, sex cum Plinio Svetonius (*h*); Iulius vero Obsequens (*i*) occasionem immolandi eas innuit, numerum reticet: *Caesari*, inquit, *cum honores decreti essent, & imperium adversus Antonium, immolanti duplicia exta apparuerunt*. Porro decernendi Caesari honores caussa haec fuit. Senatus Calendis Ianuariis, Hirtio, & Vibio Pansa

(*a*) Festus v. *Nonarum postridie*.
(*b*) Fast. lib.1. v.55.
(*c*) §.35. Op. tom.3. p.2. 963.
(*d*) Inst. Or. lib.I. 7. (*e*) Apud Grut. p. ccxxix.
(*f*) Plinius Nat. Hist. lib.xi. 73.
(*g*) Dio lib.46. §.35.
(*h*) Svetonius in Aug. cap. 95.
(*i*) *De prodigiis* cap.129.

Pansa Consulibus, in aede Concordiae coactus, post trium dierum deliberationem honores Caesari decrevit, & paullo post Urbi tumultum impendere censuit, ob quam caussam tum Consulibus, tum ipsi Caesari bellum gerere adversus Antonium iniunxit. Itaque tunc Caesar milites in expeditionem educturus, laetum illud ex immolatis victimis auspicium accepit VII. Idus Ianuarias; & quia ex ea praecipue expeditione feliciter gesta initium sumpsit summa, ad quam postea evectus ille est, omnium rerum potestas, ideo iure meritoque dies VII. Idus Ianuarias appellatus est a Plinio *potestatis Caesaris Augusti primus dies*; & in marmore Narbonensi, necnon in nostro Calendario inter festos adnumeratus, appositeque dictus dies, in quo *primum auspicatus est* Caesar Augustus *orbis terrarum imperium*. Quam vero Harduinus (*a*) de hoc Plinii loco commentus est, fabulosam interpretationem mirifice, ut semper assolet, refutavit Spanhemius (*b*), sed totam, quam in eo loco vox *potestatis* habet vim, nec ipse quidem assequutus est.

7. Ian. IMP. CAESAR . AVGVST.] Quotiescumque in his tabulis Caesarem Octavianum Verrius nominat, *Imperatoris* praenomen, & *Augusti* cognomen ei imponit; quod sane prudens facit tum quia hosce fastos scripsit delatis iam Caesari his titulis, tum etiam quia ei nullum aliud amplius placuit nomen postquam appellatus est *Augustus*. Quo die, & anno primum *Augusti* cognomen acceperit, inferius a Verrio disces, interim vero ex Dione (*c*) scias oportet, quod *eodem anno*, quo Consul V. fuit, *Imperatoris nomen accepit; non quale propter victoriam tribui, more vetusto solebat, [id enim saepius, & antea, & postmodum, ex ipsis actionibus reportavit* (*d*)], *sed quo summa Imperii demonstraretur, quod patri eius quoque Iulio, nepotibusque fuerat decretum*. Attamen hoc titulo nusquam Iulius Caesar uti voluit, ut alibi adnotat idem Historicus.

7. Ian. HIRTIO . ET . PANSA . . .] Supple *Cos.* a Kal Ian. anni ab U. C. 710. Itaque Verrius cum Appiano, Svetonio, Dione &c. Paterculum refutat scribentem (*e*), quod Senatus Caesarem *Propraetorem una cum Consulibus designatis, Hirtio, & Pansa, bellum cum Antonio gerere iussit*.

7. Ian. VII. VIR. EPVL. CREATVS] Scilicet, ut sentio, TI. CAESAR, cui hoc sacerdotii genus in aliis etiam antiquis lapidibus tribuitur apud Gruterum (*f*), & Muratorium (*g*); erat enim Collegium Septemvirorum Epulonum unum e quatuor praecipuis Sacerdotum Collegiis (*h*), cui ipse adscriptus fuerat Imp. Caesar Augustus, ut vetus lapis testatur apud eumdem Muratorium (*i*). In denario gentis Caeliae unius ex VIIviris Epulonum figura visitur lectum Iovi ad epulum sternentis cum inscriptione L. CALDVS VIIVIR EPVL.

8. Ian. SIGNVM . IVSTITIAE . AVGVS . . : ET . SILIO COS.] Cum alterius Consulis nomen deperditum sit, nec ulla alia succurrat veteris scriptoris auctoritas de huius signi dedicatione, anceps haereo, utrum Verrius annum designet, quo L. Munatius Plancus, & C. Silius Caecina Consules fuerunt an. U. C. 765., & quo Augustus III. Nonas Aprilis, ante annum, & quatuor menses quam decederet, testamentum a se factum signavit; an vero annum illum, quo Augustus rebus in Graecia confectis, in Samum navigavit, ibique hiemavit, & vere in Asiam perrexit M. Apuleio, & P. Silio Cos. an. U. 733., quo quidem anno, & proximo superiore, plura dedit Augustus iustitiae documenta tum in suis, tum etiam in provinciis, quas Senatui administrandas reliquerat, ut legere est apud Dionem *lib.* 54., ob quam caussam haud mirum foret quod positum esset ex S. C. signum aliquod Iustitiae Augustae, & fortassis sub imagine Liviae Augusti uxoris, prout ad celebrandam etiam Tiberii iustitiam an. Tr. Pot. illius XXIIII. cusus est ex S. C. notissi-

(*a*) Select. Oper. p. 699.
(*b*) Diss. 12. §. 4.
(*c*) Lib. 52. §. 41.
(*d*) Caesar Augustus ita est APPELLATVS VICIES ET SEMEL IMPERATOR, ut ipse de se testatur in tabulis Ancyranis, & Dio adnotat lib. LII. 41., comprobantque veteres nummi. V. Spanh. Tom. II. p. 182., & 404.
(*e*) Histor. lib. 2.
(*f*) Pag. CCXXXV. 10.
(*g*) Pag. CCXXIII. 6.
(*h*) Vide Gisbertum Cuperum Observ. lib. 4. c. 13., & Norisium Diss. 2. cap. 5., qui Gutherium aliter sentientem luculentissime refutant.
(*i*) Pag. CCXX.

notissimus ille nummus, in quo caput eiusdem Liviae sculptum visitur matronali mitra ornatum, & subtus haec inscriptio legitur: IVSTITIA.

8. Ian. COS] Ita semper Verrius. Posterioris fortassis aevi sunt lapides ubi *Coss.* Quintilianus tamen I.7. *Et coluna,* inquit, *exempta littera N, & Consules, geminata S littera Coss. legimus.*

9. Ian. AGONIA . . . . AVT QVIA . . .] Ter in anno agebatur Romae festum *Agonia*, seu *Agonalia* appellatum; *Et prius antiquus dicebat* AGONIA *sermo*, ut testatur Ovidius. Haec vox AGONIA unice superest in nostro marmore; & eius variam originem Verrius hic exposuisse videtur; sed quis divinare poterit, quas sententias attulerit, quam praeelegerit? Quinque numero sunt, quas adfert Ovidius, & singulis expositis, illam tandem veram censet, quam utpote primo loco propositam, *ultimam* appellat. Ea autem est, quam unice allegat Varro, ubi ait: *Dies Agonales, per quos Rex in regia arietem inmolat, dicti ab Ago ne? eo quod interrogatur princeps civitatis, & princeps gregis inmolatur.* Versus omnia nitide, facileque exprimentis poëtae hi sunt (*a*):

Nominis esse potest succinctus veste minister
Hostia caelitibus quo feriente cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper [Ago ne?] rogat; nec nisi iussus, agit.
Pars, quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Pars putat hoc festum priscis Agonalia dictum
Vna sit ut proprio littera demta loco.
An quia praevisos in aqua timet hostia cultros
A pecoris lux est ista notata metu?
Pars etiam, fieri solitis aetate priorum
Nomina de ludis Graia tulisse diem.
Et prius antiquus dicebat Agonia sermo;
Veraque iudicio est ultima caussa meo.

At vero cum a Varrone, & Ovidio probatum etymon praetermissum omnino fuerit a Festo, cuius consilium fuit Verrii Flacci libros in epitomen redigere, dubius haereo, utrum & Verrio illud placuerit. *Agonium*, scribit Festus, *dies appellatur, quo Rex hostiam inmolabat; hostiam enim antiqui Agoniam vocabant.* Deinde addit: *Agonium etiam putabant Deum dici praesidentem rebus agendis: Agonalia eius festa.* Andreas Dacerius ad haec Festi verba hanc notam apponit: *De Agonio Deo nihil alibi*; sed fallitur. Iac. Sponius *in Miscellaneis eruditae antiquitatis sect.*3. duas adfert Inscriptiones ab Oienharto in Notitia Vasconiae productas, & in pago Asca, in Bigerronibus Aquitaniae repertas, quae AGHONI DEO dedicatae sunt; appositeque adiicit *de Diis Agoniis* hoc Hesychii testimonium: Ἀγώνιοι θεοὶ οἱ τῶν ἀγώνων προεστῶτες. Novi equidem Iosephum de Bimard (*b*) existimare, quod Deus hic illius loci peculiaris fuerit ex Celticis vocibus *Ach*, & *On Aghon* dictus, quasi *aqua aquae*, vel *rivus aquae*; sed clarissimi viri coniecturam, saltem generatim, Festi allatus textus, aliaeque auctoritates oppugnant. Oienhartus in secunda laudati Operis sui editione an. 1656. tertium addit titulum inscriptum, AGEIONI AGEIO DEO. Sed etiam hic titulus ad eumdem *Agonium Deum* pertinere videtur. Demum Festus adnotat montes dici *Agones*, & hinc dicta esse *Agonia sacrificia*, quae fiebant in monte: quae postrema sententia praecipue respicit festum Agonale, quod agebatur III. Idus Decembres. An Agonalia, quae agebantur XII. Kal. Iunias ad Deum Agonium spectaverint, alii diiudicent. Quae agebantur hoc die V. Idus Ianuarias, non Agonio, sed Iano dicata fuisse testatur Ovidius (*c*):

Quatuor adde dies ductis ex ordine Nonis,
Ianus Agonali luce piandus erit.

Verum si hoc festum ex eo, quod *Agonia* dicebantur hostiae, dictum est *Agonium*,

(*a*) Fast.I. v.319. (*b*) Diatriba *de Diis quibusdam ignotis praesertim Gallicis* §.6. (*c*) Ibid. v.317.

nium, inquirendum adhuc superest unde hostiis illud nomen. *Ab agendo*, inquit Festus; *unde pastorale etiam baculum, quo pecudes aguntur, dictum est Agolum*. Verumenimvero, qualiscumque fuerit Verrii opinio, etymon ex ritu immolandi hostias a Varrone propositum mirifice rem explicat; & ex eo ipsi etiam Popae dicti sunt *Agones*. Scrupulus tamen adhuc restat. Si quaelibet hostia dicebatur *Agonia*, ex eo quod praemissa semper formula *Ago ne?* mactabantur: cur *Agonia*, seu *Agonalia* appellabatur prae reliquis huius diei festum? Fortassis, quia tunc ad exemplum huiusmodi ritus Rex ipse sacrorum hostiam immolabat. Favet coniecturae, quod Numa, qui sacrorum rituum leges praescripsit primus, Agonaliorum quoque repertor exstiterit. *Antias Agonaliorum repertorem Numam Pompilium refert*, ait Iulius Modestus *de Feriis* apud Macrobium (*a*). Ceterum in iure Pontificio alia etiam sacrificia eodem nomine fuisse appellata constat; Masurius enim, eodem Macrobio teste, scripsit secundo suorum Fastorum libro: *Liberalium dies a Pontificibus Agonium martiale appellatur*. Et Varro (*b*) de eodem Liberalium festo sic ait: *In libreis Saliorum, quorum cognomen Agonensium, forsitan hic dies ideo appellatur potius Agonia*.

10. *Lin.* HAEC NOTA . . . .] Verrius hic explicabat, quid apposita huic diei nota EN significaret. Significabat autem dies *intercisos*, de quibus sic Varro (*c*): *Intercisi dies sunt; per quos mane, & vesperi est* NEFAS: *medio tempore inter hostiam caesam, & exta porrecta* FAS, *a quo, quod Fas tum intercedit, intercisi dies, aut quod tum intercisum Nefas. Dies igitur intercisi Deorum, hominumque communes sunt*. Ex hac Varronis expositione, & ex iis, quae superius de Fastis, Nefastisque diebus dicta sunt, facile est supplere sensum verborum, quae in hoc fragmento sine sensu leguntur Scripsit Verrius EN pro IN, more antiquo. Vid. Quintilianum *lib.6.*, & 7.

10. *Lin.* TI. CAESAR] Sic semper in nostris tabulis inscriptus est Tiberius. Leve erit si notem illud Plutarchi (*d*): *Non integra scribunt Romani praenomina, sed aut unica littera, ut Titum . . . . aut duabus, ut Tiberium*; & Probum dicere huius vocis notam esse TI., vel TIB.: sed profecto haud leve esse puto animadvertere, cur Verrius *Imperatoris* praenomen Tiberio tribuere praetermiserit in iis etiam notis, quas de illo iam imperante Fastis suis adiici curavit. Itaque scias oportet, quod Tiberius, Svetonio teste (*e*), *praenomen* IMPERATORIS, *cognomenque Patris Patriae, & civicam in vestibulo coronam recusavit*. Et Dio narrat (*f*), quod mortuo Augusto *statim* Tiberius *ad exercitus, & provincias tamquam Imperator litteras Nolae dedit*, IMPERATOREM *tamen se non appellans, nam id nomen cum aliis sibi decretum non adsumpserat*. Et rursus: *Neque Dominum se ab homine libero, nec* IMPERATOREM *nisi a militibus vocari patiebatur*; nempe secundum veterem morem, non praenominis, sed cognominis loco, qua ratione in nummis invenitur dictus Imperator IIII., Imp. V., Imp. VI., Imp. VII., Imp. VIII., quod postremum contigit victis a Germanico cum Arminio Cheruscis an. U. C. 769., teste Tacito Annalium libro secundo. Praeterea cave Harduinum (*g*) fingentem, quod Tiberius Caesaris cognomen assumpserit statim ac nuptum accepit Iuliam Augusti filiam; certum est enim assumpsisse postquam eum Augustus in filium adoptavit post annos circiter quindecim, tum cum fato functi essent in flore iuventae Caesares Caius, & Lucius. Et profecto inter caussas, ob quas Tiberius Rhodum secessit, hanc ipsam numerat Dio (*h*), quod non fuisset ab Augusto Caesar renuntiatus per adoptionem, prout renuntiati fuerant Caius, & Lucius nepotes. Ceterum quid nam Verrius ad hunc diem de Tiberio adnotaverit, divinare non ausim.

11. *Lin.* KARM.] *Carmentalia* hac die indicuntur etiam in omnibus aliis Calendariis, & in Fastis Ovidii Calendarium Vindobonense habet: *Dies Carmentariorum*. Calendarium Maffaeiorum adponit notam NP. Erant autem *Carmentalia* Feriae stativae, *populi* nimirum *universi communes, certis, & constitutis diebus, & mensibus,* *& in*

(*a*) Lib. 1. cap. 4.
(*b*) Varro de L.L. lib. 5.
(*c*) Idem ibid.
(*d*) Quaest. Rom. q. 101.
(*e*) Sveton. cap. 26.
(*f*) Dio lib. 57. §. 2.
(*g*) Select. Op. pag. 694.
(*h*) In Excerptis pag. 662.

& in Fastis statis observationibus adnotatae, prout huius generis ferias describit Macrobius (*a*); & Varro (*b*), *Carmentalia*, inquit, *nominantur*, *quod sacratum*, [al. *sacrum*] *& feriae Carmentis*; quo dicendi modo fortassis indicare voluit, quod eadem vox *Carmentalia* significabat tum *ferias* Carmentis, tum quae in iisdem feriis faciebant sacrificia. Porro haec vox in nostro marmore scripta est cum littera K pro C, & fortassis ad indicandam remotissimam festi antiquitatem. Favorinus apud Gellium (*c*), ut exprimeret antiquis, obsoletisque verbis in dicendo uti, hanc adhibet phrasim: *quasi cum matre Evandri loqui*. Demum notes velim Diomedem Grammaticum scripsisse: *K consonans muta supervacua, qua utimur, quando a correpta sequitur, ut Kalendae, Kaput, Kalumnia*: sed eum desipere ex nostro marmore constat; nec desunt nummi, & saxa, ubi legitur Kartago, Karus, Karissimus, Kastra &c.

11. Ian. FVTVRA OB QVAM CAVSS . . .] Verrius hic attulerat rationem, cur haec Dea appellaretur *Carmenta*. Scilicet Nicostrate, quam Dionysius (*d*), & Plutarchus (*e*) *Themin* nominant, Evandri Regis mater, divinando canebat FVTVRA, OB QVAM CAVSSAM appellata est *Carmenta*, seu mavis *Carmentis*, ducto a carminibus nomine. Audi Servium (*f*): *Antique vates* CARMENTES *dicebantur, unde etiam librarios, qui eorum dicta perscriberent, Carmentarios nuncupatos*. Contra Plutarchus (*g*) coniicit vates ita fuisse dictos, quasi *carentes mente*, quia extra se rapti praedicebant futura: oracula vero, ac vaticinia dicta fuisse carmina, quia a *Carmentibus* fusa. Neque abs re erit audire Varronem (*h*) docentem, quod veteres Latini S ante M & N ponere consueverunt, & quod priscum vocabulum fuit *Casmena*, ex quo, ut in aliis factum est vocibus, S in R commutata, prodiit vox *Carmena*, deinde *Carmina*, & tandem, R postea extrita, *Camena*. Sed his missis, quae ad Grammaticos pertinent, si tibi huius *vatis faticidae*, ut eam Virgilius (*i*) appellat, nosse placet fabulam, legesis Ovidium. Mihi satis est adnotare, fuisse ei aram antiquitus ad radices Capitolii versus Tyberim constitutam, ubi nimirum cum Evandro filio, domo profecta, consedisse dicebatur, & ubi processu temporis fanum quoque, seu mavis cum Ovidio, & Festo (*k*) dicere, *Sacellum* dedicatum est ei a Matronis Romanis, veluti in gratiarum actionem, iure Carpentorum accepto. Locus, seu ipsa illa ara, *Saxum Carmentis* olim dictus est; & quae erat ei propior porta Urbis, *Carmentalis*; quae porta deinde appellata est *Scelerata*, hoc est infausta, quod *Illâ, fama refert, Fabios exisse trecentos* (*l*), quos omnes ad amnem Cremeram *perdidit una dies*. Demum ex Cicerone (*m*) discimus *Carmenti* adsignatum fuisse peculiarem Flaminem, quem *Carmentalem* dicebant, & qui ex gente plebeia eligebatur. En Ciceronis testimonium: *Licet aliquid etiam de M. Popillii ingenio suspicari, qui cum Consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum laena faceret, quod erat Flamen Carmentalis, Plebei contra Patres concitatione, & seditione nunciata, ut erat laena amictus ita venit in concionem, seditionemque tum auctoritate, tum oratione sedavit*.

11. Ian. OMINE MORTICINO . . .] Varro (*n*) *In aliquot*, inquit, *sacris, ac sacellis scriptum habemus, ne quid scorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adsit*. Unum ex his sacellis fuisse videtur Sacellum Carmenti dicatum, sic enim de illo Ovidius (*o*):

Scortea non illi fas est inferre sacello,
Ne violent puros exanimata focos.

Quid vero essent morticina, seu exanimata exponit Servius (*p*), ubi docet, quod *Flaminicae non licebat neque calceos, neque soleas morticinas habere*; & inde subdit: *Morti-*

B

(*a*) Macrob. lib.I. 16.
(*b*) Varro de LL. lib.v.
(*c*) Lib.I. cap.10.
(*d*) Dionys. lib.I.
(*e*) Plutarch. in Problem.
(*f*) Servius in lib.8. Aen. v. 336.
(*g*) Plutarch. in vita Romuli.
(*h*) Varro de LL. lib.7.
(*i*) Aen. 8. v. 340.
(*k*) Festus v. *Scelerata Porta*.
(*l*) Ovid. Fast. II. v.203.
(*m*) Cic. in Bruto cap.14.
(*n*) Varro de LL. lib. 4.
(*o*) Ovid. Fast. I. v. 629.
(*p*) In lib. Aen. IV. v.518.

Morticinae autem dicuntur, quae de pecudibus sua sponte mortuis fiebant. Caussam superstitionis indicat Festus: *Mortuae pecudis corio calceos, aut soleas fieri Flaminicis nefas habetur, sed aut occisae alioqui, aut inmolatae, quoniam sua morte extincta omnia funesta sunt.* Sic in editis, sed malim legere *omine funesta sunt*: similiter enim idem Festus (*a*) caussam exponens, cur porta Carmentalis appellaretur a quibusdam *Scelerata*, scribit: *qua ex caussa factum est, ut ea porta intrare, egredive* OMEN *habeatur*.

11. *Ian.* AB ROMVLO ET IANVM . . . . AVGVSTVS] Forte: *Ianum Geminum*, AB ROMVLO ET IANVM *Quirinum appellatum*, *claudit* AVGVSTVS. Ex Senatus Consulto, quod integrum refert Macrobius (*b*), compertum est, *mense Sextili* ab Augusto Caesare *Aegyptum in potestatem P. R. redactam fuisse, finemque bellis civilibus impositum*; sed Dio testatur (*c*), quod sequentis anni primo mense Ianuario, ipso Caesare Aug. v., & Sext. Apuleio Coss., postquam nuntiatum esset Romam etiam de rebus Parthicis [missos nempe fuisse a Phraate legatos ad Augustum, & a Tiridate ipsum Phraatis filium pro obside] tunc Senatum, pluribus Augusto decretis honoribus, hoc etiam addidisse, ut portae Iani clauderentur, quasi omnibus bellis confectis. Quo die hoc factum fuerit ex Verrio nunc primum disce, id enim mihi indicare videntur superstites litterae ET IANVM . . . AVGVSTVS. Nec te detineat Orosius (*d*) scribens, Augustum VIII. Idus Ianuarias, ipso v., & L. Apul. Coss., urbem triplici triumpho ingressum esse, ac tum primum Iani portas clausisse, eodemque die *Augusti* titulo consalutatum esse; quia Orosius in unum diem, & annum cumulat, quae diversis temporibus gesta esse constat. Et quidem quod Caesar Augustus triumphos tres in urbem intulerit non mense Ianuario, sed mense Sextili, ex supralaudato S. C. apud Macrobium constat; & quod *Augusti* nomen biennio post, ipsius VII., & Agrippae III. Consulatu acceperit, hoc ipsum nostrum Calendarium inferius testatur (*e*). Nec mirere, quod Verrius adnotaverit diem, quo Ianus post U. C. tertium clausus certae pacis argumentum dedit. Gratissimum hoc fuit Augusto, & de hoc sibi ipsemet gloriatur in marmore Ancyrano his verbis: CVM A CONDITA VRBE IANVM QVIRINVM BIS OMNINO CLAVSVM FVISSE PRODATVR TER ME PRINCIPE CLAVDENDVM ESSE SENATVS DECREVIT. Ubi notes velim, Augustum rectius locutum esse ac Svetonium (*f*), qui in vita Augusti scribit: *Ianum Quirinum semel, atque iterum a condita urbe, memoriam ante suam, clausum in multo breviore temporis spatio, terra, marique pace parta, ter clausit*; nam etsi, Augusto imperante, Senatui ter placuit decernere, ut Ianus clauderetur, bis tamen est clausus, primum post bellum Actiacum, iterum post Cantabricum. Quod vero tertio latum est S. C. de claudendo Iano, quia videbatur Drusi, Tiberii, & Pisonis ductu, Augusto auspice, confectum esse late per orbem universum quodcumque bellum, improvisa Dacorum in Pannoniam irruptio, ac Dalmatarum defectio interceperunt. Nec me praeterit narrare Dionem (*g*) eos motus a Tiberio fuisse pacatos, & interim Drusum Germanos, & Chattos subegisse, ac deinde rediisse Romam cum Augusto, & tunc adimpleta fuisse, quae decreta fuerant propter victorias; ex quibus Massonius arguit fuisse etiam tunc tertio Ianum clausum; sed coniiciendo hoc arguit, nec ulla alia probabili confirmat ratione.

11. *Ian.* IANVM . . .] Quem scilicet Velleius (*h*), Dio (*i*), Svetonius (*k*), Plinius (*l*), Florus (*m*), Capitolinus (*n*), aliique plures *Ianum Geminum*, Horatius vero (*o*), IANVM *Quirini*, & Svetonius (*p*), & Augustus in marmore Ancyrano *Quirinum* nominant, quae quidem fuit eius primaeva denominatio, ut colligitur ex Lege Opimorum spoliorum, quam Numa Rex edidit, & recitat Festus v. *Opima spolia*. Levis autem est eorum opinio, qui putant, pace terra, marique parta, omnia templa, quae Iano dicata erant Romae, claudere consuevisse. Unum certe ex ritu claudebatur, quod Plutarchus *Mar-*

(*a*) Fest. v. *Scelerata porta*. (*b*) Macrob. Sat. I. 12. (*c*) Dio 51. §. 20. (*d*) Orosius lib. 6. c. 20.
(*e*) Ad diem XIII. huius mensis. (*f*) Sveton. in Aug. 22. (*g*) Dio lib. 54. §. 36.
(*h*) Vell. II. 38. (*i*) Dio lib. 54. 2. (*k*) Sveton. in Ner. 23.
(*l*) Plinius XXXIV. 7. (*m*) Florus I. 2. (*n*) Capitolinus in Gord. 26.
(*o*) Horat. IV. 15. 9. (*p*) Sveton. in Aug. 22.

Martis ianuam dictum fuisse tradit, & *Sacellum* vocat Ovidius (*a*), & cui coniuncta erat ara, quae farra adoleret. Varro (*b*) loquens de portis Urbis: *Ianualis*, inquit, *dicta ab Iano, & ideo ibi positum Iani signum, & ius institutum a Numa Pompilio, ut scribit in Annalibus L. Piso, ut sit clausa semper, nisi cum bellum sit*. Erat hoc templum Iani bifore, ut ait Plutarchus; & ad infimum Argiletum positum, teste Livio (*c*), qui de Rege Numa scribit: *Ianum ad infimum Argiletum indicem pacis, bellique fecit: apertus, ut in armis esse civitatem, clausus, ut pacatos circa omnes populos significaret*.

11. Ian. TI. CAESAR . . .] En iterum, seu rem a Tiberio hoc die bene gestam, seu honorem ei vel a patre Augusto, vel a Senatu delatum Verrius adnotaverat.

13. Ian. LVDI] Numquid hic notabantur Ludi Tibicinum, qui, Plutarcho teste (*d*), hoc die, multa lascivia, ac licentia, muliebri habitu induti Urbem lustrabant? Anceps haereo; attamen crediderim potius Verrium notasse LVDOS, qui agebantur, quod eo die Caesar Octavianus *Augusti* nomine est auctus.

13. Ian. ID. IS . . .] Forte, EID. IS *dies appellatur*; detritae enim, & exolescentes litterae initiales horum trium versuum indicant mihi Verrium adnotasse, cui Numini sacer esset Iduum dies, & cur Idus appellaretur. *Omnes Idus Iovis ferias observandas sanxit antiquitas*, scribit Macrobius (*e*). Qua de re singulis Idibus seu agna, seu aries Iovi inmolabatur. Utriusque hostiae meminit Ovidius (*f*):

Idibus alba Iovi grandior agna cadit.

Et inferius (*g*):

Idibus in magni castus Iovis aede sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ovis.

Hinc autem haud temere visum est eruditis viris ovem ad aram stantem in nummo C. Trebonii, qui inter percussores Iulii Caesaris ab Appiano (*h*), & Dione (*i*) numeratur, Idus Martias significare posse, quas expresse nominatas legimus in insigni nummo M. Bruti, quod eo die Iulius Caesar interfectus est. Praeterea fortassis illud quoque Verrius adnotaverat, hanc hostiam proprio nomine dictam esse *Idulem*, ita enim Festus: *Idulis ovis dicebatur, quae omnibus Idibus Iovi mactabatur*. Quod vero ad nominis IDVS rationem pertinet, quis coniiciat, quam Verrius reddiderit? Quatuor recenset Macrobius (*k*), & hanc vero propiorem autumat, *ut Idus vocemus diem, qui dividit mensem, iduare enim Etrusca lingua dividere est*. Sic Idus *διχομήνιδα ἡμέραν diem dissectorem mensis* appellat Dionysius (*l*), & *qui mensem findit* Horatius (*m*). In nostro marmore sculptum est EID. secundum vetustiorem Romanam scripturam.

13. Ian. CORONA. QVER. . . . AVGVSTI. ONER. . . P. R. RES. . .] Caesar Octavianus, inito septimo Consulatu, VII. Idus Ian. scriptam orationem in Senatu recitavit, ut sibi Imperium deponere permitteretur, sed compulsus est retinere, & Senatus duplex stipendium futuris eius stipatoribus decrevit. Porro Caesar, ut popularis nihilominus videretur, Idibus Ianuariis, alteram de dividendis provinciis orationem ad Senatum habuit, professusque est omnes se illi provincias restituere, quae pacatae erant, retenturum vero, quae tumultuosae; qua de re Senatus decrevit, ut ante domum Caesaris in palatio lauri ponerentur, ac in fastigio CORONA QVERNA suspenderetur, quae illum cum hostium victorem, tum civium servatorem perpetuum declararent. En historia, quae ex superstitibus litteris a Verrio ad hunc diem commemorata intelligitur. Itaque CORONA QVER*na* ex S. C. superposita est domui Imp. Caes. AVGVSTI, ONER*osas* quod eo die recepit provincias, & pacatas *Populo* ROMANO RES*tituit*. Ovidius ad hunc ipsum diem cecinit:

Redditaque est omnis populo provincia nostro.

Et deinde *Coronae Quernae* meminit, Caesarem Germanicum sic alloquens:

Protegat & vestras QVERNA CORONA *fores*.

B 2 Huc

(*a*) Fast. I. 275. (*b*) Lib. 4. de LL. (*c*) Livius I. 19. (*d*) Quaest. Rom. quaest. 54.
(*e*) Saturn. I. 15. (*f*) Fast. I. v. 56. (*g*) Ib. v. 588. (*h*) App. Belli Civilis lib. 4.
(*i*) Dio lib. 44. p. 247. (*k*) Saturn. I. 15. (*l*) Dionys. lib. XI. (*m*) Hor. IV. 11., & 15.

Huc spectant nummi Augusti cum hac corona, & hisce litteris, OB CIVES SERVATOS; quae litterae in ipso etiam domus Caesaris fastigio, ubi illa corona suspensa est, inscriptae fuisse videntur, etenim eiusdem Ovidii sunt hi versus (*a*):

Caussa superpositae scripto testata coronae
SERVATOS CIVES *indicat huius ope*.

Eamdem historiam, ut creditur, signant etiam nummi Caesari Augusto dicati, qui habent seu aquilam inter duas lauros tenentem unguibus quercum, seu orbem inter duos lauri ramusculos cum litteris: PAX ORBIS TERRARVM S. P. Q. R. Qua vero ratione ea provinciarum divisio facta fuerit Caesarem inter, & S. P. Q. R., Dio, & Strabo (*b*) nos docent: & ob eam caussam a M. Cocceio Nerva cusus fuisse videtur aureus quidam nummus, quem ex Museo Ducis Arscotani in lucem protulit Goltzius in Fastis ad an. U. C. DCCXXXI. Verum Augustus, qui videri voluit quoddam sibi onus imposuisse eas in se recipiens provincias, quas vel in officio continere, vel a finitimorum incursionibus custodire oportebat, praetexit nomine consilium imperandi securius; etenim cum illae solum provinciae militaribus praesidiis munitae essent, quas vero Senatui provincias restituit sine milite, hinc ipse solus factus est arbiter universae militiae Romanorum.

14. *Ian.* VITIOSVS. EX. S. C. . . . EANDEM CAVSSAM . . . NIS. CALENDAS] Sic etiam in Fastis Maffaeiorum ad hunc diem legitur: *Vitiosus ex S. C.*; at Verrius adnotasse videtur ob quam caussam, addens, *ob* EANDEM CAVSSAM, ob quam superius adnotaverat vitiosos esse etiam omnes Calendarum, & Nonarum postriduanos dies. Hanc caussam ipsius Verrii verbis supra retuli. Audi nunc Livium (*c*): *Tum de diebus religiosis agitari coeptum in Senatu, diemque ad decimum quintum Calendas Sextiles duplici clade insignem [quo die ad Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Alliam cum exitio Urbis foede pugnatum] a posteriore clade Alliensem appellarunt; insignemque rei nulli publice, privatimque agendae fecerunt*. Et Cicero ad Atticum (*d*): *Maiores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnae, quam Urbis captae; quod hoc malum ex illo. Itaque alter* RELIGIOSVS *etiamnunc dies, alter in vulgus ignotus*; ex quibus constat, quod in Fastis *dies vitiosus* dicitur, quem Livius, & Cicero *religiosum* vocant. Ciceroni, & Livio concinit Gellius (*e*): *Religiosi*, inquit, *dies dicuntur tristi omine infames, impeditique, in quibus & res divinas facere, & rem quampiam novam exordiri temperandum est*. Qua de re scribit Tacitus (*f*): *Funesti ominis loco acceptum est, quod maximum Pontificatum adeptus Vitellius de caeremoniis* XV. *Kal. Aug. edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi, Alliensique cladibus*.

14. *Ian.* . . . NIS CALENDAS] Ita etiam superius ad alterum huius mensis diem: *postridie* OMNIS CALENDAS. Adde igitur harum tabularum auctoritatem iis, quas Norisius congessit in Cenotaphia Pisana *Diss*. IV. *cap*. 3.

15. *Ian.* KAR NP.] In Kalend. Maffaeiorum CAR. sine alia nota. In Kalend. Vindobonensi *Carmentaria*.

FERIAE. CARMENTI. OB. EANDEM. CAVSSAM . . . III. IDVS. HERCVLES. DICITVR. INSTITVIS . . . SI. FIDENAS. EO. DIE. CEPISSIT] Itaque non per quinque continuos dies *Carmentalia* agebantur, sed III. Idus Ian., & inde iterum post quinctum diem. Ricquius (*g*) perperam tribuit Gellio, quod tradiderit duas fuisse Deas Carmentas. Quas Gellius, atque adeo Varro apud Gellium (*h*), *duas Carmentas* appellat, finxerunt Mithologi fuisse *sive sorores, sive fugae comites* Deae Carmentis; & eas Varro *Carmentas* appellat, hoc est fatidicas, quia earum unam praeteritarum rerum scientem, alteram praesciam futurarum dicebant. Illa ab Ovidio, & Servio *Porrima*, a Varrone *Prorsa*, seu *Prosa*, a Macrobio (*i*) *Antevorta*, altera vero apud omnes *Postverta*, seu *Postvorta* nominatur.

(*a*) Tristium lib. 3. el. 1. v. 47.
(*b*) Dio lib. 53., Strabo lib. 17.
(*c*) Livius lib. 6.
(*d*) Lib. 9. ep. 4.
(*e*) Lib. 4. cap. 9.
(*f*) Hist. lib. 2. cap. 21.
(*g*) Ricq. *de Capitolio* cap. 43.
(*h*) Lib. 16. cap. 16.
(*i*) Saturn. lib. 1. cap. 7.

natur; ex quibus nominibus ducta est, ut puto, superstitio, ut Romae eis quoque arae duae fuerint statutae *periculi deprecandi gratia*, quod instat mulieribus perversum partum enitentibus. Rei testem habes Gellium; & Ovidius nos docet, quod hoc die XIIX. Kal. Febr. mulieres eis supplicabant. Gruterus (*a*) hanc Inscriptionem apud Lingones repertam refert;

DEO . MERCVRIO . ET . POS
TVERTE . C. ANTIVS . TITI
FILIVS . EX . VOTO

15. Ian. SI. FIDENAS &c.] En nova, si bene memini, fabella innumeris aliis, quae de Hercule narrantur, fabulis adiicienda. Neminem latet a Diodoro tres (*b*), a Cicerone sex (*c*), a Varrone quadraginta tres, seu, ut habet Servius, quadraginta & quatuor Hercules numeratos; quibus & plures alii numerari possunt: *Tunc enim, sicut & Varro dicit: Omnes qui fecerunt fortiter, Hercules vocabantur; licet eos primo XLIIII. enumeraverit*. Ita Servius (*d*). Qua de re nescias profecto, an stomachum magis moveat nimia nuperi scriptoris miseria, qui pluribus voluminibus usque ad deridicula persequi sategit Herculis vitam, an vero inanis iactantia. Sed hoc obiter. Quod apposite adnotandum censeo, hoc est, constare ex Servio (*e*), quod secundum Verrium pastor quidam magnarum virium nomine Garanus dictus est Hercules, quia omnes magnarum virium, apud veteres, Hercules dicebantur. Eadem narrat Auctor *Originis gentis Romanae* (*f*) ex *lib.* I. *Annalium Cassii Heminae*, sed Recaranum eum pastorem nominat, non Garanum, quem praeterea Graecae originis fuisse dicit, & in Latium venisse regnante Evandro. Garanus, teste Verrio, *Cacum adflixit*, &, teste Cassio Hemina, *Aram Maximam* dedicavit. Nunc vero ex nostro marmore prodit etiam Carmentariorum auctor, & quod Fidenas oppugnaverit, ac ceperit. Fidenas antiquissimam fuisse urbem, & Albanorum coloniam tradit Dionysius. Romulus, si Livium audias, eam subegit, & coloniam eo deduxit, auctore Plutarcho, Idibus Aprilis.

15. Ian. CEPISSIT] Sic in marmore conversa littera E in cognatam I; & sic in Regis Romuli, & Tatii, & Servii Tullii legibus apud Festum v. *Plorare* habetur: VERBERIT, PLORASSIT, seu mavis PLORASSINT.

16. Ian. IMP. CAESAR &c.] Lege: IMP. CAESAR *Augustus est appellatus* IPSO VII. ET AGRIPPA *Cos.* Hoc autem fragmentum Ovidium explicat, Dionem confirmat, Censorinum emendat. Ovidius testari videbatur Caesarem Idibus Ianuariis, tum provincias P. R. restituisse, tum consalutatum esse *Augustum*, sic enim de illo die Germanicum adloquens cecinit:

Redditaque est omnis populo provincia nostro,
Et tuus Augusto nomine dictus avus.

Verum ex hoc Verrii testimonio ita est explicandus, ut intelligatur utriusque rei iunctim meminisse, non quia eodem dieutraque contigerit, sed quia *Augusto nomine* dictus est Caesar ob meritum, quo sibi S. P. Q. R. devinxit dividens cum S. P. Q. R. provinciarum imperium, de qua re orationem primum habuerat Idibus Ianuariis. Ceterum diversis diebus unum & alterum contigisse aperte tradit etiam Dio (*g*), si animadvertas scripsisse primum quod habita a Caesare de dividendis provinciis oratione Senatus decrevit, ut ante domus illius fores lauri starent perpetuae, mediaque suspenderetur in fastigio Corona Querna; deinde vero quod Caesar tum demum a Senatu, populoque appellatus est *Augustus* posteaquam, quae pollicitus fuerat, revera perfecit. Hoc alterum factum esse XVII. Kal. Februarias notat in hoc suo Calendario Verrius, & ex ante diem XVI. Kal. Febr. Censorinus (*h*), sed nemo non videt fidendum esse magis inscriptis in marmore litteris, & auctori synchrono, quam Censorino, qui suum *de Die Natali* librum scripsit ann. U. C. ex Palilibus 991. Ulpio, & Pontiano Coss., aut si mavis Codd. Mss., ex quibus Censo-

(*a*) Pag. L. n. 9.
(*b*) Diod. lib. 4.
(*c*) Cicer. de N. D.
(*d*) Aen. V. 564.
(*e*) Aen. VIII. v. 203.
(*f*) Cap. 6.
(*g*) Lib. 53. §. 16.
(*h*) De die Nat. cap. 21.

Cenſorini liber eſt editus. Chriſtianus Schlegelius in ſuo ad Theſaurum Numiſmaticum Andreae Morellii Commentario adnotavit (*a*), quod uti vix vocari poteſt in dubium annus, ita eo magis latet dies, quo Imp. Caeſar dictus eſt Auguſtus; quia nimirum apud Ovidium videbatur fuiſſe hic dies Idus Ian., & apud Oroſium VIII. Iduum Ian., & apud Cenſorinum XVI. Kalend Febr. Sed nunc ex Verrio, non modo annus, ſed dies quoque, quibus ea res facta eſt, certo conſtant. Porro ex eo, quod Caeſar ſe VII., & M. Vipſanio Agrippa III. Coſ. dictus eſt *Auguſtus*, nova ex Calendis Ianuariis huius anni exorta eſt annorum ſeries, quos Auguſtorum, & Auguſtanos Cenſorinus appellat (*b*), adnotans quod annus diei natalis, quem celebrabat, erat *eorum qui vocantur Auguſtorum* CCLXV. *perinde ex Kal. Ian. quamvis ex ante diem* XVII. (*c*) *Kal. Februarii Imp. Caeſar, D. F., ſententia L. Munati Planci, a Senatu, ceteriſque civibus Auguſtus appellatus eſt, ſe* VII., *& M. Vipſanio Agrippa* III. *Coſſ.* His autem Cenſorinus ſubiungit: *Sed Aegyptii, quod biennio ante in poteſtatem, ditionemque populi Romani venerunt, habent hunc Auguſtorum annum* CCLXVII. Scilicet, ut eam temporis notam, ſecundum propoſitum ſuum, lucidiſſimam faceret, animadvertendum hoc quoque cenſuit, Auguſtanos nempe annos diverſimode ab Aegyptiis numeratos eſſe; non quia ipſi nominis inventores fuiſſent, & eo uti coeperint antequam illud Imp. Caeſari Senatus detulerit, ſed quia rem potius quam nomen conſiderantes conſueverunt proceſſu temporis nominare annos Auguſtanos quotquot numerabant annos ſubiectionis ſuae Imperatoribus Romanis, qui Auguſti dicebantur. Demum indictum nolo, *Auguſti* nomen Imp. Caeſari adeo placuiſſe, ut inde perpetuo uſus eo fuerit. Viſus eſt enim adhuc vivens eo nomine veluti conſecratus; qua de re Graeci vocem *Auguſtum* voce σεβαςὸν reddidere, qua hominem ſignificarent, quaſi Numinis maieſtate colendum, ut Dio (*d*), & Pauſanias (*e*) expoſuere.

16. *Ian.* CONCORDIAE AV.... A EST P. DOLABELLA C. SILANO COS] CONCORDIAE AV*guſtae aedes dedicat*A EST P. DOLABELLA C. SILANO COS. Dedicationis Aedis Concordiae meminit hac die etiam Ovidius, ſed ex noſtro marmore annus etiam innoteſcit, quo dedicata eſt. Conſules P. Cornelius Dolabella, & C. Iunius Silanus ſignant an. U. 762. Quod ſi in ſequentem Conſulatum M. Aemilii Lepidi, & T. Statilii Tauri eam dedicationem reiecit Dio, aut erraſſe dicendum eſt, aut ita interpretari oportet, ut ſignificare voluerit, quod ſub ſequentibus Conſulibus inſcripta fuerint Aedi Concordiae nomina Tiberii, & Druſi. Dionis verba haec ſunt (*f*): *Anno ſequenti Tiberius Aedem Concordiae ſacravit inſcripto ſuo, & fratris Druſi, quamvis vita functi, nominibus.* Porro quia plures erant in Urbe Aedes Concordiae, idcirco Verrius appoſite addidit *Auguſtae*, quae huius aedis praecipua erat denominatio, tum quod illi inſcripta eſſent Caeſarum nomina ad eorum concordiam declarandam, tum etiam quod Tiberius una cum Livia Auguſta (*g*) eam reſtituiſſet. Ovidius (*h*) ſitum Aedis indicat, & antiquitatem, neque enim Tiberius novam aedem condidit, ſed a Furio Camillo iampridem aedificatam inſtauravit, prout in Senatu ante multos annos exequi promiſerat Conſulatum iniens cum Cn. Piſone (*i*). Aedis ſtructuram ob oculos ponit Tiberii nummus apud Spanhemium (*k*). Veſtigia exhibet Donat. *de Urbe Roma* II. 14., & plura de eius ſitu diſputat Nardinus *lib.* V. *cap.* 6.

16. *Ian.* TI. CAESAR EX PA.... AVIT] Supple: TI. CAESAR EX *pannoniis triumph*AVIT. En dies hactenus ignotus, quo Tiberius in urbem reverſus, *iampridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis, Dalmatiſque egit triumphum*, ut loquitur Velleius (*l*). Ex Faſtis Capitolinis ſolummodo annus compertus erat, notantibus nomina Conſulum Germanici, & C. Fonteii, qui Magiſtratum geſſere anno ab U. C. 764. Praeterea ex teſtimonio Dionis (*m*) ſcimus, Tiberio decretum fuiſſe

(*a*) Tom. I. pag. 140. (*b*) Cap. 21., & 22. (*c*) In editis legitur XVI., ſed, ut notavi, vitioſe.
(*d*) Lib. 53. pag. 507. (*e*) In Lacon. lib. 3. §. 11. (*f*) Lib. 56. §. 25.
(*g*) Videſis Ovid. Faſt. I. 647. (*h*) Faſt. I. 641. &c. (*i*) Dio lib. 55. §. 8.
(*k*) Spanh. Diſſert. XIII. 648. (*l*) Vell. Paterc. lib. 2. §. 121. (*m*) Lib. 55. §. 17.

fuiſſe triumphum ex S. C. Corn. Dolabella, & Iun. Silano Coſs., ſed interceptus eſt ob adverſum ex Germania allatum nuntium, ut ipſe notat Dio (*a*), & deinde ob Varianam cladem biennio dilatus, ut notat Svetonius (*b*), qui Tiberii res in Pannonia, & Illyrico geſtas commemorans, ſcribit: *Quas ob res triumphus ei decretus eſt, multique, & magni honores. Cenſuerunt enim quidam ut Pannonius, alii ut Invictus, nonnulli ut Pius cognominaretur, ſed de cognomine interceſſit Auguſtus, eo contentum repromittens, quod ſe defuncto ſuſcepturus eſſet. Triumphum ipſe diſtulit, moeſta civitate clade Variana.* Deinde vero (*c*): *A Germania in Vrbem poſt biennium regreſſus, triumphum, quem diſtulerat, egit; proſequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetraverat; ac prius quam in Capitolium flecteret, deſcendit e curru, ſeque praeſidenti patri ad genua ſubmiſit.* Ad rei memoriam nummus cum Auguſti imagine percuſſus eſt, in cuius parte poſtica viſitur Quadriga triumphalis. Hic nummus renovatus deinde eſt etiam cum effigie Tiberii, eodemque typo, & hac epigraphe IMP. VII. TR. POT. XVII., quo anno nummus recuſus fuit, triumphum enim egerat accepta TR. POT. XIIII.

17. Ian. PONTIFICES . . . . .] Huic diei, & octo ſequentibus, nulla appoſita eſt nota in Calend. Maffaeiorum, & nihil hiſtoricum adſignat Ovidius, qui ſe ab Aſtronomicis expediens paucis, agit pluribus de Feriis ſementinis, conceptivas eas eſſe monens, non ſtativas, certo nempe diei adſignatas. In Calendario Caeſareo Vindobonenſi hoc die, & ſex ſequentibus, notantur LVDI PALATINI, quorum origo neſcio an repetenda ſit ab iis peculiaribus ludis, quos, teſte Dione (*d*), Livia in Palatio in honorem Auguſti per triduum fecit, & quos deinceps etiam exhibitos ſemper fuiſſe ab Imperatoribus idem teſtatur Hiſtoricus. Verum hi ludi, Verrii aetate, per triduum agebantur, & incipiebant ante diem XI. Kal. Febr., ut ex eo conſtat, quod C. Caligula occiſus eſt IX. Kal. Febr. cum ultimum celebraret eorum diem, quibus rem divinam Auguſto fecerat, teſtibus Dione (*e*), Svetonio (*f*), & Joſepho auctore ſynchrono (*g*). Quid igitur hoc die adnotaſſe Verrium putas? Ex iis, quae ſuperſunt verbis elicitur, quod tria adnotaverat; quoddam ſcilicet ſacrificium, ac lectiſternium, & dedicationes duas, quarum prior ab Auguſto, vel a Livia facta eſſe videtur, altera vero a Tiberio facta eſt in honorem ipſius Auguſti patris. Sed nullum ſupereſt verbum, quod certam hiſtoriam indicet. Quae coniectando proponam, an ſatis probabilia ſint, alii iudicent.

17. Ian. PONTIFICES . . . VIR. EPVLONVM VICTVMAS INMOLANT] Narrat Dio (*h*), quod quum Caeſar *Auguſti* cognomentum accepiſſet, ſequenti die Sextus Pacuvius tunc Tribunus Plebis, ut prae ceteris Caeſari gratificaretur, ſe ei in Senatu devovit, & hinc proſiliens, primo multitudinem foris ſtantem, deinde per compita, & angiportus circumiens etiam reliquos, ut ſe Auguſto devoverent, adegit; & tandem hoc quoque perfecit, ut omnes ſacrificarent ob hanc rem: καὶ ὁ μὲν καὶ θῦσαι ἐπὶ τούτῳ πάντας ἐποίει. Itaque fortaſſis ob eamdem cauſſam deinceps quoque hoc die victumas inmolare conſueverunt ſumma quatuor Collegia Pontificum, Augurum, XV Vir., & VII Vir. Epulonum.

INMOLANT] Hoc eſt hoſtias tangunt mola ſalſa, quo facto a miniſtris mactabantur. *Nam hoſtiae tanguntur mola ſalſa, & tunc inmolatae dicuntur; cum vero ictae ſunt, & aliquid ex illis in aram datum eſt, mactatae dicuntur.* Sic Varro in quodam Fragmento (*i*), ubi hoc etiam addit: *Cum illis mola ſalſa imponitur, dicitur,* MACTE ESTO. Porro nota hanc vocem cum elemento N a Verrio eſſe ſcriptam, & ride Grammaticorum ſequioris aevi animadverſionem: *IN praepoſitio ſi compoſita ſit, & P, aut B, aut M ſequatur, N in M convertit.* Ita Caſſiodorius ex Papiriano, & concinit Priſcianus auctoribus Plinio, Papiriano, & Probo. Idipſum memorat Quintilianus (*k*): *Eſt* IMMUNIS *illud* N, *quod veritas exigit, ſequentis ſyllabae ſono victum* [al. *iunctum*] M *gemina commutatur.* Vide Noriſium in Cenot. Piſ. *Diſs.*IV. *c.*6. A . . .

(*a*) Lib.55. §. 18. (*b*) Svet. in Tiberio cap. 17. (*c*) Id. ibid. cap. 20. (*d*) Dio lib.56. §.46.
(*e*) Idem lib. 59. §. 29. (*f*) Svet. in Calig. cap.56., & 58. (*g*) Ioſ. Antiq. lib.19.
(*h*) Dio lib. 53. §. 20. (*i*) Apud Porphyr. ad Sat.2. lib.1. Horatii. (*k*) Inſt. lib.1.

17. Ian. A . . . . AM DEDICAVIT] Cum plurima fuerint publica aedificia, & Deorum simulacra, quae Augustus dedicavit, ecquis certo supplere audeat hoc fragmentum? In tabulis Ancyranis ipse de se narrat, quod *octoginta templa Deûm in urbe refecit*. Et Svetonius (*a*) tradit, quod cum omnes Ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute eius stipem iacerent, itemque Kal. Ianuariis ei strenam in Capitolio etiam absenti darent, nec semel, ex hac summa pretiosissima Deorum simulacra mercabatur, & vicatim dedicabat. Quinetiam cum pecuniam ad imagines ei faciendas Senatus Populusque conferrent, eam potius in imaginibus Deorum ponendis, teste Dione (*b*), insumere consuevit.

17. Ian. DEDICAVIT] Haec vox, docente Festo, significat usui dicare, seu addicere; at si ampliorem quis velit eius habere notionem, adeat oportet luculentissimam Alexii Symmachi Mazochii de ea Diatribam singularem, quam adposuit *cap.* 3. Commentarii in Campani Amphitheatri titulum.

17. Ian. TI. CAESAR . . . . AVG. PATRI DEDICAVIT]. Tiberius, teste Svetonio (*c*), *Princeps opera nulla magnifica fecit, nam ea, quae sola susceperat, Augusti templum, restitutionemque Pompeiani theatri, imperfecta reliquit; quae deinde*, ut idem Svetonius alibi tradit (*d*), *Caligula absolvit*. Velleius quoque (*e*), laudes licet in Tiberium profundat, cautus tamen sic memorat curam ab eo susceptam aedificandi templum Augusto Patri: *Quam pia*, inquit, *magnificentia, superque humanam evecta fidem, templum Patri molitur!* Quod si Tacitus scribit (*f*), & templum Augusto, & scenam Pompeiani theatri Tiberium perfecisse, subiicit tamen, quod perfecta dedicare neglexit: *Ne publica quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto, & scenam Pompeiani theatri, eaque perfecta, contemptu ambitionis, an per senectutem, haud dedicavit*. Itaque haec intercisa Verrii nota neutrum ex his duobus publicis operibus, quae fecit; aut molitus est Tiberius, respicere potest. Dio tradit, quod Tiberius, ut suam ostentaret pietatem, & cultum erga Augustum Patrem, aedificia ab eo incohata perfecit inscripto in eis non suo, sed ipsius Augusti nomine, & quod statuas, & fana eidem vel a populis, vel a privatis facta, partim ipse dedicavit, partim sacranda alicui Pontificum iniunxit; sed ex his quoque, quae generatim a Dione dicta sunt, haud licet aliquid certi assequi, ex quo haec nota aut suppleri, aut illustrari queat. Legitur apud eumdem Dionem (*g*), quod *dum Augusto Romae sacrarium parabatur, auream ipsius imaginem in aede Martis, lecto impositam, collocaverunt, eique tribuerunt omnia, quae deinceps simulacro Delubri eius erant exhibituri*. Quis hanc statuam dedicavit? Numquid Tiberius hoc die?

27. Ian. AED. . . . . LLVCIS. DEDICA. . . .] Lege: AEDes *Castoris*, & POLLVCIS DEDICAta *est*; & fortassis addiderat Verrius, ut adsolet, Consules quoque anni indices, quorum nomina supplet Dio (*h*), qui huius dedicationis meminit M. Aemilio Lepido, & L. Arruntio Nepote Coss.: *Plebem*, inquit, *memoria Drusi solata est, idque etiam, quod Tiberius in dedicatione Aedis Castoris, & Pollucis non suum modo nomen, sed illius quoque nomen inscripsit*. Svetonius vero (*i*) hoc templum de manubiis Tiberium constituisse narrat: *Dedicavit & Concordiae Aedem, item Pollucis, & Castoris, suo, fratrisque nomine, de manubiis*. Ovidius (*k*) situm etiam illius indicat:

> *At quae venturas praecedit sexta Calendas,*
> *Hac sunt Ledaeis templa dicata Deis.*
> *Fratribus illa Deis fratres de gente Deorum*
> *Circa Iuturnae composuere lacus.*

Erant hi lacus in Regione VIII, unde P. Victor eamdem Regionem describens: *Templum Castorum ad lacum Iuturnae*.

FE-

(*a*) In Aug. cap. 57. (*b*) Lib. 54. §. 33. (*c*) Sveton. in Tib. cap. 47. (*d*) Idem in Calig. cap. 21. (*e*) Vell. lib. 2. §. 130. (*f*) Annal. lib. 4. 43. 3. (*g*) Dio. lib. 56. §. 46. (*h*) Dio lib. 55. §. 27. (*i*) Svet. in Tib. cap. 20. (*k*) Fast. I. v. 705.

29. Ian. FERIAE . . . IMP CAES. . . . MA. . . . MARINA. . . .] En alius dies feriatus, & ob rem aliquam ab Augusto bene gestam insignis, quam tamen nec Ovidius, nec quodlibet aliud Calendarium indicat. Dempsterus ex veteri, ut scribit, Calendario, huic diei ludos adsignat *Equiria*, sed huius nominis ludos bis Ovidius memorat, nempe III. Kal., & PR. Idus Martias. Consideranti mihi superstites in marmore litteras MA. . . . MARINA . . . . incidit suspectio, an forte Verrius hic adnotaverit, quam Augustus Consul XIII. exhibuit in Campo MA*rtio* mirificam Naumachiam, ubi plurimae tum fluviales, tum MARINA*e* naves conflixerunt; an potius aliquod aliud Neptuno dicatum seu sacrificium, seu spectaculum in Campo Martio, ea de caussa, quod Augustus *mare pacavit a praedonibus*. De utroque sibi Augustus plaudit in tabulis Ancyranis.

29. Ian. DIVVS CAESAR AD. . . . . AVGERETVR A. . . .] Lego: *Hunc & posterum diem* DIVVS CAESAR AD*didit ut* AVGERETVR A*nnus*. Neminem fugit, quod Iulius Caesar *annum ad cursum Solis accommodavit, ut trecentorum sexaginta quinque dierum esset*, quae sunt Svetonii verba (*a*). Praeterea compertum est ex Censorino (*b*), quod C. Caesar P. Max., suo III., & M Aemilii Lepidi Consulatu, diebus CCCLV. veteris anni *addidit decem, quos per septem menses, qui dies undetricenos habebant, ita distribuit, ut Ianuario, & Sextili, & Decembri bini accederent, ceteris singuli, eosque dies extremis partibus mensium adposuit, ne scilicet religiones sui cuiusque mensis a loco submoverentur*. Macrobius (*c*) hoc ipsum tradit explicatius: *Iulius Caesar*, inquit, *decem dies observationi veteri superadiecit . . . . additos hac ordinatione distribuit. In Ianuarium, & Sextilem, & Decembrem binos dies inseruit, in Aprilem autem, Iunium, Septembrem, Novembrem singulos. Sed neque mensi Februario addidit diem, ne Deûm Inferorum religio immutaretur. Et Martio, Maio, Quintili, Octobri servavit pristinum statum, quod satis pleno erant numero, idest dierum singulorum, tricenorumque; ideo & septimanas habent Nonas, sicut Numa constituit; quia nihil in his Iulius mutavit. Sed Ianuarius, Sextilis, December, quibus Caesar binos dies addidit, licet tricenos singulos habere post Caesarem coeperint, quintanas tamen habent Nonas, & ab Idibus illis sequentes Calendae in undevicesimum revertuntur, quia Caesar quos addidit dies neque ante Nonas, neque ante Idus inserere voluit, ne Nonarum, aut Iduum religionem, quae stato erant die, novella comperendinatione corrumperet. Sed nec post Idus mox voluit inferre, ne feriarum quarumque violaretur Indictio, sed peractis cuiusque mensis feriis locum diebus advenis fecit, &* IANUARIO, *quidem* QUOS DICIMUS QUARTUM, ET TERTIUM KALENDAS FEBRUARIAS, *dedit; Aprili sextum Kalendas Maias; Iunio tertium Kalendas Iulias; Augusto quartum, & tertium Kalendas Septembres; Septembri tertium Kalendas Octobres; Novembri tertium Kal. Decembres; Decembri vero quartum, & tertium Kal. Ianuarias*. Praeterea notat Macrobius, quod *Feriarum cuiusque mensis ordo servatus est, nam si cui fere tertius ab Idibus dies festus, aut feriatus fuit, & tunc ante diem sextumdecimum dicebatur, etiam post augmentum dierum eadem religio servata est, ut tertio ab Idibus die celebraretur*. Demum Macrobius animadvertit, quod Iulius Caesar *adiectos a se dies Fastos notavit, ut maiorem daret actionibus libertatem; & non solum nullum Nefastum, sed nec Comitialem quemquam de adiectis diebus instituit, ne ambitionem Magistratuum augeret adiectio*. Verum hoc postremum Iulii Caesaris propositum haud diu stetisse hoc ipsum Verrii Calendarium, necnon illud Maffaeiorum ostendunt, in quorum altero ante diem III. Kal. Febr. apposita est littera N, & in hoc Verrii nota NP.

30. Ian. FERIAE EX S. C. QVO . . . DIE ARA PACIS AVGVSTA . . . MARTIO DEDICATA . . ST. DRVSO . ET . CRISPINO . C. . . . .] Lege: FERIAE EX S. C. QVod *eo* DIE ARA PACIS AVGVSTA*e in Campo* MARTIO DEDICATA *e*ST DRVSO ET CRISPINO *cos*. Dedicatam fuisse hoc die Aram PACI AVGVSTAE compertum iam erat ex his Ovidii versibus (*d*):

C *Ipsum*

(*a*) Svet. in Iul. cap. 40.
(*b*) De Die Nat. cap. 20.
(*c*) Macrob. lib. I. Saturn. cap. 14.
(*d*) Fast. I. 709.

Ipsum nos carmen deduxit PACIS AD ARAM:
Haec erit a mensis fine secunda dies.

& quidem Pacis Augustae; ita enim Poëta prosequitur:

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
PAX *ades*;

post quæ Sacerdotes etiam excitat ad vota pro domo Augusti, per quem Pax aderat, suscipienda dicens:

Utque domus, quae praestat eam, cum pace perennet,
Ad pia propensos vota rogate Deos.

Verum quo loco haec Ara constituta, & quo anno eius dedicatio peracta fuerit, nunc primum ex Verrio innotescit. Consulatus Drusi, & Crispini signat an. U.C.744. Nec putes Verrio contradicere Calendarium Amiterninum, in quo ad diem IV. Non. Iul. haec nota legitur: FER. EX S. C. Q. E. D. ARA PACIS AVG. CONSTITVTA EST NERONE ET VARO COS., qui quatuor ante annos Consulatum gesserunt an. U.C. 740; hinc enim potius intelligere oportet, Senatum non semel decrevisse, ut Ara Pacis Aug. ob aliquam feliciter bene gestam ab Augusto expeditionem dedicaretur; unde factum esse arbitror, ut diversimode in nummis Augusti expressa reperiatur Ara, quam circumscriptae litterae Aram Pacis Augusti nominant. Verum ex collatione Verriani Calendarii cum Amiternino quid amplius colligo; Aras nempe PACIS AVG. ex S. C. constitutas fuisse capta occasione reditus Augusti Romam ex aliqua militari bene confecta expeditione, etenim Tib. Claudio Nerone, & P. Quintilio Varo Cos. rediit *rebus Gallicis*, *Germanicis*, *Hispanicisque omnibus confectis* (*a*); & Druso, & Crispino Coss. rediit ex Gallia postquam Tiberius Dacas, & Dalmatas rebellantes pacasset, & Drusus Chattos, aliasque Germanorum trans Rhenum gentes subegisset. At vero ubi reversus est C. Sentio, & Q. Lucretio Coss. an. U. C. 734., ut domesticos in Urbe motus compesceret, *Ara Fortunae Reduci* consecrata est, non *Paci*: & ille dies inter Ferias relatus est, & *Augustalia* appellatus. Tradit haec Dio (*b*), & confirmat Calendarium Amiterninum IV. Id. Octobr. Restant modo alia duo apud Dionem, quae perpendenda proponam. Alterum est eum narrare, quod Senatus ob reditum Augusti in Urbem Nerone, & Varo Cos. decreverat aram in Curia consecrare, & Augustum eum honorem recusasse. Cui Numini hanc aram Senatus decreverat? Fortunae ne Reduci, an Paci? Equidem puto Paci, & hoc solummodo Augustum recusasse, ut in Curia consecraretur, cum ex Calendario Amiternino constet consecratam esse in Campo Martio; ex quo factum fortasse est, ut deinceps quoque iterum iterumque ibidem aliae consecrarentur arae *Pacis Augustae*. Quod vero ad res pertinet Druso, & Crispino Coss. gestas, animadvertas velim eas magna ex parte apud Dionem desiderari, quia eius libros post quinquagesimum quartum aut mancos, aut breviatos habemus. Et quidem earum rerum historia a morte, & funere ipsius Drusi Consulis incipit, quae mors, & funus circa aestatem huius anni contigerunt. Qua de re haud mirum foret, si nihil ex Dione eliceretur, quo dedicatio arae PACIS AVG. his Coss. peractae confirmaretur. At nihilominus aliquid elici posse mihi videtur ex eo, quod sub finem libri quinquagesimi quarti Dio narrat (*c*), quod cum iterum Senatus, & populus pecuniam ad imagines Augusto faciendas contulerint, nullam ille sibi, sed Saluti publicae, Concordiaeque, & *Paci* posuit. Hanc igitur *Pacis* imaginem super aram *Pacis Aug* in Campo Martio ex S. C. dedicatam positam suspicor; nam etsi Dio historiam illic enarret rerum gestarum Q. Tuberone, & Paullo Fab. Coss. an. U C. 743. al.742., ita tamen enarrat, ut videatur loqui de re, quae postea contigerit, & quae plane convenit tempori, quo Augustus ex Gallia Romam rediit, sub initium nempe anni Consulatus Drusi, & Crispini.

(*a*) V. Dionem lib. 54. §. 25. & §. 36. (*b*) Idem §. 10. (*c*) Ibid. §. 35.

MAR-

MARTIUS

MARTIVS AB LATINORVM LANDI · ITAQVE · APVD
ALBANOS ET · PLEROSQVE VLOS · LA OS · IDEM · FVIT · ANTE
CONDITAM · ROMAM · VT · A TEM · ALII CR NT · QVOD · ET · SACRA
FIVNT · HOC · MENSE

D K · MART · NP

E VI F — FERIAE · MARTI · IVNONI · LVCINAE · EXQVILIIS
QVOD · EO · DIE AEDIS EI TA · EST · PER · MATRONAS
QVAM · VOVERAT · ALBI VEL · VXOR · SI · PVERVM
OVE · IPS

F V · C

G IIII C

H III C

A PR NP — F · I · OB — IMP · CAESAR · AVGVST · PONT
NIO · ET · VALGIO · COS · II · VIRI
OPVLVS · CORONATVS · FERIATVS

B NON — OVI · ARTIS · VEDIOVIS · INTER · DVO
VCOS

C VIII F

D C

E C — FERIAE · EX · S · C · Q TI CAESAR PONTIFEX · MAX · FACEST DRVSO ET
NORBANO

F

G

H

A

B

C

D

E

F XIIII QVINQ N
IN LATIO POST

G XIII — NARENTVR ARTIFICVM · DIES
AEDIS · IN AVENTINO · EO · DIE · EST
ACIVNT IN COMITIO · SALTV
TIFICIBVS · ET · TRIB · CELER

H XII

A XI

B X TVBIL NP — MARTI HIC DIES APPELLATVR ITA QVOD
IN ATRIO SVTORIO TVBI LVSTRANTVR
QVIBVS IN SACRIS VTVNTVR LVTATIVS
QVIDEM CLAVAM EAM AIT ESSE IN RVINA PALA
NCENSI A GALLIS REPERTAM QVA ROMVLVS VRBEM
INAVGVRAVERIT

C VIIII Q · R · C · F — HVNC DIEM · PLERIQVE PERPERAM
INTERPRETANTES PVTANT APPELLAR
QVOD EO DIE EX COMITIO FVGERIT
AM NEQVE TARQVINIVS ABIIT EX COMITIO
T · ALIO QVOQVE MENSE EADEM VNT
IGNIFICANT Q
A FIERI INDIC

D VIII

E VII

F

G

H

A C

B PR — LVNAE IN AVI

X XXI

MARTIUS

Mirum sane est nullum modo esse repertum marmoris frustum, in quo aliquid notaretur ad Februarium pertinens Ianuario, & Martio intermedium; sed plus iam ducentis annis in apricum venit pretiosum plane Fastorum mensis Februarii fragmentum, de quo pluribus egi in Praefatione. Martii fragmenta mox effossa haec sunt.

MARTIUS AB LATINORUM . . . .] Forte: AB LATINORVM *Deo Marte*. Censorinus (*a*): *Varro*, inquit, *Romanos a Latinis nomina mensium accepisse arbitratur. Auctores eorum antiquiores, quam urbem, fuisse satis argute docet. Itaque Martium mensem a Marte quidem nominatum credit, non quia Romuli fuit pater, sed quod gens Latina bellicosa.* Concinit Ovidius (*b*):

> *Et tamen ante omnes* MARTEM *coluere priores;*
> *Hoc dederat studiis bellica turba suis.*
> MARS *Latio venerandus erat, quia praesidet armis;*
> *Arma ferae genti remque decusque dabant.*

. . . LANDI . ITAQVE . APVD . ALBANOS ET . PLEROSQVE . . . VLOS . LA . . . . . . OS . IDEM . FVIT .] Hoc est: *Appel*LANDI ITAQVE APVD ALBANOS ET PLEROSQVE *pop*VLOS LA*tii mos* IDEM FVIT Nota Verrii prudentiam, ut indicet ex hac huius mensis appellatione, quae in usu erat apud Latinos ante Urbem conditam, factum esse, ut Romulus, qui a Marte ex Rhea genitum se esse iactabat, instituerit, ut Romani ab eo mense principium anni repeterent. Idem sensit Ovidius, ubi enumeratis populis, qui ante urbem conditam *Martium* dicebant hunc mensem, subiungit (*c*):

> *Romulus, hos omnes ut vinceret ordine saltem,*
> *Sanguinis auctori tempora prima dedit.*

Contra vero Macrobius Romulo tribuere videtur ipsam huius mensis appellationem, sic enim scribit (*d*): *Haec fuit Romuli ordinatio* [scilicet anni] *qui primum anni mensem genitori suo Marti dicavit*. Et post pauca: *Hanc Romuli fuisse asserunt rationem, ut primum quidem mensem a patre suo* MARTE, *secundum ab Aeneae matre Venere*, NOMINARET; *& hi potissimum anni principia servarent, a quibus esset Romani nominis origo; cum hodieque in sacris Martem patrem, Venerem genitricem vocemus*. Censorinus (*e*) utriusque sententiae meminit, & primam, quod nempe Romulus nomina mensibus fecerit, Fulvio, & Iunio tribuit, alteram vero, quod Romani mensium nomina a Latinis acceperint, Varroni. Fulvium Flaccum, & Iunium Gracchum nominat etiam Varro (*f*), sed eis hoc unum adtribuit, quod senserint secundum mensem fuisse dictum *a Venere, quod ea sit* Αφροδίτη. Isidorus (*g*)

C 2 mavult

(*a*) De die Natali cap. 22.
(*b*) Fast. lib. I. v. 79.
(*c*) Ibid. v. 97.
(*d*) Saturn. lib. 1. cap. 12.
(*e*) De die Natali cap. 22.
(*f*) De L. L. lib. 5.
(*g*) Isid. lib. v. Orig. cap. 33.

mavult hunc menſem dictum eſſe Martium, quod *eo tempore cuncta animantia ad marem aguntur, & concubendi voluptatem*.

ET . PLEROSQVE . . . . VLOS . LA . .] Lege ; ET PLEROSQVE *popvLOS* LATII. Hos populos enumerat Ovidius (*a*), & rei teſtes advocat vetuſtiores eorum Faſtos:

Quod ſi forte vacat peregrinos inſpice Faſtos,
Menſis in his etiam nomine Martis erit.

Sunt autem populi, quos Ovidius enumerat, Albani, Faliſci, Hernici, Aricini, Tuſculani, Laurentes, Aequicoli, Curenſes, Peligni.

. . . OS IDEM FVIT] Lege *mos* IDEM FVIT; Vox enim MOS veluti ſacra habebatur; exprimebatque inſtitutum quodlibet conſuetudine firmatum, ut docet Feſtus: *Mos eſt inſtitutum patrium pertinens maxime ad religiones, caeremoniaſque Deorum antiquorum*. Livius (*b*) apud Cenſorinum (*c*): *Eodem anno Ludos Saeculares Caeſar ingenti adparatu fecit, quos centeſimo quoque anno* [*is enim terminus ſaeculi*] *fieri* MOS.

VT A . . TEM ALII CR . . . NT QVOD EI SACRA FIVNT HOC MENSE] VT AVTEM ALII CR*edv*NT QVOD EI [h. e. Marti] SACRA FIVNT HOC MENSE. Marti ſacra faciebant menſe Martio Sacerdotes Salii, quos Numa, XII. ſeligens decore conſpicuos iuvenes e Patriciis (*d*), inſtituit. Hoc Sacerdotium deinceps quoque nobiliſſimi Romanorum ſemper exercere conſueverunt. De *Saliis Martis Sacerdotibus apud Romanos* librum ſingularem edidit Thobias Gutberlethus I. C. recuſum a Poleno tom. v. novi ſupplementi utriuſque Theſauri Romanarum, Graecarumque Antiquitatum.

1. *Mart.* FERIAE MARTI] In Calendario veteri Faſtis Ovidii praefixo: *Feſtum Martis, & Iunonis. Ancilia feruntur*; unde conſtat Grammaticum huius Calendarii Auctorem ex Ovidio collegiſſe ea die Ancilia moveri ſolita; & miror quod Carolus Neapolis exiſtimaverit Ovidium dicere, quod Ancilia v. Nonas Martias movebantur. Porro hoc feſtum, quod etiam *Ludi Martiales* dicebatur, ut ex Svetonio colligitur, Polybius (*e*) *per dies triginta*, Dionyſius vero Halicarn. Verrio coaevus indefinite per plures dies ἐπ᾽ πολλὰς ἡμέρας continuatum dicit; quae ſententiae primo intuitu diſcordes conciliari facile poſſunt, ſi ex eis hoc deducas, Salios per totum hunc menſem, non tamen ſingulis huius menſis diebus conſueviſſe per urbem ire canentes carmina cum tripudiis, ſolemnique ſaltatu, & manſiones, ubi Ancilia deponebant, mutantes, ſed ſolummodo diebus quibuſdam ſtatis, & quos illos fuiſſe puto, ad quos Calendaria hanc notam adponunt: FERIAE MARTI. Haec autem nota in hiſce noſtris Calendarii Praeneſtini fragmentis legitur ad Calendas Martias, & a. d. x. Calendas Aprilis; in fragmento autem alterius marmorei Calendarii mox caſu reperti, Pridie Idus Martias, & a. d. XIV. Calen. Aprilis: demum in Calendario Vindobonenſi notatur VII. Idus Martias, *Arma Ancilia movent*; & Pr. Idus, *Mamuralia*. Quod Pr. Idus Martias Ancilia ſeu deponerentur, ſeu a VII. Idus depoſita manerent in domo Pontificis Maximi, teſtatur etiam Dio (*f*), nam inter prodigia, quae praeceſſiſſe dicebantur patratam Idibus Martiis Iul. Caeſaris caedem, hoc memorat, quod *arma Martis, quae ſecundum inſtituta maiorum tunc apud eum, utpote ſummum Pontificem, repoſita erant, noctu ſonitum dederunt*. Quomodo vero per urbem circumferrentur Ancilia oſtendit vetus gemma (*g*), in qua ſculpti ſunt Saliorum Miniſtri Ancilia contis ſuſpenſa ſuſtentantes; & quod ſingulis feſti diebus diverſis in manſionibus reponerentur, ubi Salii ſe nocte recipiebant, teſtatur Feſtus, ex quo etiam diſcimus, quod eis *per omnes dies* [ſeu mavis legere auctore Cupero per *omnis dies*, erant enim hi

(*a*) Ovid. v. 87.
(*b*) Lib. 136.
(*c*) Cap. 17.
(*d*) Dionyſ. Halic. lib. Antiq. Rom. 2.
(*e*) In excerpt. legation. cap. 23.
(*f*) Lib. 44. §. 93.
(*g*) Apud Auguſtinum Gemm. antiq. Tom. I. pag. 152.

hi dies ominosi, & habebatur infaustum quicquid motorum Ancilium tempore susciperetur (*a*)] *ubicumque manent, quia amplae ponuntur coenae, si quae aliae magnae sunt*, SALIARES *appellantur*. Demum, cum dies festi expleti essent, reponebantur Ancilia in sacrario Martis, nec fas erat loco movere, & ea circumferre nisi recurrente Martio, ex quo ritu *Arma Annalia* dicebantur (*b*). Claudebat autem hos festos dies sumtuosum Saliis apparatum in aede Martis prandium (*c*), qui post epulum in pulvinar Martis detractas capiti suo coronas coniiciebant, uti constat ex Iulio Capitolino in vita Imp. Antonini, qui fuit in eo Sacerdotio & Praesul, & Vates, & Magister. *In Saltatu*, scribit biographus, *omen accepit Imperii. Coronas omnibus in pulvinar ex more iacientibus aliae aliis locis haeserunt, huius, velut manu, capiti Martis aptata est*. Gutberlethus censet ultimum horum *Ludorum Martialium* diem *Mamuralia* appellatum fuisse, quia Ovidius cecinit Mamurium proposuisse, ut eius nomen in extremo Saliari carmine sonaret (*d*):

Tum sic Mamurius: merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine nostra sonent.

ideoque variatum videri eorum ludorum tempus, cum *Mamuralia* Pr. Idus Martias notentur in Calendario Vindobonensi. Verum haud video quomodo id elici ex Ovidio queat, quasi Carmen Saliare per partes divideretur, quae singulae variis statutis diebus canerentur, etsi hoc sensit, dubitanter tamen, & certe nullam coniectationis suae rationem reddens, Gisbertus Cuperus (*e*). Equidem eum diem *Mamuralia* dictum fuisse malim, quia speciali ritu, & forte apud Pontificem Maximum, Sacerdotes Salii peltas virgis percutiebant ad instar fabrorum aes, & ferrum malleantium. Coniecturae huic meae favet Servius, ubi de Ancili, quod de caelo lapsum fuisse dicebatur, sic loquitur (*f*): *Ne aliquando posset auferri* [caeleste nimirum illud Ancile] *aut ab hoste cognosci, per* MAMURIUM *fabrum multa similia fecerunt, cui & diem consecrarunt, quo peltam virgis feriunt ad artis similitudinem*. In libris editis ex vitiosis Codicibus *pellem* irrepserat, & Cupero plaudas oportet, quod *peltam* feliciter restituerit. Iamvero, ut vides, nullatenus indicat Servius, quod *Mamuralia* postremus esset dierum, in quibus Ancilia circumferebantur, sed quod dies ille esset, in quo speciali quodam ritu Salii peltas virgis feriebant ad imitationem artis fabrilis, quam Mamurius exercuerat. Ceterum singulis diebus, in quibus movebantur Ancilia, procedebant Salii accincti gladio, & peltam Thraciam gestantes, quam aut lancea, aut virga percutiebant, ut testatur Dionysius, sed modo duce Servio facile intelliges Dionysium ita esse locutum, quia Salii Mamuraliorum die virgis, aliis vero diebus peltas suas ferire lanceis solebant, seu, ut loquitur Plutarchus, ἐγχειριδίοις μικροῖς *minutis pugionibus*.

1. Mart. IVNONI LVCINAE EXQVILIIS] Aedis Iunonis Lucinae in Exquiliis meminit etiam Varro (*g*), ubi de Exquiliis loquitur, quarum pars in sacris mons Cispius dicebatur: *Cispius*, inquit, *mons septiceps apud Aedem Iunonis Lucinae, ubi aeditimus habere solet*. Vocant eam aedem *Templum* P. Victor, & P. Rufus, regionem quintam, seu Exquilinam describentes; & vulgo fertur fuisse, ubi nunc extollitur Templum S. Mariae Maioris, in quo, cum reficeretur ann. 1748., inventum est pavimentum antiquo musivo opere flores exprimente contextum, creditumque Aedis Iun. Lucinae. Verum Ovidius (*h*) Lucum Lucinae sub Exquilio monte situm fuisse nos docet:

Monte sub Exquilio multis incaeduus annis
Iunonis magnae nomine Lucus erat.

Et

(*a*) V. Livium lib. 32.; & 37. Tacitum Hist. I. 80., Svetonium in Othone 8., Polybium excerpt. Leg. XXIII.
(*b*) Ita Cuperus lib. 4. Observ. cap. 1. in antiquo lapide legit apud Gruterum pag. CLXXII. 5.
(*c*) Svet. in Claudio cap. 4., & 33.
(*d*) Ovid. Fast. 3. v. 390.
(*e*) Observ. lib. 4. cap. 2.
(*f*) Servius Aen. 7. v. 188.
(*g*) De L. L. lib 4.
(*h*) Fast. II. v. 435.

Et ab eo Luco Iunonem dictam esse Lucinam subiungit (*a*), quae est etiam Plinii (*b*) sententia:

Gratia Lucinae; dedit haec tibi nomina Lucus,
Aut quia principium tu, Dea, lucis habes.

Ex quibus Nardinus (*c*) coniecit Lucum, & Aedem Iunonis Lucinae situm fuisse haud longe ab Aede S. Laurentii in Panisperna, seu S. Pudentianae.

1.*Mart.* QVOD EO DIE AEDIS EI ..... TA EST PER MATRONAS] Ovidius quinque recenset caussas, cur Matronae Calendis Martiis, quas hinc *femineas* nuncupat Iuvenalis (*d*), & *Matronales ferias* Tertullianus (*e*), festum illud agerent, quod *Matronalia* dictum est. Hanc vero ipsam, quam Verrius adducit caussam, quarto loco sic memorat (*f*):

Adde quod excubias Regi Romanus agebat,
[Qua nunc Exquilias nomina collis habet]
Illic a nuribus Iunoni templa Latinis
Hac sunt, si memini, publica facta die.

Cum Verrio, seu potius ex Verrio, idipsum tradit Festus: *Martias Calendas Matronae celebrant, quod eo die Iunonis Lucinae aedes coli coepta est.* Celebrabant autem praecipue missitando sibi invicem munera (*g*), erant enim illis *Matronalia*, quod erant viris Saturnalia (*h*); unde Martialis (*i*):

Certe sacra puto vestra iam venire
Saturnalia, Martias Calendas.

Et Iacobus Gutherius de veteri Iure Pontificio (*k*), hoc ipsum significare coniicit SATURNALIA SECUNDA, in quae Fratres Arvales magmentum annuum intulisse testatur vetus lapis apud Gruterum (*l*). Ficoronius ex Baudelotio plumbeum sigillum memorat (*m*) cum hisce litteris: IO SATVRNALIA MA ..., & fortasse supplendum est *Matronarum*. Porro licet primitus Matronae solummodo id facerent, deinceps tamen idipsum facere consuevisse etiam puellas ex Martiale constat (*n*). Superstitionis initium ex Sabino Romuleoque instituto Plutarchus repetit, vestigia vero manserunt usque ad saeculum Ecclesiae sextum, quod liquet ex lata contra eam lege in Synodo Trullana (*o*).

1.*Mart.* QVAM VOVERAT ALBI .... VEL VXOR EIVS SI PVERVM ...] Quis primus voverit, & qua de caussa aedem Iunoni Lucinae in Exquiliis Matronae aedificaverint haud scio, an alius vetus scriptor memoriae mandaverit: ex quo gravius accidit adeo mancum repertum esse hoc fragmentum, ubi Verrius utrumque notaverat. Plinius tempus solummodo indicat, quo ea aedes constituta est. *Romae*, inquit, *lotos in Lucinae area anno, qui fuit sine Magistratibus*, CCCLXXIX., *aede condita; incertum ipsa quanto vetustior. Esse quidem vetustiorem non est dubium, cum ab eo luco Lucina nominetur.* Anno U. C. CCCLXXIX. coepit illa quinque annorum ἀναρχία ob controversiam inter Patricios, & Plebem, quae, Patriciis resistentibus, alterum Consulem ex Plebe creandum contendebat; qua de re eo tempore Tribuni (*p*) nullum passi sunt creari Curulem Magistratum.

1.*Mart.* SI PVERVM ...] *Puerperiis Iuno praeposita est, & auxiliatur genetricibus fetis*, ut scribit Arnobius (*q*), ex quo illi cognomina Februlis, Fluonia, Opigena, Lucina; quin etiam ferula, qua cum steriles se offerebant verberandas a Lupercis februantibus, *amiculum Iunonis*, teste Festo, dicebatur.

... IMP.

(*a*) Ovid. ibid. v. 449.
(*b*) Plin. lib. 16. v. 449. cap. 44. seu §. 75.
(*c*) Lib. 4. cap. 3.
(*d*) Iuven. Sat. IX. 53.
(*e*) Tertull. de Idololatr. cap. 14.
(*f*) Fast. III. v. 245.
(*g*) Plautus III. 1. 97.
(*h*) Macrob. lib. I. 12.
(*i*) Lib. 3. epigr. 85.
(*k*) Lib. 3. cap. 14.
(*l*) Pag. 124. 1.
(*m*) Ficoronius *de' Piombi antichi* pag. 82.
(*n*) Lib. 1. ep. 24.
(*o*) Cap. 65.
(*p*) Vid. Livium lib. 6.
(*q*) Lib. 3.

6. Mart. . . . IMP. CAESAR. AVGVST. PONT. F . . . . . . NIO. ET. VALGIO. COS.] Lego : *Feriae, ex S. C. quod eo die* IMP. CAESAR. AVGVST. PONT*IFex maximus factus est Quirin*IO, ET VALGIO COS. In Calendario Maffaeiorum legitur : HOC DIE CAESAR. PONTIF. MAXIM. FACT. EST ; quam notam de Iulio Caesare perverse intelligit Sibrandus Siccama, sicuti etiam Ovidium eodem hoc die Pridie Nonas Martias canentem (*a*):

Sextus ubi Oceano clivosum scandet Olympum
Phoebus, & alatis aethera carpet equis
Quisquis ades, canaeque colis Penetralia Vestae,
Gratare, Iliacis thuraque pone focis.
Caesaris innumeris, quem maluit ille mereri,
Accessit titulis Pontificalis honos.

At Verrius non modo certos nos facit, hunc diem celebrem fuisse ob initum Pontificatum Maximum ab Augusto, sed etiam, quod nunc primum ediscimus, hoc contigisse Quirinio, & Valgio Coss. Mortuo Iulio Caesare, Pontificatum Maximum, *in confusione rerum, & tumultu*, ut verbis utar Livii (*b*), *M. Lepidus intercepit*, opera M. Antonii, qui cum Lepidum potentia multum valere intelligeret, ideoque eum valde metueret, *ipsum Pontificem Maximum, ne ipsius actiones inquireret, constituit*, ut loquitur Dio (*c*). *Augustus vero saepius licet & privatim, & publice expetiisset, non censuit tamen vivo Lepido illum occupare*, testante eodem Dione (*d*); quin etiam *cum populus*, teste Appiano (*e*), *a Lepido ad eum transferre vellet, non recepit*, quod tum Dio (*f*), tum Appianus (*g*) memoriae mandarunt ; & dignum sane memoria fuit, tum quia Lepidus eum honorem vitio invaserat, & nihil erat amplius, quod Augustus a Lepido metueret, quem victum, & Triumviri potestate exutum, populus tamquam Reipublicae hostem necari etiam iusserat ; tum etiam quia exstabat S. C., quo statutum fuerat Iul. Caesari velificandi gratia, filium *si quem gigneret, vel adoptaret, creari* ἀρχιερέα, hoc est *Pontificem Maximum*. Porro quia Lepidus mortuus est Nerone, & Varo Cos. censuit Pighius, & cum eo eruditi omnes convenerant, quod eodem anno Augustus Pontificatum Maximum susceperit ; sed hanc opinionem falsitatis nunc arguunt nostrae hae Tabulae, in quibus Verrius testatur, quod Imp. Caesar Augustus Pontifex Maximus factus est subsequente anno Quirinio, & Valgio Cos. A. U. C. 741. Neque hoc mirum, nulla enim lex exstitisse videtur, quae statueret, ut Pontifici Max. vita functo statim alius sufficeretur, cum stante etiam Republica, L. Corn. Lentulo Pont. Max. defuncto A. U. C. 542. suffectus fuerit P. Crassus insequente anno, teste Livio. Quod si Dionem attente legas, equidem puto invenire te posse etiam caussam, qua dilatus est Augusto post mortem Lepidi Pontificatus Maximus. Texens Dio historiam rerum, quae Nerone, & Varo Cos. evenerunt, narrat, quod Lepido mortuo quum Imp. Caesar Augustus creatus fuisset Pontifex Maximus, & propterea quaedam etiam alia ei una simul decernere Senatus vellet, quorum nihil se admissurum Caesar professus est, & nihilominus Senatores instarent, surgens e Senatu abiit, & ita eorum decreta manserunt irrita. Itaque videtur haud distulisse Senatum, statim ac mortuus est Lepidus, Pontificatum Maximum Augusto decernere, sed tunc conceptum decretum nullius auctoritatis, ac roboris ob eam caussam fuisse ; qua de re novo opus fuit S. C., quo Caesar Pontifex Maximus crearetur, editumque est pacatis iam animis, subsequente anno, mense Martio, hoc die.

6 Mart. QVIRINIO ET VALGIO COS.] P. Sulpitius Quirinius Magistratum iniit Cal. Ianuariis cum M. Valerio Messala Barbato Aemiliano, ideoque in Fastis a Consulatu Vale-

(*a*) Fast. III. v. 415.
(*b*) Liv. Epit. 117.
(*c*) Dio lib. 44.
(*d*) Idem ibid.
(*e*) Appian. de B. C. pag. 746.
(*f*) Dio lib. 49. §. 15.
(*g*) Appian. de B. C. pag. 746.

Valerii Messalae, & Quirinii signatur An. U. C. 741. al. 742., sed Messala in magistratu obiit, suffectusque est ei Valgius Rufus, cui Magistratum abdicanti, suffectus deinde est C. Caninius Rebellius. Itaque habes in hisce Tabulis exemplum anni signati Coss. uno ordinario, & altero suffecto. Apud Gruterum (*a*) ita signatur annus U. C. 770. Coss. nimirum Germanico Caesare II., & L. Sejo Tuberone, qui suffectus fuerat Cl. Ti. Neroni Augusto III., & nonnullis signabatur, teste Dione (*b*), annus 720. al. 719. Coss. L. Scribonio Libone, & L. Sempronio Atratino, qui suffectus fuerat M. Antonio eodem die II. Consulatum ineunti, & abdicanti, quod imitatus est subsequente anno Augustus Consulatum itidem II. paucissimis horis gerens (*c*) suffecto in locum suum P. Autronio Paeto. Praeterea in L. 3. Cod. *de servis Reip. manum.* Senatusconsultum memoratur *Iubentio Celso iterum, & Neratio Marcello Coss. factum*, qui Consules ad ann. U. C. 881. referuntur, & quorum alter ex Cal. Nov. suffectus fuerat Q. Iulio Balbo, aliisque eidem ante eum suffectis. Porro haud dubito, quin Verrius sciens, ac prudens sic loqui maluerit, & idcirco ex eo quod Quirinium cum Valgio nominet, colligi posse M. Valerium Messalam Pr. Nonas Martias fato iam functum fuisse, & Valgium Consulem ei suffectum nondum magistratum abdicasse. An de ceteris, quae attulimus, & quae afferri poterunt, exemplis quid simile dicendum sit non adseram, sed dubitare licebit; neque enim facile est credere, quod quis temere ab universali, & constanti usu recesserit, in quo religiosissimos fuisse veteres illud certe comprobat Iuventii Celsi ad quemdam libellum supplicem vetus Rescriptum, in quo appositis nominibus Consulum suffectorum, qui magistrabant III. Non. Novembr., quo die Iuventius subscribebat, adiiciuntur deinde etiam nomina Consulum Ordinariorum:

FERETRVM . FIERI . PLACET . IVBENTIVS
CELSVS . PROMAGISTER . SVBSCRIPSI
III. NON. NOVEMB. ANTIO . POLIONE . ET
OPINIANO . KOS
ORDINARIIS . SEVERO
ET . SABINIANO . COS

Praeterea quia Valgio, etsi in locum Messalae suffecto, Quirinium Verrius praeponit, Festi sententia succurrit scribentis: *Maiorem Consulem L. Caesar putat dici, vel eum penes quem fasces sunt, vel eum qui prior factus sit*. Scio equidem praesto esse quaedam in antiquis lapidibus exempla, quae probare videntur pro libitu reciprocata fuisse Consulum nomina; sed iniquum puto hinc statuere (*d*), quod veteres nihil pensi haberent ordinem nominandi Consules, & quod ex privato favore illum inverterent. Ausonius in gratiarum actione pro Consulatu *gloriam esse magnam praelati* adfirmat, illius nempe, qui primus Consul designatus fuerat, nam *cum universis mortalibus duo, qui fiant Consules, praeferuntur, qui alteri praeponitur non uni, sed omnibus antefertur*. Neque vero illa exempla tot, ac talia esse mihi videntur, ut ad consuetudinem comprobandam sufficiant. Itaque, ut sentio, Verrius Quirinium Valgio haud temere, & ex arbitrio praeposuit, sed quia ille prior Valgio Consul processerat. Porro advertas velim, quod hoc eodem anno, quo Imp. Caesar Augustus factus est P. M., immo vero hoc eodem mense, Quinquatria enim agebantur, acerbissimum etiam accepit nuntium obitus M. Vipsanii Agrippae, quem funebri oratione, velo inter se & cadaver, quod in foro expositum erat, oppanso decoravit. Incertum se esse dicit Dio (*e*), quid illud velum significaverit, subdens nec eos recte sentire, qui ob Pontificatum Maximum, nec eos, qui ob Censoris munus, ab Augusto servatum esse eum ritum putabant, cum neque Pontifici Maximo cadavera adspicere interdictum foret, neque Censori, nisi cum lustrum conderet. Verum de Tiberio, qui *pro rostris laudavit* [Drusum] *filium*,

(*a*) Pag. XXVI. 9.
(*b*) Dio lib. 49. §. 39.
(*c*) Id. ibid. §. 43., Sveton. cap. 26.
(*d*) V. Fabrettum Inscr. pag. 503.
(*e*) Lib. 54. §. 28.

filium, stetitque in conspectu, posito corpore, interiecto tantummodo velamento, scribit Seneca hoc factum esse, ut velamentum illud (*a*) *Pontificis oculos a funere arceret*. Qua de re haud dubitandum est, quin Augustus, qui vel abolitas ex antiquis caeremoniis restituit (*b*), ob eandem caussam praetenso velo tum Agrippam, tum quoque, sub sequentibus Coss. Q. Tuberone, & Paullo, Octaviam sororem vita functam, & in sacrario Iulio publice expositam, laudaverit.

6.Mart. QVIRINIO] Nota, P. Sulpicium non Quirinum, sed Quirinium appellandum, & ita etiam emendandos esse veterum scriptorum, qui illius meminere, mss., editosque libros (*c*). Scilicet hic ille est Quirinius, cuius genus, & gesta celebrat Tacitus (*d*), & quem memorant Svetonius (*e*), Iosephus (*f*), Strabo (*g*), nec non etiam S. Lucas (*h*) in Evangelio, ubi, ut habet Vulgata, appellatur *Cyrinus*.

6.Mart. II.VIRI] Sacerdotii, & Duumviratus dignitates non erant semper coniunctae, sed Sacerdotium Duumviris delatum fuisse, & iis, qui Duumviratu functi erant, prout quoque aliis summis Magistratibus, ex antiquis monumentis liquet. In Actis Caeciliani occurrit quidam Didymus *Sacerdos Iovis Opt. Max.*, & una simul *Duumvir Coloniae Carthaginiensium*; & in Marmoribus Felsin. (*i*) *Cornutus ex Provincia Lugdunensi Duumviralis Sacerdos*; & apud Gruterum (*k*) *Gneus Munatius Municipii Flamen perpetuus Duumvirali potestate*.

6.Mart. II.VIRI ... I . .] Forte supplendum: II.VIRI *victimas inmolant*. Porro hi II.Viri videntur iidem esse, qui notantur inferius III. Eid. Apr., nempe II.Viri Praenestini; neque enim dubitare licet anniversarium diem, quo Augustus Pontificatum Maximum suscepit, fuisse in Coloniis, non secus ac Romae solemnem, quo pacto inde fuit etiam dies, quo eamdem dignitatem iniit Tiberius, teste veteri lapide Coloniae Florentinae, de quo inferius. Et quoniam plures exstant Antiochensium nummi, annis ZK. XXVII., HK. XXVIII., ΘK. XXIX., Λ. XXX. Imperii Augusti in Syria cusi, in quibus Antiochenses ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ, coronam nempe Pontificiam, Augusto dicant, hoc ei donarium, seu tributum illos deferre quotannis hoc die consuevisse suspicor.

6.Mart. POPVLVS CORONATVS FERIATVS OB . . . .] Supple: OB *eandem caussam*. Svetonius (*l*) inter ea, quae Augustus fecit ad corrigendum, ordinandumque *spectandi confusissimum, ac solutissimum morem*, narrat, quod *Athletarum spectaculo muliebrem sexum omnem adeo summovit, ut* PONTIFICALIBUS LUDIS *pugilum par postulatum distulerit in sequentis diei matutinum tempus, edixeritque, mulieres ante horam quintam venire in theatrum non placere*. Haec Svetonius, ex quibus dubitatio suberat, utrum Augustus *Pontificales* hos *ludos* populo spectandos quotannis daret ad augendam initi a se Pontificatus maximi anniversariam celebritatem, an vero eo solum die dederit, quo honorem suscepit; sed modo ex hoc Fastorum Verrii fragmento plane liquet eos ludos quotannis fuisse celebratos. Et profecto minus recte Svetonius locutus esset, si ludos, quos una vice Augustus dedisset eo die, quo Pontificatum Maximum inierat, *Ludos Pontificales* appellasset, videretur enim indicare, quod superiores etiam Pontifices Maximi iure suo id facere consueverint. Sed hoc falsum esse adeo manifesto constat, ut ipse Iacobus Gutherius (*m*), qui in ea opinione versabatur, potuisse Pontifices ob honorem Sacerdotii ludos edere, fateatur tamen Augustum omnium primum ob eam caussam ludos edidisse. Quoniam vero nemini ludos facere licebat, qui Magistratus non esset, nisi funeris caussa, Augustum non Pontificio, sed suorum Magistratuum iure in anniversaria adepti Pontificatus Maximi celebritate ludos edere solitum fuisse sentio; usu tamen venisse, ut hi appellarentur *Pontificales ludi*, quod eo die, quo Pont. Max. factus est, agebantur.

(*a*) Seneca *In consolatione ad Marciam* cap.15.
(*b*) Svet. in Aug. cap. 31.
(*c*) Vid. Norisium in Cen. Pisana Diss. 2. §.12.
(*d*) Tacit. Annal. lib. 3.
(*e*) Svet. in Tib. cap. 49.
(*f*) Ioseph. *Rerum Iudaicarum* lib. 17., & 18.
(*g*) Strabo. lib. 12.
(*h*) S. Luc. cap. 11.
(*i*) Marm. Felsin. pag. 56.
(*k*) Pag. DCXXXIX.
(*l*) In Aug. cap.44.
(*m*) Guther. *de Vet. Iure Pont.* lib.3. cap.2.

6.Mart. POPVLVS CORONATVS] Mos Romae fuit, ut populus iuxta ac Senatus, & interdum etiam milites, in magnis celebritatibus *laureati* in publicum procederent. Liquet hoc ex pluribus Herodiani locis (*a*); & Triumviri, teste Dione (*b*), inter cetera, quae fecerunt ad Iulii Caesaris memoriam honestandam, coegerunt omnes, ut δαφνηφοροῦντες *laureati* natalem eius celebrarent. Sic *Plebs Augusto ineunti Romae spectacula frequens & laureata* Patris Patriae cognomen detulit (*c*); & λευχειμονῶν καὶ δαφνηφορῶν *albatus*, & *laureatus* medium forum populus tenuit, cum Nero Teridati diadema imposuit (*d*). Itaque hoc ipsum fieri solitum quotannis eo die, quo Imperator Caesar Augustus Pont. Max. factus est, testatur Verrius.

6.Mart. POPVLVS FERIATVS] Non absimiliter apud Varronem (*e*) *familia feriata*; & apud Ciceronem (*f*) *Deum feriatum volunt cessatione torpere Epicuraei*. Itaque hac die non modo Magistratus a negotiis publicis, sed omnis populus ab omni opere, & studio vacabant.

7.Mart. . . . . . OVI . ARTIS . VEDIOVIS . INTER . DVO . . . VCOS] In hoc fragmento exemplum praesto tibi est permutationis litterarum C & T, quam critici in aliis lapidibus, nec non in vetustissimis Codd. observarunt. Habes igitur ARTIS pro ARCIS; & sententiam supplendam sic esse coniicio: *Feriae* IOVI, seu *Vedi*OVI ARCIS VEDIOVIS INTER DVO*s l*VCOS. Puto autem seu locum Arcis, ubi Vediovis aedes sita erat, seu aedem ipsam appellatam fuisse *Arcem Vediovis*. Non absimiliter Sulpicia in satyra singulari, quae adhuc superest, *Arcem Monetae* appellat aedem Iunonis Monetae, quae in Arce erat. En Poëtriae versus (*g*):

. . . . . . Nam cum defendier armis
Suadet amor patriae, & captiva penatibus uxor
Convenit, ut vespae, quarum domus Arce Monetae
Turba rigens strictis per lutea corpora telis.

Nec mirum, quod cum duae essent in urbe aedes Vediovis, una ad distinctionem alterius diceretur *in Insula*, de qua Kal. Ianuariis, altera vero *Arcis Vediovis*, quia posita erat in Arce. Praeterea haec aedes peculiari hoc nomine appellari etiam potuit, quia tum in Capitolio, tum in Arce plures aliae exstabant aedes Iovi sub variis nominibus dedicatae; ex quo solemnem illam formulam, qua utebantur Feciales, teste Festo, per Iovem iuraturi, *salva Urbe, atque Arce*, ita exprimit Horatius (*h*): *Incolumi Iove, & Urbe*, quasi Iovis, & Arcis nomina permutarentur. Horatium imitatur Silius, qui *Iovem* pro *Arce* posuit, ubi cecinit (*i*):

. . . . Vacuumque Iovem sine pube, sine armis
Invadet.

7.Mart. INTER DVOS LVCOS] Aedis Vediovis in Arce dedicationem Nonis Martiis celebrat etiam Ovidius, sed illam non *inter duos lucos*, ut Verrius, sed *ante duos lucos* positam dicit (*k*):

Una nota est Marti: Nonis sacrata quod illis
Templa putant lucos Veiovis ante duos.

Qua de re, ut intelligatur ubi haec aedes sita fuerit, animadvertere oportet, montem Capitolinum esse bicipitem, & intermediam habere planitiem, quam *intermontium* dicebant; vertices vero duos, alterum *Arcem*, alterum *Capitolium* appel-

(*a*) Vid. lib.2., & 3.
(*b*) Dio lib. 47. §. 10.
(*c*) Svet. in Aug. cap.58.
(*d*) Dio lib.63. § 4. Vide etiam lib. 72. §. 21., & lib.74. §.1.
(*e*) Lib.1. de R. R. cap.16.
(*f*) Lib.1. de Nat. Deorum.
(*g*) Sulpicia Poëtria v.51. V. Poëtas Min. P. Burmanni tom.II. pag.435.
(*h*) Lib.III. Od. v. v.12.
(*i*) Punicor. lib. 16. v. 624.
(*k*) Fast. III. v. 429.

appellabant. Ea planities, & utriusque montis in eam declinantes clivi, Tarpeia scilicet sedes, & Capitolia (*a*),

Aurea nunc; olim silvestribus horrida dumis,

& densis arboribus erant consita, praecipueque late quercubus oppleta. Qua de re sciens Romulus qua religione lucos quisque coleret, hos duos utriusque clivi lucos, subiectamque planitiem, postquam eorum securitati, late circumducto muro, seu mavis ex ramis arborum septo, prospexerit, & sanctitatem loci, exstructa ad eum aedicula Vediovis, auxerit, asylum esse voluit; quo aperto, eo *ex finitimis populis*, ut verbis utar Livii (*b*), *turba omnis sine discrimine, liber an servus esset, avida novarum rerum confugit*; & sic ex voto contigit, ut gens Romana in dies cresceret, & ditior evaderet, atque potentior. Quod si deinceps utriusque montis iuga & clivi, interiacensque planities, non amplius arboribus, sed late tum sacris, tum profanis cuiuscumque generis aedificiis exornata sunt, mansit tamen religionis ergo semper incolumis Romulea Vediovis aedes, quae dicebatur, aut secundum veterem appellationem *inter duos lucos*, seu *inter Arcem, & Capitolium*, quomodo eam vocant A. Gellius, & P. Victor. Ex eo autem, quod a Verrio dicitur *Arcis Vediovis*, intelligitur adhaesisse illam *Arcis* clivo potius quam alteri. Porro quia oportuit, ut loco esset conspicuo, quasi aperti asyli signum, sic inter *duos lucos* locata fuisse videtur, ut dici etiam bene potuerit locata *ante* eos, ut Ovidius loquitur. Apage nunc tricas, in quas se coniiciunt morosiores antiquarii. Legesis Dionysium Halicarn., qui de Romulo asylum aperire meditante, *locum*, inquit, *umbrosum*, *mediumque Capitolii*, *& Arcis elegit*, *quod nunc lingua Romana vocatur intermontium duorum quercetorum*, *ab utroque clivo densis septum arboribus*, *quibus colles iungebantur*; *templo in hoc*, *incertum cui Deo*, *vel Genio*, *sacrato*. Pressius Livius: *Locum*, *qui*, *tunc septus densis sentibus*, *inter duos lucos est*, *Asylum aperit*. Mendose in editis: *Nunc*. Itaque Romulus mediam inter duos montis Capitolini silvosos vertices vallem, quae similiter tunc temporis silvosa erat, asylum fecit; & ne illius primaevi status memoria excideret, deinceps quoque appellata est seu *intermontium duorum quercetorum*, seu *inter duos lucos*.

7.*Mart.* VEDIOVIS] Ad Kal. Ian. de nomine huius Numinis notatum est, quod multa cum varietate scriptum invenitur in antiquis Codd., & quod vera lectio ex his nostris marmoreis tabulis stabilienda videtur. Dicendum modo est, quid hoc nomen significet. Dionysius Halicarn. *Vediovem* fuisse tradit *incertum quemdam Genium*, caute loquens non secus ac alibi de Conso, quia nimirum de utroque Numine non unam esse omnium in Urbe sententiam acceperat. Quid Verrius senserit, fortassis ex defectu marmoris, ignoratur, sed in Schedis Festi v. *Vesculi* notatur, *Vediovem* significare *puerum Iovem*, quae est etiam Ovidii sententia. Contra A. Gellius docet (*c*) *Vediovem* significasse *Iovem nocentem*. Praeterea tum Ovidius, tum Gellius simulacrum illius, quod erat in aede inter Arcem, & Capitolium, describentes in eo conveniunt, quod capra iuxta illud staret, discrepant tamen, quod inerme illud fingit Ovidius:

Iuppiter est iuvenis: iuveniles aspice vultus:
Aspice deinde manus, fulmina nulla tenet;

Gellius vero dicit armatum sagittis: *Simulacrum igitur Dei Vediovis*, *quod est in aede*, *de qua supra dixi*, *sagittas tenet*, *quae sunt videlicet paratae ad nocendum*. Cui nam fidendum magis? Numquid Ovidio sagittae illae memoria exciderant, cum Fastos in Ponto scriberet? atque adeo, numquid visum est ei satis non habuisse illas fulminis speciem, ut fingeret, quod

Fulmina post ausos caelum affectare Gigantes
Sumta Iovi: primo tempore inermis erat?

 Enimve-

(*a*) Virg. 8. Aen. v.348. (*b*) Lib.1. (*c*) A. Gell. lib. 5. cap. 12.

Enimvero Gellio fidem adstruunt veteres nummi familiarum Caesiae, & Liciniae, in quibus Vediovis imago aspectu iuvenili efficta visitur, tenens dextera, quasi in modum iaculantis, tres sagittas; & rem extra aleam ponere videtur eorum sententia, qui *Vediovem* fuisse Apollinem opinabantur, ut ipse Gellius testatur, qui post descripta verba ita statim subiungit: *Quapropter* [quia scilicet sagittas manu teneret] *eum Deum plerique Apollinem esse dixerunt; inmolaturque illi ritu Cumano capra; eiusque animalis figmentum iuxta simulacrum stat*. Ubi notes velim in editis legi *ritu humano*, nonnullosque supposuisse *Romano*, sed Iac. Gronovii coniecturam emendantis *Cumano* probabiliorem videri, quae ex eo ducta est, quod Apollo Cumis praecipue cultus esset, ubi Daedalus *immania* illi *templa* posuit (*a*), postquam feliciter cerearum alarum remigio salvus illuc venit *fugiens Minoia regna*.

10.*Mart.* FERIAE EX S. C. Q. . . . . TI. CAESAR PONTIFEX MAX. FAC EST DRVSO ET NORBANO...] Adde cos., & superius E. D. nempe, *eo die*. Ex alio veteri lapide iamdiu innotuerat, Tiberium auspicatum esse Pontificatum Maximum *VI. Idus Martias*, nunc tamen ex Verrio certiores praeterea sumus auspicatum esse an. Urb. 767., quo fuerunt Consules Drusus Caesar ipsius Tiberii Augusti filius, & C. Norbanus Flaccus. Alter ille vetus lapis exstat Florentiae (*b*), & decretum continet a II.Viris latum de natalitiis diebus Augusti, Tiberii, & Liviae quotannis celebrandis, necnon de dedicatione statuarum eorum: sic autem in hoc lapide de anniversario huius dedicationis festo II.Viri censent: QVEM DIEM QVO FREQVENTIOR QVODANNIS SIT SERVABIMVS VI. IDVS MARTIAS QVA DIE TIBERIVS CAESAR PONTIFEX MAXIMVS FELICISSIME EST CREATVS. Notanda est phrasis, qua vetus hic lapis, & Verrius utuntur, ex ea enim intelligitur tum huius diei ferias, tum etiam earum caussam S. C. decretas fuisse; unde colliges, quod etsi omnes post Augustum Imperatores, a Senatu Populoque Romano ut tales probati, Pontificis Maximi honorem obtinuerunt, ita ut etiam plures Imperatores sequiori aetate simul essent Pontifices Maximi (*c*), attamen ut a legibus potius, quam ex auctoritate sua summam rerum potestatem habere viderentur, quod bene notat Dio (*d*), omnia ex concessione Senatus accipere simulabant; & praecipue ea ratione accipere consueverunt Pontificis Maximi potestatem. Itaque non modo Tiberius, sed etiam qui ei successerunt, adepto iam imperio, aliisque iam aucti titulis, honoribusque ex speciali S. C. Pontifices Maximi creati fuerunt, quod de Macrino Iulius Capitolinus, de Alexandro Severo, & Probo Lampridius diserte testantur. Ceterum inter caussas, ob quas dilatus est Tiberio per plures menses a morte Augusti [obierat enim Augustus superiore proximo anno XIV. Kal. Septembris] Pontificatus maximus, recensendum fortasse est tum ipsius Augusti exemplum, tum etiam quod boni ominis ergo placuerit Tiberio, ut sibi ille a Senatu decerneretur eodem mense, quo ipsi Augusto decretus fuerat. Quid autem Tiberius Pontificis Maximi iure egerit, haud memorat Svetonius; sed ex Tacito (*e*) hoc scimus, de iure Flaminis consultum edidisse: *Adversus quae*, scribit Historicus, *cum Augur Lentulus, aliique varie differerent, eo decursum est, ut Pontificis Maximi sententiam operirentur. Tiberius dilata notione de iure Flaminis, decretas ob Tribuni etiam Drusi potestatem caeremonias temperavit*.

10.*Mart.* FAC EST] Sic in marmore pro *factus est*. In tabula Fastorum Aprilis IV. Kal. Maias DEDICATA ST pro *dedicata est*. Anne quia lapicida Praenestinus fuit, quae gens decurtare verba solebat? Vid. adnotata ad diem XI. Aprilis. Verum nec alia similia desunt exempla. In marmore apud Gruterum (*f*):

HIC CERTE VT MERVIT CVNCTA ST DATA CVRA SEPVLCRO

& apud

(*a*) Virg. Aen. lib. 6. v. 19.
(*b*) Vid. Gruterum CCXXVIII. n. 8., & Gorium Inscript. antiq., quae exstant in Etruriae urbibus Par. 1. pag. 317.
(*c*) Vid. Norisium in C. P. Diss. 2. cap. 7.
(*d*) Dio lib. 53.
(*e*) Annal. lib. 3.
(*f*) Pag. DCCXLVIII. 7.

& apud Rudolphinum Venutium (*a*) [an bene legerit alii videant]:

SCITA . HIC . SIT
PAPILIO . VOLITANS
TEXTO . RELIGATVS
ARANIST . ILEI . PRAE
DA . REPNS . HVIC
HVIC . DATA . MORS . SVBIT
AST

19.Mart. . . . . Q] Hoc Minervae festum in Kalendario Maffaeiorum sic notatur : QVIN ; & in Kalend. Vindobonensi extensis litteris QVINQVATRIA. Ex institutione complebatur unico hoc die, cui nomen *Quinquatrus* ex eo, quod post diem quintum Idus ageretur ; sed deinde ad quinque dies prolatum est ex errore vulgi male interpretantis vim nominis *Quinquatrus*, ut docet Varro, quasi nimirum a numero quinque dierum originem duxisset. Vulgarem hanc opinionem secutus est Ovidius :

Una dies media est, fiunt cum sacra Minervae,
Nomina quae a iunctis quinque diebus habent.

Ex eo novo ritu festum hoc dictum deinde est *Quinquatres*, & *Quinquatria*. En Varronis (*b*) testimonium prout legendas esse arbitror eius schedas. *Quinquatrus : Hic dies unus, a nominis errore observatur proinde ac* [al. *ut*] *sint quinque. Dies* [al. *dictus*] *ab Tusculaneis post diem sextum eidus similiter vocatur sexatrus, & post diem septimum septimatrus ; sic hic, quod erat post diem quintum eidus, Quinquatrus*. Idipsum sensisse Verrium, & heic adnotasse non dubito, ita enim librorum Verrii Epitomator Festus : *Quinquatrus appellari quidam putant a numero dierum, qui fere his celebrantur ; qui scilicet errant, tam Hercule, quam qui triduo Saturnalia, & totidem diebus Compitalia, nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra. Forma autem vocabuli huius, exemplo multorum populorum Italicorum enuntiata est, quod post diem quintum Iduum est is dies festus ; ut apud Tusculanos Triatrus, & Sexatrus, & Septenatrus* [legesis, *Septimatrus*], *& Faliscos Decimatrus*. Quem Festi locum, ut plenius intelligas, scias oportet, quod *atrus* est vocis καταληξις, seu ut docet Gellius (*c*) vocabuli supplementum nullam habens significationem. Iulius Pontedera (*d*) in suis Antiquitatum Latinarum, Graecarumque enarrationibus, Augusti iussu Quinquatria amplificata fuisse coniicit, sed eius coniectura cum Varrone non bene convenit. Eam vir doctus suadere contendit ex ep. Ciceronis ad Cornificium scribentis : *Quinquatribus eius caussam frequenti Senatu non invita Minerva egisse* ; ad quae subiungit : *Si per quinque dies acta tunc essent Quinquatria, quis nam ex illis intelligendus*? At confidenter dico *primus* ; ceteri enim posteriores dies secundum eorum ordinem notabantur. Audi Livium (*e*) : *Legati ex Macedonia quinquatris ultimis exspectati venerunt* ; idest, quinta die. Augustus in Litteris ad Tiberium (*f*) : *Nos, mi Tiberi, quinquatris satis iucunde egimus, lusimus enim per omnes dies*. Itaque Quinquatria eadem ratione ac Saturnaliorum dies numerabantur, de quibus sic Cicero (*g*) : *Sed cum secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, villa illa completa militibus est, ut vix triclinium, ubi Caesar coenaturus esset, vacaret*. Et alibi : *Ille tertiis Saturnalibus ad H. III. nec quemquam admisit*. De hoc festo plura Meursius de Panathenaeis cap. 4.

19.Mart. . . . NARENTVR ARTIFICVM DIES] Hoc est : *nomi*NARENTVR ARTIFICVM DIES. Quod Quinquatria nominarentur *artificum dies* nunc primum ex hoc Kalendarii Verriani fragmento discimus ; unde vero hoc illis nomen obvenire potuerit, ex Fa-

(*a*) *Osservazioni sopra il Fiume Clitunno* p.35.
(*b*) Varro de L. L. lib.5.
(*c*) Gell. lib.2. cap. 21.
(*d*) Ep. 47.
(*e*) Livius lib.44. Vid. Gunth. de I. P. p.150.
(*f*) Sveton. in Aug. cap.71.
(*g*) Lib.5. ad Atticum ep.10., & lib.13. ep.50.

ex Fastis Ovidianis facile est intelligere, ubi plurium artium cultores invitantur, ut Minervae Quinquatriis supplicent; hanc enim hortatoriam suam orationem, quasi cuiuscumque generis artifices adloquatur, Ovidius sic claudit: *Mille Dea est operum*. Quinimmo secundum priscam superstitionem, ut notat Lactantius (*a*): *Minerva est, quae omnes [artes] repperit, ideoque illi opifices supplicant*.

19.Mart. . . . . . AEDIS IN AVENTINO EO DIE EST . . .] Supple: *Quod Minervae* AEDIS IN AVENTINO EO DIE EST *consecrata*. Audi Festum v. *Quinquatrus*: *Minervae autem dicatum eum diem existimant, quod eo die aedis eius in Aventino consecrata est*. Quo autem anno haec consecratio facta fuerit, nec Verrius heic notasse videtur, nec Festus loc. cit. adnotat, sed ex alio Festi loco eam aedem antiquissimam fuisse colligitur, nam v. *Scribas* narrat, quod *cum Livius Andronicus bello Punico secundo scripsisset carmen, quod a virginibus est cantatum, quia prosperius Respublica Populi Romani geri coepta est, publice adtributa est ei in Aventino aedis Minervae, in qua liceret scribis, histrionibusque consistere, ac dona ponere in honorem Livii, quia is & scribebat fabulas, & agebat*. Ab Ovidio haec alia huius festi praedicatur

Caussa; quod est illa nata Minerva die;

quae quidem caussa etiam in Kalendario Vindob. sic adnotatur N. MINERVES, hoc est *Natalis Minervae*. Genetliaci diei Minervae meminit Athenaeus (*b*).

19.Mart. . . . ACIVNT IN COMITIO SALTV . . . . . TIFICIBVS ET TRIB. CELER] Lege *f*ACIVNT IN COMITIO SALTV*s*: & de Saliis Verrium loqui ne dubites. Audi Varronem (*c*): *Salii a saltando, quod facere in Comitio in sacris quotannis & solent, & debent*. Itaque Salii Sacerdotes Martis, qui, ut Livius loquitur, per urbem saltantes ibant, & quidem, teste Dionysio Halicarnassaeo, ad Forum usque & Capitolium, praecipue saltabant *in Comitio quotannis*, ut docet Varro; & nunc ex Verrio habes, quo die, & fortassis etiam quo ritu, adstantibus nempe Pontificibus, & Tribuno Celerum, primis ut religionem sacri testarentur, Tribuno Celerum, seu ut circumstantem populum coërceret, seu mavis, ut omnes Curias repraesentaret, nam ex singulis Curiis electi fuerant primitus a Romulo, qui sibi ad custodiam corporis vigilarent, iuvenes a primo eorum duce Celere Celeres dicti.

19 Mart. IN COMITIO] Quod nempe erat in Foro Romano, seu ad eius latus prope Rostra, Comitiis populi Curiatis destinatum, in quibus leges decernebantur, & Sacerdotes eligebantur; non vero Comitium aliud, quod extra urbem in campo Martio erat, ubi Comitia populi Centuriata agebantur ad creandos Magistratus. Erat autem *locus*, docente Festo, *a coëundo, id est simul veniendo, dictus*.

19.Mart. SALTV. .] Saltationem Saliorum, ex qua eorum nominis origo, σεμνοτάτην καὶ ἱερωτάτην, *gravissimam*, & *religiosissimam* appellat Lucianus (*d*); & Plutarchus (*e*) ita eam describit: *Movebantur eleganter, celeriter, atque confertim orbes implicantes, & evolventes, multumque in eo roboris, & agilitatis ostendentes*. Quae descriptio illud Horatii illustrat: *Nec, morem in Salium, sit requies pedum*; & monstrat cur Livius (*f*) eam appellet *saltatum cum tripudiis*. Saltabant modo una omnes simul, modo per vices, & teste Dionysio ad tibiae sonum; docente vero Servio (*g*) *circa aras*; quod vetus Scholiastes Horatii ad lib. IV. Od. I. ex Ms. Cod. a Gutberletho descriptus ita confirmat: *Salii dicuntur ab exsilicione, eo quod in circuitu ararum Deorum tripudiando salitarent*. Praeterea Horatius indicare mihi videtur, quod hanc saltationem inire Salii consueverint *ter* primum *pede quatientes humum*, ita enim Venerem alloquitur (*h*):

Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum

Laudan-

(*a*) Lactant. lib. I. cap. 18.
(*b*) Athen. lib. 3.
(*c*) Lib. 4. de LL.
(*d*) Lucian. de Saltatione Tom. I. p. 793.
(*e*) In vita Numae.
(*f*) Livius lib. I. cap. 20.
(*g*) Serv. ad v. 663. lib. 8. Aeneid.
(*h*) Carm. lib. 4. Od. I.

Laudantes, pede candido
In morem Salium ter quatient. humum;

ad primum scilicet, ut sentio, choreas ducendi invitamentum. Porro hinc fortassis exortae sunt Saliares illae voces *amptruare*, & *redamptruare*, seu ut aliter leguntur *antruare*, & *redantruare*, quarum mentio est apud Festum, & Nonium Marcellum, qui Lucilium, & Pacuvium citant. Verum corruptae sunt eorum schedae, & praecipue locus Festi, quem Ios. Scaliger ita legendum esse censuit: *Redamptruare dicitur in Saliorum exsultationibus cum Praesul amptruavit, quod est motus edidit, & referuntur invicem iidem motus. Lucilius: Praesul ut amptruat, inde & vulgu' redamptruat illi*. Pacuvius:

. . . . *promerendae gratiae:*
Simul cum videam Graios nihil mediocriter
Redamptruare, opibusque summis persequi.

Lucilii versiculum aliter antea in notis ad Varronem Scaliger sic legerat (*a*):

Praesul ut amburuat, sic vulgu' redandruat inde,

quasi ab *uruare*, hoc est, ita se iactare ut sursum denuo excitet se, dicerentur Salii *amburuare*, qui eo modo corpora saltu reciprocabant. Verum in notis ad Festum eo modo illum restituit, quo descripsimus, reputans *amptruare* pro *antruare*, ut *temptare* pro *tentare* dictum fuisse, ducta voce a *trua*, quae erat cochlear, quo cibus in ollis agitabatur, ad significandum *circumvolvere*, *circummovere*. Franciscus Iani F. Dousa, qui una simul collectas Satyrarum Lucilii reliquias edidit, hanc Scaligeri lectionem secutus est, in notis tamen monet, quod Paullus Merula eleganter Lucilii versum ita constituere maluerat:

Praesul ut amptruet hinc, & vulgu' redamptruet inde.

Et quidem hoc alterum versiculi hemistichium ita Nonius citat:

. . . . *ut vulgu' redandruet inde.*

Videtur autem Lucilius usus voce *vulgus* ad ceteros omnes Salios significandos, quos Praesul, id est, Praesultor ad saltus invitabat. Demum quia edita Nonii Marcelli exemplaria mendose habent: *Redandruare*, *redire*, recte P. Merula suffecit, *resilire*. Sed quorsum haec? ne sapientiorum te lateant sententiae, antequam meam tibi proponam coniecturam. Itaque Saliares illas voces nec ab *uruare*, neque a *trua* ductas suspicor, sed ab eo quod Salii circum aras Deorum saltationem inirent ter pede quatientes humum, prout indicat Horatius. At enim, Saliorum Praesul *amptruare* dicebatur non *amptriare*. Haud aliter sentio: attamen compertum est, quod littera *u* pro *i* in pluribus Latinis vocibus vel ob graviorem sonum, vel archaismi affectandi caussa, ponebatur. *Optimus, Maximus, ut mediam* i *litteram, quae veteribus* u *fuerat, acciperent, C. primum Caesaris inscriptione traditur factum*, uti nos docet Quintilianus (*b*), qui de C. Caligula loquitur (*c*); & Turnebus putat, quod veteres scribentes *u* in media dictione, ubi nunc *i* scribimus, in pronuntiatione medium sonum inter *i*, & *u* edidisse. Utrum haec mea aliquid valeat coniectura alii iudicent; dummodo quis valeat de Saliaribus verbis iudicare, quae teste eodem Quintiliano (*d*) vix Salii ipsi intelligebant, & ex quibus *tetricum* loquendi *genus, ac perantiquum*, ut Sidonius scribit (*e*), constituebatur. L. Aelius Stilo magister Varronis, licet homo in litteris Latinis apprime exercitatus, interpretationem carminum Saliorum aggressus nonnisi exili littera expedire potuit, & obscura multa praeteriit, ut ipse Varro (*f*) testatur; & quidem ab Umbris, & Sabinis ea verba accivisse Saliarium carminum auctorem Numam Sidonius narrat, quod etiam proba-

(*a*) Pag. 55.
(*b*) Lib.1. 7.
(*c*) Vid. Svet. cap. 22.
(*d*) Lib.1. cap.11.
(*e*) Lib.8. pag. 16.
(*f*) Varro de LL. lib.6.

probabilibus exemplis, si oporteret, confirmari posset. Demum vocem *Praesul* dimidiatam esse censeo pro Praesultor, ad imitationem Osci idiomatis, cuius proprium erat dictionum partes abscindere; unde apud Ennium (*a*) *famul* pro *famulus* legitur in eo versiculo:

. . . ut summo e regno famul infumus esset;

quem ita imitatus est Lucretius (*b*):

Ossa dedit terrae proinde, ut famul infumus esset.

Et apud Afranium *facul* pro *faculter*:

Haud facul femina invenitur bona;

ex quo Festus: *Facul antiqui dicebant, & faculter, pro facile*. Itaque in Saliorum Collegio non erat Praesul, ut ait Victor (*c*), *Saliorum primus*, sed qui *primus* saltationem inibat, illo enim dignior erat *Vates*, qui *Praecentoris* personam gerens Saliaria carmina praecinebat; & utrique, universoque Collegio praesidebat, qui Magister appellabatur, & inaugurandi, & exaugurandi potestatem habebat. Ex veteri apud Gruterum (*d*) titulo forte quis dubitare posset, utrum unus esset, an vero, saltem aliquoties, plures fuerint in Saliorum Collegio Magistri; etenim in eo mansiones Saliorum reparatae dicuntur PRO MAGISTERIO PORTII ACILII LVCILLI VITRASI PRAETESTATI VV. CC., quae quinque nomina unius esse hominis putat Scaliger, sed rectius existimat Reinesius plurium hominum esse, cui opinioni favent siglae VV. CC. facile significantes *Virorum Clarissimorum*. Cuperus dubitat, an vitio artificis hae siglae geminatae fuerint, an aliquid aliud in eis lateat, & subdit: *quod eruditioribus discutiendum relinquo*. Equidem eruditior haud mihi videor, sed nihilominus quid sentiam dicere cur non ausim? Igitur ita sentio, quinque illa nomina quinque hominum nomina esse, hos tamen non uno eodemque tempore in Collegio Saliorum Magistros fuisse, sed unum post alium. Haec coniectura ex eo mihi probabilis est, quod cum plures essent Saliorum mansiones, earum reparatio commodius fieri potuerit quinquennio, quam uno anno, annuum enim solebat esse in Romanorum Collegiis Magisterium.

23.*Mart.* TVBIL. NP . . . MARTI] Supple: *Feriae* MARTI. Hoc festum in editis libris Varronis *Tubilustrum* nominatur, at ex Ovidio, & Festo colligitur nominandum potius esse *Tubilustrium*, prout illud nominat Calendarium Vindobonense; & bis in anno Romae agebatur, hac die x. Kal. April., & x. Kal. Iunias, ut constat ex III. & v. libro Fastorum Ovidii. Utrumque diem respiciens Festus sic loquitur: *Tubilustria, quibus diebus adscriptum in fastis est, cum in Atrio Sutorio agna tubae lustrantur; ab eis tubos appellant. Quod genus lustrationis ex Arcadiae Pallanteo transvectum esse dicunt*. Ovidius (*e*) die quinto Quinquatruum agi solitum Tubilustrium his versibus notat:

Summa dies e quinque tubas lustrare canoras
Admonet, & forti sacrificare Deae.

Nicolaus Heinsius in sua Operum Ovidii recensione animadvertens plures Mss. Codd. habere *Deo*, recte docet Poëtam potuisse dicere Graecorum more quasi *Deum* pro *Dea*, sed subiungit: *An forte Deum Martem innuit? Cui sacra sint Tubilustria haec mensis Martii, quemadmodum altera illa mensis Maii Vulcano?* Egregie. Quam dubitanter vir doctus proposuit coniecturam, modo nunc certam facit Verrii auctoritas. Ex quo essent hac die FERIAE MARTI vera Ovidiani versiculi lectio stabilitur, quam exhibent Codd. in quibus legitur:

. . . . Et forti sacrificare Deo.

HIC

(*a*) Annal. 6.
(*b*) Lib. 3.
(*c*) De Viris Illustr. cap. 3.
(*d*) Pag. CLXXIII. n. 5.
(*e*) Ovid. Fast. III. v. 849.

23.Mart. HIC DIES APPELLATVR ITA QVOD IN ATRIO SVTORIO TVBI LVSTRANTVR] Varro (*a*) iisdem plane verbis de hoc festo loquitur : *Tubilustrum appellatur, quod eo die in Atrio Sutorio tubae lustrantur* ; quae est editorum librorum Varronis lectio, sed fortassis Varro scripsit : *Tubilustrium*, & certo *tubi*, non *tubae* ; nam alibi docet (*b*) : *Tubae a tubeis, quos etiam nunc ita appellant tubicines sacrorum*. Haec autem Varronis auctoritas, non modo proprietatem verbi, quo hic usus est Verrius, comprobat, sed etiam lucem praestat, ut semirosae Festi schedae, quas, ut in editis exstant, superius descripsimus, emendentur. Itaque sic eas restituo : *Tubilustria [quibus diebus adscriptum in Fastis est,] cum in Atrio Sutorio tubae lustrantur ab eis, tubos appellant*. Scilicet proxime superius haec alia, quibuscum illa coniungi debent, Festus adnotaverat : *Tubicines ii appellantur Sacerdotes, qui publice faciunt tubarum lustrandarum gratia*. Unus ex his Sacerdotibus fuisse videtur Albius Verinus, cuius mentio est apud Gruterum (*c*), si legas SACERDOTE TVBICINE, non *Tibicine*.

23.Mart. IN ATRIO SVTORIO] Quod in Tubilustrio lustrarentur tubae in *Atrio Sutorio* testatur etiam Varro, sed quid, & qua urbis regione hoc Atrium foret, nemo veterum indicat, nemo recentiorum coniectatur. Fortassis erat Atrium, in quo aliquod cogebatur *Sutorum Collegium*, seu frequentiores erant Sutorum officinae. In veteri Inscriptione apud Donium (*d*), quam ex Donio habes etiam apud Muratorium (*e*) *Sutorum Collegium* memoratur, sed lapis exstare dicitur *Uxamae in Hispania*.

23.Mart. QVIBVS IN SACRIS VTVNTVR] Hinc a Suida tuba vocatur, *sacrum instrumentum*, eas nimirum tubas indicans, quibus utebantur Sacerdotes.

23.Mart. LVTATIVS QVIDEM CLAVAM EAM AIT ESSE IN RVINA PALA . . . . . NCENSI A GALLIS REPERTAM QVA ROMVLVS VRBEM INAVGVRAVERIT] Lege : IN RVINA PALA*tii i*NCENSI A GALLIS. Ex his autem, quae Verrius adnotat de Tubilustrio, sequi videtur non modo sacrarum caeremoniarum origines arcanas fuisse, sed ipsas etiam caeremonias ; cui enim incertum esse potuisset, an Sacerdotes tubos, seu tubas lustrarent, an Romuli lituum ? ni forte mavis dicere, quod primitus in Tubilistriis Romuli lituus lustraretur, deinde vero tubae, quod eius speciem praeseferrent. A. Gellius (*f*) inquirens, *utrum lituus auguralis a tuba, quae lituus appellatur, an tuba a lituo augurum lituus dicta sit* ; animadvertit, quod *utrumque pari forma, & pariter incurvum est* ; & quaestionem solvit afferens, quod *virga auguralis a tubae similitudine lituus vocetur* ; quae fuerat etiam Ciceronis sententia de Romuli lituo dicentis, quod *ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen invenit*.

23.Mart. LVTATIVS] Q. Lutatius Catulus *Communium Historiarum* libros scripsit, ut eos nominat Servius (*g*). Eorum librum primum citant Probus (*h*), & Philargyrius (*i*). Lutatium laudat etiam Varro (*k*). Inter Fragmenta Historicorum veterum ab Ausonio Pompa collecta exstant Lutatii fragmenta, sed eis adiicere nunc oportet, quod hic Verrius allegat, & quod usquedum incompertum fuit.

23.Mart. CLAVAM] Haud memini alterius veteris scriptoris, qui Romuli lituum *Clavam* appellaverit, prout hic eum appellat seu Lutatius, seu Verrius ; simili tamen vocabulo utitur Cicero, ubi eum vocat *bacillum*. Verrius Romuli lituum *Clavam* appellans eius non modo formam, sed & materiem ob oculos ponit, ut rei miraculum adiiciat.

23.Mart. IN RVINA PALA . . . NCENSI A GALLIS REPERTAM] Iam ex aliis scriptoribus innotescebat Sacerdotes Salios habuisse Curiam, & Sacrarium in monte Palatino,

(*a*) Varro de LL. lib.5.
(*b*) De L. L. lib.4.
(*c*) Grut. XXX. 2.
(*d*) Don. Clafs.I. num.131.
(*e*) Murat. pag. DXXIX.
(*f*) Noct. Attic. lib. 5. cap. 8.
(*g*) Servius Aen. IX. verf.710.
(*h*) In Virg. ad v.293. lib.3. Georgicorum.
(*i*) In Virg. ad v.564. lib.4. Georgicorum.
(*k*) Varro de L. L. lib.4.

tino, & in hoc Sacrario praeter alia ſacra inſtrumenta adſervatum fuiſſe Romuli lituum auguralem, qui inventus eſt integer cum tota illa Saliorum manſio deflagraviſſet. *Cum ſitus eſſet*, ſcribit Cicero (*a*) de lituo Romuli loquens, *in Curia Saliorum, quae eſt in Palatio, eaque deflagraviſſet, inventus eſt integer.* Et Valerius Maximus (*b*): *Deuſto*, inquit, *Saliorum Sacrario nihil in eo, praeter lituum Romuli, integrum repertum eſt.* Verum ex Lutatii teſtimonio, quod nunc primum prodit, haec ipſa hiſtoria enucleatius ediſcitur, indicat enim Lutatius, quo acciderit tempore, & tradit totum Palatium, non unum Sacrarium, aut unam Saliorum Curiam fuiſſe incenſam. Igitur inventus eſt Romuli lituus ab igne illaeſus, *in ruina*, hoc eſt inter rudera deuſtarum manſionum, quas habitabant Salii in monte Palatino, cum eas, devictis, fugatiſque Gallis, inſtaurare coeptum eſt. *In moliendo*, ſcribit Plutarchus (*c*), *& purgando loco reperiunt ſub magno cumulo cineris Romuli baculum, quo uti ad auſpicia ſolitus erat.*

23.*Mart.* IN RVINA PALA...] Publ. Victor deſcribens Reg. X., quae erat Palatium, Curiam Saliorum commemorat, & Sacrarium Martis, in quo Ancilia, aliaque ſacra ſervabantur, ex quo conſtat utriuſque aedificii poſt incendium reparatio. Hinc Sacerdotes Salii a Numa inſtituti appellati ſunt Palatini, ut ab aliis deinceps inſtitutis Saliis diſtinguerentur. Iacobus Laurus delineationem *Curiae Saliorum* in Palatio edidit, ſed utrum ex veſtigiis veteris aedificii acceptam, an potius ex ingenio confictam, alii iudicent. Memoriam, quae in laudato mox titulo apud Gruterum (*d*) exſtat cuiuſdam reparationis manſionum Saliorum Palatinorum, libens ſentio cum Cupero (*e*), potiuſquam Curiam Saliorum & continens ei Sacrarium Martis in Palatio, reſpicere manſiones, in quibus Salii manebant, hoc eſt pernoctabant, cum Ancilia per urbem circumferrent.

23.*Mart.* INAVGVRAVERIT] Cicero (*f*): *Quid lituus ille veſter, quod clariſſimum eſt inſigne Auguratus, unde vobis eſt traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit tum cum Urbem condidit: qui quidem Romuli lituus eſt incurvum & leviter a ſummo inflexum bacillum.* Sic etiam ab A. Gellio (*g*) lituus dicitur: *Virga brevis, in parte, qua robuſtior eſt, incurva.*

24.*Mart.* Q. R. C. F.] In Cal. Maffaeiorum hac die notantur hae litterae Q. REX. C. F., quae eodem modo inſculptae ibidem leguntur IX. Kal. Iunias. In noſtro marmore ultima ſolum littera ſupereſt. Supplevi ceteras, brevitati conſulens, prout inſculptae legebantur in reliquiis tum Calendarii, quod olim exſtabat ad D. Martinae, tum Calendarii Venuſini, IX. Kal. Iunias; bis enim quotannis celebrabatur Romae feſtum hiſce litteris indictum Q. R. C. F., etſi Ovidius (*h*) nullam eius in menſe Martio mentionem habet, ſed ſolummodo IX. Kal. Iunias, ubi cecinit:

Quatuor inde notis locus eſt; quibus ordine lectis,
Vel mos ſacrorum, vel fuga Regis ineſt:

ex qua loquendi ratione Panvinius temere colligit Poëtam ſeu ignarum, ſeu incertum fuiſſe, quid illae notae ſignificarent; cum potius mirari aequum ſit, expreſſiſſe feliciter duplicem, quam littera F habere poterat interpretationem, ſcilicet aut FAS, ut mos ſacrorum in illis notis ineſſet, aut FVGIT, ut fugam Regis ſacrorum e Comitio, ſacrificio peracto, indicarent. Nec ſilentio praeteream, quod de his Ovidii verſiculis praepoſterum iudicium tulit etiam Iulius Pontedera (*i*) tum quia cenſuit in eis mentionem fieri fugae Regis Tarquinii, tum etiam quia ad diem VIII. Kal. Iunias eos refert. Nam primum falſitatis arguitur ex auctoritate

(*a*) Cicero de Divin. lib. I. §. 17.
(*b*) Val. Max. lib. I. cap. 8.
(*c*) Plutarch. in Vita Camilli.
(*d*) Pag. CLXXII. 5.
(*e*) Obſerv. lib. 4. cap. 2. Vide etiam Gutberlethum cap. 15.
(*f*) Cic. lib. I. de Divin. cap. 17.
(*g*) Loc. cit.
(*h*) Faſt. V. verſ. 727.
(*i*) Antiquitatum Latinarum, Graecarumque enarrationes, atque emendationes &c. epiſt. 36. p. 323.

ritate Verrii, alterum ex eo quod Ovidius iis versibus statim hos alios subiungit:

Nec te praetereo, populi FORTVNA *potentis*
PVBLICA, *cui templum luce sequente datum*:

quae dedicatio VIII. Kal. Iunias adnotatur tum in Calendario ad D. Martinae, tum in Venusino.

24.*Mart.* HVNC DIEM PLERIQVE PERPERAM . . . . INTERPRETANTES PVTANT APPELLAR . . . . QVOD EO DIE EX COMITIO FVGERIT . . . . AM NEQVE TARQVINIVS ABIIT EX COMITIO . . . T ALIO QVOQVE MENSE EADEM . . . . VNT] Hoc est: HVNC DIEM PLERIQVE PERPERAM *litteras Q. R. C. F.* INTERPRETANTES PVTANT APPELLAR*i ita* QVOD EO DIE EX COMITIO FVGERIT *Rex Tarquinius n*AM NEQVE TARQVINIVS ABIIT EX COMITIO *e*T ALIO QVOQVE MENSE EADEM *sacra fi*VNT. Itaque Verrius antequam suam de significatione litterarum Q. R. C. F. sententiam proponat, eos redarguit, qui illas perperam interpretantes putabant hunc diem ita appellari, quod eo die Rex Tarquinius e Comitio fugerit; & duo haec obiicit: primum, quod Tarquinius e Comitio minime fugerit, secundum, quod eaedem litterae alio etiam die notarentur in Fastis, nempe IX. Kal. Iunias; unde sequeretur bis e Comitio Tarquinium fugisse.

24.*Mart.* PLERIQ.] Parcit Verrius nominibus, sed duo innotescere mihi videntur ex Festo v. *Regifugium*; quem locum mire depravatum ita esse resarciendum coniicio. *Regifugium dies notatur in Fastis VI. Kal. Martias, ut ait Verrius, ita dictus, quia eo die Rex Tarquinius Roma fugerit; & falsum arguit quod Cincius in libro Fastorum, & Iulius de Feriis dicunt, Saliares Virgines, & Salios adesse Regi sacrorum cum facit sacrificium in Comitio, quo facto statim fugit, quod verum cognoverit esse qui legerit in Fastis dies tales, quales notantur sic: Q. REX. C. F. id est, Quando Rex Comitiavit Fas, id est ad Comitium itat; his enim tantum feriis Regi sacrorum in Comitium, nec in aliis, ire licet; qui mos videtur adscitus ex Etruria.* Itaque inter eos, qui siglas Q. R. C. F. perperam interpretabantur, adnumerandi videntur Cincius, & Iulius, qui Regem sacrorum die *Regifugii* sacrificium in Comitio adsistentibus Saliis facere, & eo facto fugere dicebant. In editis Festi legitur *Tullius*, sed iam alii animadverterunt legendum esse *Iulius*, qui esse videtur Caius Iulius Modestus Caii Iulii Hygini libertus, *in studiis, atque doctrina vestigia patroni secutus*, ut de eo loquitur Svetonius (*a*), & quem *de Feriis* scripsisse testatur Macrobius (*b*). Neque vero minus celeber apud veteres Grammaticos L. Cincius Alimentus, cuius librum *de Fastis* idem Macrobius (*c*) non semel allegat.

24.*Mart.* . . IGNIFICANT Q. . . . . FIERI INDIC . . . .] Forte supplendum est: *Hae notae* Q. R. C. F. SIGNIFICANT *Quando Rex Comitio fugit*: aut si mavis: *Quando Rex Comitiavit Fas*, NP. *hunc diem* FIERI INDIC*ant e Nefasto Fastum*. Audi Varronem (*c*): *Dies*, inquit, *qui vocatur sic*: QVANDO REX COMITIAVIT FAS; *dictus ab eo, quod Rex sacrificulus itat ad Comitium; ad quod tempus est Nefas, ab eo Fas. Itaque post id tempus lege actum saepe*. Festi schedae, pluribus tamen in verbis suppletae, ita loquuntur: *Quando Rex comitiavit, Fas; sic notatum esse diem in Fastis in honorem Regis sacrorum aiunt, qui de Feriis menstruis scripserunt, quae Nonis Februarii in Curia a Rege edicuntur. Eae vero a multis scriptoribus traditae sunt; nam quo die Rex in Comitium venit, eius pars anterior Nefas habetur; contra autem posterior Fas, quia sacris peractis inde abit. Quod si quis alius pro Rege eo die in Comitio fecerit, puta Pontifex, tum hic dies totus est Nefastus.*

 Eadem

(*a*) Sveton. *de Illustr. Grammaticis* cap.20.
(*b*) Macrob. Saturnal. lib.1. cap.4.
(*c*) Ibid. cap.12.

Eadem tradit idem Festus etiam in v. *Regifugium*, ubi post ea, quae in superiore nota descripsi, atque correxi, haec alia in editis libris sequuntur: *Regifugium item dies notatur in Fastis Kal. Iuniis, qui dies, quia totus Nefastus non est, legi debet cum nota* NP. *non* N. *quod ille dies sit e Nefasto Fastus*. Verum abiicias hinc oportet τὸ *Regifugium*, cui nullus hic locus, ubi certe Festus loqui prosequitur de diebus, qui litteris Q. R. C. F. notabantur, ut ex ipsa re constat, quam animadvertit, & ex eo quod nusquam alibi exstat indicium apud Scriptores, quod Regifugium iterum celebraretur Kal. Iuniis. Legesis igitur: *Ita dies notatur* IX. *Kal. Martias, & IX. Kal. Iunias; qui dies quia totus Nefastus non est legi debet cum nota* NP. *non* N. *quod ille dies sit e Nefasto Fastus*. Porro nullum aliud apparet in nostro marmore litterarum vestigium, ex quo coniici possit, an Verrius addiderit etiam caussam huius sacrificii, & eius ritus; nec memini, an alius eam afferat Scriptor antiquus. Festus hoc solum, ex ipso, ut crediderim, Verrio, animadvertit, *eum morem adscitum videri ex Etruria*, sed minime explicat an habendi Regem sacrorum, an potius quod hisce solum diebus Rex sacrorum publice sacrificium faceret, seu quod eo peracto statim se e medio proriperet. Ex Livio (*a*) autem, & Dionysio (*b*) discimus Regem sacrorum institutum esse Romae, pulso Tarquinio, ut plebs iamdiu assueta Regem habere, eius nomine contenta quiesceret; statutum tamen fuisse ut Rex sacrorum Pontifici Maximo subiaceret, nec aliquo fungi posset aut militari, aut civili munere, ne quid novi moliri posset, & aliquid officeret libertati. Consilii auctores huius Regis ideam, & dierum quibus faceret, ab Etruscis accepisse, verisimillimum; at ritus, quod peracto sacrificio statim fugeret, natus fortassis est apud Romanos ex eadem libertatis imperii zelotypia.

24.*Mart.* NAM NEQVE TARQVINIVS ABIIT EX COMITIO] Rex Tarquinius tum cum L. Iunius Brutus P. R. perpulit, ut ei abrogaret imperium, Ardeam obsidebat, acceptisque rei nunciis in castris trepidus Romam accessit, sed ei clausae sunt portae, & Caere in Etruscos exsulatum ivit. Quod si exercitu inde instructo ex Veientibus, & Tarquiniensibus molitus est iterum urbem occupare, occurrerunt obviam ei in agro Romano Valerius, & Brutus Consules, & cum pugnatum esset tantus Regem terror incessit, ut omissa inita re in Etruriam iterum confugerit. Ταυτὴν τὴν μάχην λέγουσι γενέσθαι μιᾶς καλανδῶν Μαρτίου, scribit Plutarchus (*c*). Vertunt: *pugnatum aiunt pridie Kal. Martii*, at si vertas *in uno dierum a Kalendis Martii*, en caussa cur VI. Kal. Martias festum *Regifugii* ageretur notatum in Calendario Maffaeiorum litteris REGIF., & de quo eodem die Ovidius ita sermonem instituit (*d*):

Nunc dicenda mihi Regis fuga: traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina mense die.

Carolus Neapolis ex quodam veterrimo suo Cod. legendum censuit *Quintus*, & adiicit hoc etiam ex lapideis tabulis constare, indicans, ut puto, Calendarium Maffaeiorum; sed Nic. Heinsius, qui plurimos Mss. Codd. consuluit, eam lectionem nullibi reperiit, & lapideae tabulae lectionem vulgatam potius stabiliunt, quas ob oculos Poëtam habuisse non dubito, & voluisse communem usum sequi, quem penes dies ille dicebatur sextus ob Kalendas, quibus praeibat. Ceterum Ovidius primam potius, quam alteram Tarquinii fugam celebratam fuisse indicat in festo *Regifugii*; postquam enim pluribus de Tarquinii indole, & gestis, nec non de illata a Sexto eius filio Lucretiae vi, & de huius virilis animi Matronae acerbo funere egerit, paucis inde rem ita conficit:

Vulnus mane patet. Brutus clamore Quirites
Convocat, & Regis facta nefanda refert.

Tarqui-

(*a*) Livius lib. I.
(*b*) Dionysius lib. 4.
(*c*) In vita P. Valerii Poplicolae.
(*d*) Fast. lib. II. v. 685.

Tarquinius cum prole fugit; capit annua Consul
Iura: dies regnis illa suprema fuit.

31.Mart. LVNAE IN AVENTINO] Concinit Ovidius (*a*):

Luna regit menses: huius quoque tempora mensis
Finit Aventino Luna colenda iugo.

Duo autem erant Romae templa Lunae dedicata. Quod in Palatio erat, *Lunae Noctilucae* dicebatur, tum quia Luna noctu lucet, tum etiam quia hoc ipsum templum noctu lucebat perpetuo, ut nos docet Varro (*b*); ni mavis cum Spanhemio (*c*) sentire, Varronem non peculiare templum Lunae in Palatio dicatum commemorare, sed cultam fuisse in templo Apollinis, quod erat in Palatio, Lunam Noctilucam, quia hoc templum noctu lucebat, lucentibus in eo lychnuchis, *arborum modo mala ferentium*, exstructis, ut Plinius testatur (*d*), & confirmat P. Victor in Reg. U. X. scribens: *Aedes Apollinis, ubi lychni pendebant instar arboris mala ferentis.* Alterum Lunae templum in ea situm erat Aventini montis parte, quae est contra Palatium versus Forum Boarium, & principium Circi. Huius templi situm aperte indicat Livius (*e*), ubi de dira quapiam tempestate narrat, quod *forem ex aede Lunae, quae in Aventino est, raptam tulit, & in posticis parietibus Cereris templi affixit*; quod enim templum Cereris ad Circum Maximum staret constat ex Vitruvio (*f*). Porro hoc Lunae dicatum templum unum & idem fuisse videtur ac templum Dianae Aventinensis, quod a populis Latii, oppidatim collata pecunia, aedificatum est a Servio Tullio, qui ad foederis cum iisdem populis initi firmitatem, hoc eis proposuit exsequi ad instar civitatum Asiae, quae simili consensione fanum Dianae Ephesiae aedificaverant (*g*). Enimvero P. Victor scribens: *Templum Lunae in Aventino: Templum commune Dianae*, ita potest intelligi, ut significet *templum Lunae* fuisse etiam dictum *templum commune Dianae*. Et nemo ignorat unum idemque esse numen Lunam, & Dianam. Accedit quod ipsum Dianae Ephesiae fanum, ad cuius exemplum Dianae Aventinensis templum aedificatum est, modo Dianae, modo Lunae Ephesiae dictum reperitur, sic enim legunt, teste Salmasio, libri omnes veteres Trebellii Pollionis in duobus Gallienis: *Tunc etiam templum Lunae Ephesiae despoliatum, & incensum est*; legatur licet in editis, *Dianae*. Audi nunc Tacitum (*h*), qui templum ipsum in Aventino a Servio Tullio Dianae aedificatum, *templum Lunae* appellat: *Sed vetustissima*, inquit, *religione, quod Servius Tullius Lunae, & magna Ara, fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Evander sacraverat, aedesque Iovis Statoris vota Romulo, Numaeque Regia, & delubra Vestae cum penatibus P. Romani exusta.* Nec magnifacio eorum auctoritatem, qui templum Septentrionem respiciens in Aventino, & Tiberi imminens, quod modo S. Sabinae appellatur, *templum* olim fuisse autumant *commune Dianae*, ex quo sequeretur aliud igitur fuisse templum Lunae in Aventino dedicatum, quod Palatium respiciebat ad Orientem; refutat enim eorum sententiam Martialis scribens (*i*):

Quique videt propius magni certamina Circi
Laudet Aventinae vicinus Sura Dianae;

unde constat Surae domum templo Dianae vicinum, supra Circum Maximum fuisse. Quamobrem multo probabilius, ut sentio, quaedam medii aevi inscriptio exstans in aede S. Priscae, quae in iugo Aventini ad principium Circi Palatium respicit, monet ibi olim fuisse *templum commune Dianae* a P. Victore memoratum. Fidem nimium recenti auctori negas? Veteri monumento praestes oportet. An. 1709. ad hanc S. Priscae aedem in Aventino Isiaca reperta est Tabula ex basalte, quae in Aca-

(*a*) Ovid. Fast. III. v.883.
(*b*) De L. L. lib.4.
(*c*) Spanh. Diss. 10. §. 12.
(*d*) Plinius lib.34. cap.3. §.8.
(*e*) Lib. 40. cap. 2.
(*f*) Vitruv. lib.3. cap.2.
(*g*) Vid. Livium l. 45., & Dionys. Antiq. lib.4.
(*h*) Tacit. lib.xv. Annalium.
(*i*) Martial. lib.6. ep. 64.

in Academia Bononiensi nunc adservatur, & quam illustrat Ficoronius (*a*) in suis veteris Romae vestigiis; ita ut manifesto compertum habeamus cultam eo loci fuisse Dianam Ephesiam. At enim quae caussa colendae Lunae hac die Martii mensis ultima? Si forte quia hac die aedes ei in Aventino dedicata est; en Verrius luculenter falsitatis arguit dicere, unam eamdemque fuisse Lunae, & Dianae aedem in Aventino, cum doceat Festus aedem Dianae in Aventino dedicatam fuisse Idibus Augustis. Apposite: sed latet caussa, cur Lunae templum in Aventino ultima mensis Martii die frequentaretur, & diserte pernego Festum dicere aedem Dianae in Aventino Idibus Augustis dedicatam fuisse. Festi Epitomator Paullus ita Festum interpretatur, quasi dixerit Idibus Augustis natum esse Servium Tullium, non vero aedem Dianae in Aventino dedicavisse; quam interpretationem, etsi acriter reprehendat Andreas Dacerius, verisimiliorem puto. Neque enim obstat Macrobium (*b*) dicere, quod Romani omnes Nonas celebri notitia frequentabant, quia Nonis, incerti tamen mensis, Servium Tullium natum existimabant; contra enim Plutarchus (*c*) natum fuisse Idibus Augustis diserte narrat, & hoc satis comprobat quod Festus quoque idipsum dicere potuerit, & quidem eo magis quod uterque affirmat ob eam caussam consuevisse servos Idibus Augustis Dianam colere. En Festi schedas: *Servorum dies festus vulgo existimatur Idibus Augusti, quod eo die Servius Tullius natus serva aedem Dianae dicaverit in Aventino, cuius tutelae sint cervi, a quorum celeritate fugitivos vocent cervos*. Mallem: *Cum eius tutelae sint cervi, a quorum celeritate fugitivos vocant cervos*.

(*a*) Pag. 80. (*b*) Saturn. lib. I. cap. 13. (*c*) Plutarch. quaest. 100.

APRI-

APRILIS

VINIRI · QVOD · EA CVM ... AE REGIS
VM · A · QVO · P · R · ORTVS · E ... ISE QVIA
FRVGES FLORES · ANIMALIAQVE AC · MARIA · ET · TERRAE · APERIVNTVR

G K PR · F — FREQVENTER · MVLIERES · SVPPLICANT FORTVNAE · VIRILI HVMILIORES ETIAM IN · BALINIIS · QVOD · IN · IIS · EA · PARTE CORPO VTIQVE · VIRI · NVDANTVR · QVA · FEMINARVM GRATIA DESIDERATVR

D F

E III C

F PR C — LVDI M · D · M · I · MEGALENSIA · VOCANTVR · QVOD · EA · DEA MIGALE · APPELLATVR · NOBILIVM · MVTITATIONES · CENARVM SOLITAE · SVNT · FREQVENTER · FIERI · QVOD · MATER · MAGNA EX LIBRIS SIBVLLINIS ARCESSITA LOCVM MVTAVIT EX PHRYGI ROMAM

G NON · N — LVDI FORTVNAE PVBLICAE CITERIO IN COLLE

H VIII NP — LVDI · E · Q · E · D · C · CAESAR · C · F · IN · AFRICA · REGEM

A

D

E N — FORTVNAE PRIM · G ... VM · MAXIMV ... VTRO EORVM DIE ORACLVM PATET · IIVIRI · VITVLVM · I

F PR N — LVDI · IN · CIRCO · M · D · M · I · IN · PAL ... QVOD · EO · DIE · AEDIS · E DEDICATA · EST

G EID

RI H XIIX N — FRVCTVS.

O A XVII F ORD

B XVI N — LVDI CO

C XV N — LV

D XIIII N — LV

E XIII CER

F XII N

I G XI PAL

I H X N — EST DAE · Q IGNES · TRA PRINCIPIO A REDIGITVR

A VIIII VIN F — IO M DEL CONSECRATVM

B VIII C — RENTVR AB RVTVLIS · QVIA · MEZENTIVS · REX · ETRV ... VM PACISCEBATVR · SI SVBSIDIO VINISSIT · OMNIVM · ANNORVM VINI · FRVCTVM · SIG · DIVO · AVGVSTO · PATRI · AD · THEATRVM · MAR IVLIA AVGVSTA · ET · TI · AVGVSTVS DEDICARVNT TI CAESAR TOGAM VIRILEM · SVMPSIT · IMP · CAESARE · VII · M AGRIPP III · COS ·

C VII ROB NP — FERIAE · ROBIGO · VIA · CLAVDIA · AD · MILLIARIVM V · NE · ROBIGO · FRVMINTIS · NOCEAT · SACRIFICIV ET LVDI · CVRSORIBVS · MAIORIBVS · MINORIBVSQ FIVNT · FESTVS EST PVERORVM LENONIORVM QVIA PROXIMVS · SVPERIOR · MERETRICVM EST.

D VI F — HVNC · DIEM · DIVVS · CAESAR · ADDIDIT.

E V C

F IIII NP — LVDI FLORAE FERIAE · EX · S · C · QVOD · EO · DI ... ET VESTAE · IN · DOMV · IMP · CAESARIS · AVGV ... NTIF · MA DEDICATA · EST · QVIRINIO ET VALGIO · COS · EODEM DIE · AEDIS · FLORAE · QVAE · REBVS · FLORESCENDIS PRAEEST DEDICATA · EST · PROPTER STERILITATEM · FRVCVM

G III C — LVDI

H PR C — LVDI

XXX

APRILIS

HAec Tabula Fastorum Aprilis pauciores indicat dies quam superior Ianuarii, sed eius, quae reperire sors tulit, fragmenta multo minus tum temporis, tum ruinae iniurias passa sunt. Itaque ex his potissimum fragmentis certior factus sum altitudinis, ac latitudinis ceterarum Tabularum, & quod unaquequae Tabula non ex una constabat marmorea lamina, sed ex pluribus apte inter se coniunctis.

. . . VINIRI QVOD EA CVM . . . . AE REGIS . . . . VM A QVO P. R. ORTVS E . . .] Supple : *Aprilis a* VENERE ; seu : *sacer* VENERI ; & deinde caussam Verrius affert, forte, QVOD EA CVM *Anchise parens fuit Aene*AE REGIS *qui genuit Iul*VM A QVO POPVLVS ROMANVS ORTVS *Est*. Ovidius (*a*) :

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus,
Haec generis princeps, ipsius ille pater.

Et de Romulo loquens (*b*) :

Utque fero Marti primam dedit ordine sortem,
Quod sibi nascenti proxima caussa fuit;
Sic Venerem gradibus multis in gente repertam
Alterius voluit mensis habere locum.

Demum hos gradus recensens subdit (*c*) :

Proximus Anchises, cum quo commune parentis
Non dedignata est nomen habere Venus.

Huius opinionis auctores nominat Varro (*d*) Fulvium Flaccum, & Iunium Gracchum, unde Censorinus (*e*) de die natali : *Nomina*, inquit, *decem mensibus antiquis Romulum fecisse, Fulvius, & Iunius auctores sunt; & quidem duos primos a parentibus suis nominasse, Martium a Marte patre, Aprilem ab Aphrodite, idest Venere, unde maiores eius oriundi dicebantur*. Et Macrobius enarrans (*f*), *quomodo annum ordinaverit Romulus*, eamdem opinionem ita exponit : *Secundum mensem nominavit Aprilem, ut quidam putant cum adspiratione, quasi Aphrilem, & hanc Romuli fuisse asserunt rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Aeneae matre Venere nominaret : & hi potissimum anni principia servarent, a quibus esset Romani nominis origo, cum hodieque in sacris Martem patrem, Venerem genitricem vocemus.*

VINIRI] Sic in marmore, fortassis blandiloquentiae caussa. Porro neminem praeterit illud Gellii (*g*), quod *sane quam consuetum veteribus fuerat litteris E, & I plerumque uti indifferenter*, *habent enim*, docente Varrone (*h*), *I cum E magnam commu-*

(*a*) Ovid. Fast. I. v. 39.
(*b*) Fast. IV. v. 25.
(*c*) Ibid. v. 35.
(*d*) Varro de L. L. lib. 5.
(*e*) Censorin. cap. 22.
(*f*) Saturn. lib. 1. cap. 12.
(*g*) Gell. Noct. Att. lib. 10. cap. 24.
(*h*) De L. L. lib. 5.

communitatem. At Verrii licentia suspicionem iniicit, ne aliquid altius in hac lateat affectata scribendi nomen Veneris ratione. Βῖνος, scribit Suidas, ὄνομα Θεᾶς, *nomen Deae*, a verbo nimirum βινεῖν, quod, eodem Suida adnotante, significat *cum femina coire*; & illo sic vetus utitur Epigrammographus, nec semel Aristophanes.

. . . SE QVIA FRVGES FLORES ANIMALIAQ. AC MARIA ET TERRAE APERIVNTVR] En aliud mensis Aprilis etymon: *Alii putant ita appellatum* ESSE QVIA FRVGES FLORES ANIMALIAQ. AC MARIA ET TERRAE APERIVNTVR. Varro (*a*) idipsum proposuit, ubi reiecta Fulvii, & Iunii sententia, ex eo quod Veneris, Graece *Aphroditis*, nomen antiquis litteris nusquam invenisset, subiecit: *Magis puto dictum, quod ver aperit, Aprilem*; quam Varronis sententiam Censorinus (*b*) ita refert: *Aprilem autem* [nominatum credit] *non ab Aphrodite, sed ab aperiendo, quod tunc fere cuncta gignantur, & nascendi claustra aperiat natura*. Macrobius (*c*) pro eadem sententia addit Cincii auctoritatem; & haec ipsa nostri Calendarii verba ob oculos habens quodam veluti commentario ea sic amplificat, & illustrat: *Sed Cincius in eo libro, quem de Fastis reliquit, ait, imperite quosdam opinari Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse, cum nullus dies festus, nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem a maioribus institutum sit: sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla, ut ceterorum caelestium, laus celebretur. Cincio etiam Varro consentit affirmans nomen Veneris ne sub regibus quidem apud Romanos vel Latinum, vel Graecum fuisse, & ideo non potuisse mensem a Venere nominari. Sed cum fere ante aequinoctium vernum triste sit caelum, & nubibus obductum, sed & MARE navigantibus CLAVSVM, TERRAE etiam ipsae aut aqua, aut pruina, aut nivibus contegantur, eaque omnia verno hoc mense APERIANTVR, arbores quoque, nec minus cetera, quae continet terra, APERIRE se in germen incipiant, ab his omnibus mensem Aprilem dici merito APERILEM: sicut apud Athenienses ἀνθεστηριὼν idem mensis vocatur ab eo quod hoc tempore cuncta florescant*. Eleganter Ovidius (*d*):

Quo non livor abit? Sunt qui tibi mensis honorem
Eripuisse velint, invideantque, Venus.
Nam quia VER APERIT tunc omnia, densaque cedit
Frigoris asperitas, fetaque terra patet;
APRILEM memorant ab APERTO tempore dictum,
Quam Venus iniecta vindicat alma manu.

1. Apr. FREQVENTER MVLIERES SVPPLICANT FORTVNAE VIRILI HVMILIORES ETIAM . . . IN BALINIIS QVOD IN IIS EA PARTE CORPO . . . VTIQVE VIRI NVDANTVR QVA FEMINARVM GRATIA DESIDERATVR] Haec est illa Verrii sententia, quam Macrobius, post ea, quae mox descripsimus, verba sic memorat: *Non tamen negat Verrius Flaccus hoc die postea constitutum, ut matronae Veneri sacrum facerent; cuius rei caussam, quia huic loco non convenit, praetereundum est*. Itaque appositam huic diei Calendarum Aprilis a Verrio notam, non sine stomacho, & indignatione legas oportet; & idcirco ob oculos tibi pono apud Macrobium, quod imitari debes tum in dicendo, tum in scribendo, praeclarum modestiae, ac verecundiae exemplum. Quae desunt in marmore ita certus supple: HVMILIORES ETIAM *Veneri*: & inferius CORP*oris*. Si vero nosse placet ritus, queis duplex huius diei festum agebatur in honorem Veneris, & Fortunae Virilis, legesis Ovidium (*e*). Mihi satis erit haec adnotasse.

1. Apr. FREQVENTER] Egregius huius aetatis Polyhistor Vitus M. Giovenazzius in notis suis ad Fragmentum ἀνέκδοτον Historiarum Livii ex schedis Vaticanis descriptum (*f*), festorum huius, & sequentis diei expositionem Verrianam in lucem edere sategit, appositeque adnotavit, quod utroque in loco vox FREQVENTER *non ad tempus refertur ut sit* πολλάκις, *ac saepe; sed novo intellectu* πρὸς ὄχλον, καὶ πλῆθος: *ut sit idem*

(*a*) Loc. cit.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) Macrob. loc. cit.
(*d*) Fast. IV. v. 85.
(*e*) Fast. IV. v. 143.
(*f*) Edit. Neap. an. 1773. pag. LXVII.

idem ac coacervatim, *magno concursu*, *magna frequentia*. Eruditi viri sententiam non modo adprobandam esse censeo, sed etiam exemplis comprobare iuvat. Cicero ad Atticum (*a*) scribens: *Haec sunt*, inquit, *in Rep.*, *nisi etiam illud ad Remp. putes pertinere*, *Herennium quemdam*, *Tribunum plebis*, *tribulem tuum*, *sane hominem nequam atque egentem*, *saepe iam de Clodio ad plebem traducendo agere coepisse*; *huic FREQVENTER interceditur*. En etiam Ciceronis locus, in quo, ut bene adnotat Iohannes Georgius Graevius, τὸ *frequenter* significat *a multis*, non *saepe*; non secus ac apud Livium scribentem lib. I: *Romam inde frequenter migratum est a parentibus*, *maxime a propinquis raptarum*. Praeterea Graevius iure merito Gronovium laudat, quod pulchre notaverit in Observat. in Script. Eccles. cap. 14. S. Cyprianum, ubi ait ep. 55: *Concilio frequenter acto*, nullatenus Concilium intelligere *saepe* actum, sed actum *magno consessu*.

1. Apr. FORTVNAE VIRILI] Fertur Aedem *Fortunae Virilis* olim fuisse, quae nunc est Aedes S. Mariae Aegyptiacae ad ripam Tiberis iuxta pontem Palatinum, ob antiquitatem structurae in primis conspicua. Enimvero Dionysius Halicarn. (*b*) aedem *Fortunae Virilis* in ripa Tiberis positam dicit, cuius auctor fuit Servius Tullius eodem Dionysio, & Plutarcho (*c*) testibus; etsi illud, quod modo exstat aedificium e lapide quadrato, & columnis ornatum, posterioribus temporibus constructum esse constet. Porro sunt etiam, qui praeterea arbitrantur descriptum esse simulacrum *Fortunae Virilis* a Varrone, cuius haec verba ex libris de vita populi Romani citat Nonius (*d*): *Et a quibusdam dicitur Virilis Fortunae*, *ab eo quod duabus undulatis togis est opertum*, *proinde ut olim Reges nostri undulatas*, *& praetextas togas soliti sunt habere*. Novi alios legere: *Virginis Fortunae*, cui quoque Servium Tullium templum locasse Plutarchus testatur (*e*): *Omnium enim maxime videtur Servius Tullius Fortunae vim divinam extulisse*, *omnibusque eam inscripsisse actionibus*, ut idem Plutarchus animadvertit; ast ego libens sentio, veram lectionem esse *Virilis Fortunae*, Varronem tamen loqui de simulacro Servii Tullii, & asserere, quod male illud a quibusdam dicebatur simulacrum *Fortunae Virilis*, cum Servii Tullii esse ex eo constaret, quod, secundum Regum veterum usum, togis duabus undulatis opertum foret. Coniecturae locum praestat historia, seu mavis fabula de simulacro Servii Tullii, quod, ligneum licet foret, deusta Aede Fortunae, integrum superfuit. *Servii Tullii statua*, scribit Val. Max., *cum Aedes Fortunae conflagrasset*, *inviolata remansit*. Idipsum testatur Dionys. Halicarn. (*f*), multisque exornat Ovidius (*g*), qui Servii Tullii simulacrum in Aede Fortunae positum superiniectis opertum fuisse togis etiam affirmat, & meam de fragmento Varronis coniecturam sane certam facit:

Lux eadem, *Fortuna*, *tua est auctorque*, *locusque*:
Sed superiniectis quis latet aede togis?
Servius est; *hoc constat enim*: *sed caussa latendi*
Discrepat.

Et deinde subiicit:

Arserat hoc templum: *signo tamen ille pepercit*
Ignis:

1. Apr. IN BALINIIS] Haec vox primigenia ex Gr. βαλανεῖον, & idcirco etiam frequentior quam *balneum*. Porro observatum fere est, ut *balineae*, & *balinea* in plurali numero dicerentur, quod publica essent aedificia, ubi tum viri, tum mulieres lavationes suas separatas habebant. Quoniam vero tres erant in balineis cellae, seu mavis regiones, in quarum summa erat aer calidus, in media aquae calidae, in ima aquae frigidae, hinc Ovidius ait (*h*):

F *Disci-*

(*a*) Lib. I. ep. 19.
(*b*) Dionys. Halicarn. lib. 4.
(*c*) Quaest. Rom. q. 73.
(*d*) Nonius v. *Undulatum*.
(*e*) Plutarch. loc. cit.
(*f*) Dionys. Halic. lib. 4.
(*g*) Ovid. Fast. VI. v. 569., & 625.
(*h*) Fast. IV. v. 145.

Discite nunc quare FORTVNAE thura VIRILI
Detis eo, gelida qui locus humet aqua.

Plutarchus in Numa sententiam eorum commemorans, qui Aprilem a Venere, quam Graeci Ἀφροδίτην nominant, dictum opinabantur, subiungit: ἐν τῷ θύουσί τε τῇ Θεῷ, καὶ ταῖς καλάνδαις ἐστεφανωμέναι αἱ γυναῖκες μυρσίνῃ λούονται, *quo mense faciunt huic Deae sacrum; mulieresque Kalendis, redimitae myrteis coronis, lavant.*

4. Apr. LVDI M. D. M. I. MEGALENSIA VOCANTVR QVOD EA DEA MIGALE APPELLATVR] In Calendario Maffaeiano hoc die: LVDI MATR. MAG. In Calendario Vindobonensi: *Ludi Megalesiaci*, quo quidem verbo utitur etiam Iuvenalis (*a*):

Interea Megalesiacae spectacula mappae
Idaeum solemne colunt.

Eleganter Ovidius (*b*) post tertiam diem Aprilis festa Matris Magnae Ideae incipere monet his versibus:

Ter sine perpetuo caelum versetur in axe;
Ter iungat Titan, terque resolvat equos.
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idaeae festa parentis erunt.

Varro (*c*) huius festi meminit, sed locum insigniter corruptum ita exhibent libri editi: *Megalesia dicta a Graecis, quod ex libreis Sibyllineis arcessita ab Attalo Rege Pergami prope murum Megalesion, ubi templum huius Deae, unde advecta Romam.* Veram lectionem ex parte indicant nostri Calendarii verba. Legesis: *Megalesia a Megale sic dicta a Graecis, quae ex libreis Sibyllineis arcessita ab Attalo Rege Pergami, Pessinunte, ubi Megalesion, templum huius Deae, est advecta Romam.* Inter ea sacra, quae *Peregrina* (*d*) dicebantur, MEGALENSIA praecipue numerabantur, & eorum nominis religionem ita exaggerat Cicero (*e*): *Qui uni ludi*, inquit, *nec verbo appellantur Latino, ut vocabulo ipso & appetita Religio externa, & Magnae Matris nomine suscepta declaretur.* Arnobius (*f*) quid simile animadvertit: *Sacra Cereris matris, non quod vobis incognita essent, adscita paullo ante, obtentum est, ut Graeca dicantur* [nempe *Megalesia*] *novitatem ipsam testificante cognomine.* Curabant Megalensia Aediles Curules; qua de re Dio apposite notat (*g*), A. U. C. 709. fuisse eos ludos ab Aedilibus Plebis celebratos ex S. C., quia nimirum nulli tunc erant Aediles Curules; & notatu dignum est, hinc intelligi, cur in aureo nummo, qui in Museo Ducum Mantuae olim adservabatur, & in memoriam horum ludorum cusus creditur, non Aedilium Plebis, qui eos curarunt, legantur nomina, sed Cestii, & Norbani, qui tunc temporis cum essent Praefecti Urbis omnium summorum Magistratuum honores usurpabant. Ceterum hinc etiam est, quod Aedilium Curulium nomina praeferunt tres P Terentii Comoediae, Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Ludis Megalensibus actae; & Livius (*h*) memoria dignum censuit, quod Megalensia Ludos scenicos Acilius Serranus, & L. Scribonius Libo Aediles Curules primi fecerunt. Demum notes velim quod antequam hoc festum perageretur, simulacrum M. D. M. I. VI. Cal. Aprilis vehebatur carpento extra portam Capenam, & Almonis aquis lavabatur, ut testantur de die Ammianus Marcellinus (*i*), & Vibius Sequester (*k*); & de ritu Ovidius (*l*), aliique sexcenti, inter quos Prudentius (*m*), cuius versus mox referam. Itaque novem veluti praeparatorii ad Megalensia dies non sine aliqua religione transigebantur; sicuti per novem itidem dies ipsum celebrabatur festum, nempe a Pridie Nonas

(*a*) Iuvenal. sat. II. v. 191.
(*b*) Ovid. Fast. IV. v. 179.
(*c*) Varro lib. V. de L. L.
(*d*) Vid. Festum v. *Peregrina Sacra*.
(*e*) Orat. de Harusp. responsis §. 12.
(*f*) Lib. 4. adv. Gentes.
(*g*) Dio lib. 43. §. 48.
(*h*) Livius lib. 24.
(*i*) Ammian. Marcellinus lib. 23.
(*k*) Vibius Sequester de Fluminibus.
(*l*) Fast. IV. v. 317.
(*m*) Prudent. in libro περὶ στεφάνων Hymno X. v. 154.

Nonas ad Prid. Id. Apr., unde Aelius Spartianus *ipsis Megalensibus* interfectum fuisse dicit Caracallam, qui interfectus est, secundum eumdem Spartianum, VIII. Idus Aprilis die natalis sui, seu, ut scribit Dio (*a*), VI. Idus.

4. Apr. MEGALENSIA] Ludi, qui *Megalesia* in libris editis, ac Mss. nominati inveniuntur, ex nostro marmore constat, quod etiam *Megalensia* appellabantur; ex quo falsitatis convincitur quorumdam plane inepta sententia, distinguentium festum Megalesia dictum a Ludis Megalensibus. Porro Quinctilianus (*b*): *Quaedam*, inquit, *faciem soloecismi habent, & dici vitiosa non possunt; ut tragoedia Thyestis, & LUDI FLORALIA, ac MEGALENSIA* (*c*): *Quamquam haec sequenti tempore interciderunt, numquam aliter a veteribus dicta*.

4. Apr. MIGALE] Nota litteram I, quae est E in voce MEGALENSIA. Credo, quod erat suavius; notat enim Quinctilianus I. 7. *De mutatione litterarum, de qua supra dixi; nihil repetere hic necesse. Fortasse enim sicut scribebant, etiam ita loquebantur*.

4. Apr. M. D. M. I.] Cum naturam ipsam omnium rerum procreatricem esse blasphemarent Physici, hinc est, quod Poëtae, ac Mithologi eam finxerunt esse Magnam Matrem, & Matrem Deorum. Eius idolum Romam advectum ex Phrygia nihil erat aliud, quam *lapis* non magnae sane molis, cum Livius tradat, quod Scipio Nasica Deam e navi *in terram elatam tradidit ferendam matronis*, & quod *eae per manus, succedentes aliae aliis, in aedem Victoriae pertulere*. Hic lapis in muliebri statua seu fusa, seu sculpta deinceps positus fuit, oris loco, quia angellos habens prominentes praeseferebat in medio signum in modum humani oris expansum, prout visitur in lapidibus, quos Physici hysterolithes appellant. Audi oculatum rei testem Arnobium (*d*): *Allatum ex Phrygia nihil quidem aliud nisi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis sine ulla impressione qui posset, coloris furvi, atque atri, angellis* [al. *angulis*] *prominentibus inaequalis, & quem omnes hodie ipso illo videmus in signo, oris loco, positum, indolatum & asperum, & simulacro faciem minus expressam simulatione praebentem*. Hic Arnobii locus mirifice explicat Prudentium, de ritu, quo Mater Idaea ad rivulum Almonem, ut in eo lavaretur, ducebatur, ita loquentem (*e*):

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos, Matris Idaeae sacris.
Lapis nigellus evehendus essedo,
Muliebris oris, clausus argento sedet;
Quem dum ad lavacrum praeeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.

Et sane Prudentius Arnobium mutuo illustrat indicans ita eum lapidem fuisse in signo positum, ut extrahi posset, prout extrahebatur die in Calendariis notato: *Lavatio Matris Deûm*; quo die in argentea arcula clausus, & vectus essedo in Almonis undis abluebatur. Videsis luculentissimam de lapide, qui Mater Deûm dicebatur, Dissertationem *tom. 23. Memoir. Reg. Academ. Inscr. &c. pag. 213*.

4. Apr. NOBILIUM MUTITATIONES CENARUM SOLITAE SUNT FREQUENTER FIERI] Haec vox Latina MUTITATIONES nunc primum in lucem prodit; & ex ea comprobatur lectio verbi *mutitarent*, quo veluti sacro ac solemni verbo, Ludorumque Megalensium omnino proprio, de iisdem ludis agens bis utitur Gellius, in cuius textu audacter alii suffecerunt *mutuitarent*, alii *munitarent*. Praeterea hinc & feliciter Ovidii versiculus restituitur (*f*), ubi in editis legitur *tum magis*, & ubi Nic. Heinsius reponendum censuit *mutuita*. Equidem minime dubito quin Poëta scripserit *mutita*. Itaque Verrii *mutitationes cenarum* idem sonant ac *convi-*

F 2 via

(*a*) Dio lib. 78. §. 5.
(*b*) Inst. lib. I. cap. 5.
(*c*) Ita in Mss., quos citat Burmannus: in editis *Megalesia*.
(*d*) Adv. Gentes lib. 7. pag. 298.
(*e*) Lib. cit. Hymno X. v. 154.
(*f*) Ovid. Fast. IV. v. 354.

via mutita apud Ovidium. Nec putes verbum *mutitare*, ex quo exoriuntur voces *mutita*, & *mutitationes*, originem suam ducere a verbo *mutuare*, ut sibi multi persuaserunt. Constat tum ex hac Verrii auctoritate, tum etiam ex Ovidio, frequentativum esse verbum a *muto*. Verrius hoc innuit dicens Ludis Megalensibus *mutitationes cenarum* fieri solitae *frequenter*; & enucleatius profecto idem edocet subiungens *mutitationum* harum caussam esse, quod M. D. M. I. arcessita locum *mutavit* ex Phrygia Romam advecta. Concinit Ovidius (*a*):

Cur vicibus factis ineant convivia, quaero,
MVTITA, indictas concelebrantque dapes?
Quod bene MVTARIT sedem Berecynthia, dixit:
Captant MVTATIS sedibus omen idem.

4. Apr. NOBILIVM CENARVM] Nobiles cenas Verrius appellat, quae Ludis Megalensibus inire mos erat convivia, quia earum mutitationes inter nobiles cives, quos Gellius (*b*) modo *Principes Civitatis*, modo *Patricios* (*c*) appellat, agebantur; unde illud Iuvenalis (*d*):

Atque a Plebeis longe Megalesia.

Inter eruditas quaestiones, quas ad demulcendum animum honestis, iucundisque sermonum illectationibus propositas fuisse narrat Gellius, cum Saturnalia Athenis agitaret, hanc recenset (*e*): *Quam ob caussam Patricii Megalensibus mutitare soliti sint, plebes Cerealibus?* Sed quomodo ea quaestio soluta fuerit, non indicat Gellius, neque apud quemlibet alium, quod sciam, scriptorem vetustum ne instituta quidem invenitur. Quod unum ex eodem Gellio discimus hoc est, Magalesiaca convivia vel ab initio agi solita tam laute, ut sumtuaria pro iisdem lex fuerit lata: *Legi adeo nuper*, inquit Gellius, *in Capitonis Atteii coniectaneis Senatus decretum vetus C. Fannio, & M. Valerio Messala Coss. factum, in quo iubentur Principes Civitatis, qui Ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est, mutua inter se se dominia agitarent, iurare apud Consules, verbis conceptis, non amplius in singulas coenas sumtus esse facturos, quam centenos vicenosque aeris, praeter olus, & far, & vinum; neque vino alienigena, sed patrio usuros; neque argenti in convivio plus pondo, quam libras centum illaturos.* In quem Gellii locum liceat animadvertere iure merito Lipsium castigasse Gryphii editionem, ubi pro *dominia agitarent*, contra Mss. omnium fidem suffecta legitur vox *convivia*. Significat autem, ut arbitror, τὸ *dominia*, quod quisque alternatim in aliena domo omnia veluti Dominus disponeret, quasi propriam suam in alienam illam mansionem mutasset.

4. Apr. CENARVM] Nota vocis a Verrio probatam orthographiam. Gestiat Manutius.

4. Apr. FREQVENTER] Hic quoque hanc vocem adhibere videtur Verrius eodem sensu, quo supra; consuevisse enim fieri nobilium mutitationes cenarum in Megalensibus magna convivarum una simul concurrentium frequentia facile suadet sumtuarium Senatus decretum in superiore nota relatum. Favet coniecturae Cicero (*f*): *Sodalitates*, inquit, *me Quaestore, constitutae sunt, sacris Idaeis Magnae Matris acceptis. Epulabor igitur cum sodalibus.*

4. Apr. QVOD MATER MAGNA EX LIBRIS SIBVLLINIS ARCESSITA LOCVM MVTAVIT EX PHRYGIA ROMAM] En caussa mutitationum nobilium cenarum. Romam advecta est Dea ex Pessinunte urbe Galatiae in Phrygiae confinio an. U. 549. P. Sempronio Tuditano, M. Cethego Coss., cum arcessita fuisset proxime superiore A. U. 548. Coss. P. Cornelio Scipione, & P. Licinio Crasso, Verrius tamen advectam dicit EX PHRYGIA, quia tota Phrygia Matri Deûm sacra erat, ut notat vetus Scholiastes Apollonii in lib. I. Argon. v. 985., qua de re etiam Cicero eam Deam appellat: *Sacra ex Phrygia ascita.*

4. Apr. SIBVLLINIS] Audi Velium Longum de Orthogr: *Verrio Flacco videtur eamdem esse apud nos* V *litteram, quae apud Graecos* Υ; *namque his exemplis argumentatur &c.*

4. Apr. EX LIBRIS SIBVLLINIS ARCESSITA] Ipsissimis verbis utitur Varro, quem superius

(*a*) Fast. IV. v. 353.
(*b*) Lib. 2. cap. 24.
(*c*) Lib. 18. cap. 2.
(*d*) Sat. 6. v. 69.
(*e*) Lib. 2. cap. 24.
(*f*) *De senectute* cap. 3.

perius descripsi. Inspecti fuere Libri Sibyllini, ut tradit Livius (*a*) propter crebrius eo anno de caelo lapidatum, & invento in eis carmine, cuius hic erat sensus: *Quandocumque hostis alienigena terrae Italiae bellum intulisset, eum pelli Italia, vincique posse, si Mater Idaea Pessinunte Romam advecta esset*; Civitatem de adventu Hannibalis solicitam nova haec religio invaserat, qua de re missi sunt Oratores Pergamum ad Regem Attalum, qui *Legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit, sacrumque his lapidem, quem Matrem Deûm esse incolae dicebant, tradidit, & deportare Romam iussit*. Eadem narrat Appianus, & paucis sic indicat Ovidius (*b*):

Carminis Euboici fatalia verba Sacerdos
Inspicit: inspectum tale fuisse ferunt.
Mater abest: Matrem iubeo, Romane, requiras:
Cum veniet casta est accipienda manu.

5 Apr. NON N. LVDI FORTVNAE PVBLICAE CITER. . . . IN COLLE] Lege: LVDI FORTVNAE PVBLICAE CITER*iori* IN COLLE; & disce nunc primum a vetere Latino scriptore, quae sit *Fortuna Brevis*, cui fanum Servius Tullius dedicavit, & quam unus, quod sciam, sic nominat Plutarchus in Quaestionibus Romanis (*c*), inter quas hanc proponit: Διὰ τί μικρᾶς Τύχης ἱερὸν ἱδρύσατο Σέρουιος Τύλλιος ὁ βασιλεὺς ἣν βρέβεμ καλοῦσι; πότερον ὅτι μικρὸς ὢν ἐν ἀρχῇ καὶ ταπεινὰ πράττων, καὶ γεγονὼς ἐκ μητρὸς αἰχμαλώτου διὰ τὴν Τύχην ἐβασίλευσε τῆς Ῥώμης; ἢ αὕτη μὲν ἡ μεταβολὴ μέγεθος ἐμφαίνει τύχης μᾶλλον ἢ μικρότητα; πάντων δὲ μάλιστα Σέρουιος ἔοικε τῆς Τύχης ἐκθειάσας δύναμιν ἐπιφημίσαι πράξεσιν ἁπάσαις· οὐ γὰρ μόνον Τύχης εὐέλπιδος καὶ ἀποτροπαίου καὶ μειλιχίας, καὶ πρωτογενείας καὶ ἄρρενος ἱερὰ κατασκεύασεν, ἀλλ' ἔστιν ἰδίας τύχης ἱερὸν ἕτερον δὲ ἐπιστρεφομένης ἄλλο δὲ εὐέλπιδος ἄλλο παρθένου καὶ τί ἄν τις ἐπεξίοι τὰς ἄλλας ἐπωνυμίας, ὅπου τύχης ἰξευτρίας ἱερόν ἐστιν, ἣν βισκᾶταν ὀνομάζουσιν, ὡς πόρρωθεν, ἡμῶν ἁλισκομένων ὑπ' αὐτῆς καὶ προσισχομένων τοῖς πράγμασιν. ὅρα δὴ μὴ καταμαθὼν τὸ παρὰ μικρὸν ἀεὶ τῆς τύχης μέγα δυνάμενον, καὶ ὅτι τὸ γενέσθαι τι μικρὸν, ἢ μὴ γενέσθαι τί πολλάκις ὑπῆρξεν ἐνίοις τυχεῖν, ἢ διαμαρτεῖν τῶν μεγίστων μικρᾶς τύχης ἱερὸν ἱδρύσατο, προσέχειν διδάσκων τοῖς πράγμασι, καὶ μὴ καταφρονεῖν διὰ μικρότητα, τῶν ἐντυγχανόντων. *Cur Parvae Fortunae, quam Brevem vocant, fanum Servius Tullius dedicavit? an quod initio humilis, & obscurus, matre natus captiva, Fortunae beneficio ad regnum Romae evectus fuit? Aut magnitudinem potius mutatio ista, quam exiguitatem Fortunae indicat? Omnium vero maxime videtur Servius Fortunae vim divinam extulisse, omnibusque eam inscripsisse actionibus. Non enim Fortunae dumtaxat bonae spei, averruncae, blandae, primigeniae, & virilis templa condidit: sed & propriae Fortunae aedes est, & convertentis, & bene sperantis, & virginis, & quid reliqua persequar cognomina? Cum Viscatae etiam Fortunae templum sit, quasi eminus non captantis, & rebus adhibentis. Quin hoc vide, an non deprehenso Fortunam minimis momentis plurimum posse, multisque usuvenisse, ut exiguis plane rebus aut evenientibus, aut non contingentibus maxima consequerentur vel perderent, parvae Fortunae templum dedicarit: docens animum rebus esse advertendum, nihilque eorum, quae offeruntur ob parvitatem esse negligendum*. Haec Plutarchus; & ad ea animadvertit Boxhornius, aliud esse μικρὸν *parvam*, aliud *brevem* Fortunam; & per *parvam* ex maximis angustiis ad maxima quaevis nos eluctari, per *brevem* autem denotatam potius videri Fortunae instabilitatem; nisi etiam per *brevem Fortunam* Servius Tullius voluerit significare, non nimis late exerendam, sed intra iustos limites, qui commode regi possint, comprimendam esse imperii Fortunam. Ita Boxhornius. At Verrius *citeriorem* eam appellans indicare mihi videtur, quod *Fortuna brevis* esset Fortuna vicinior, & brevi necessaria, seu brevi obventura; aut, si mavis, Fortuna *Huiusce diei* appellata, cuius meminit Cicero (*d*). Ea est passim vis vocis *citerior* apud Latinos scriptores. Hanc autem, ut censeo, Fortunam Plutarchus μικρὰν, & βρέβεμ, aptius vero Verrius *Publicam citeriorem* appellarunt, ut a For-

(*a*) Lib. 29. (*b*) Fast. lib. IV. v. 257. (*c*) Plutarch. q. 73. (*d*) *De Legibus* lib. 2. §. 11.

a Fortuna Publica Primigenia distinguerent, cuius festum duo alia marmorea Calendaria adsignant VIII. Kal. Iun., qua die etiam Ovidius (*a*) cecinit:

Nec te praeteream, populi Fortuna potentis
Publica, cui templum luce sequente datum.

Novi doctos quosdam viros existimasse, quod notam, quae in Fragmento Calendarii ad S. Martinae sic exstat: FORTVN. PVBLIC. PR. IN COLL. sic legere oporteat: *Fortunae publicae Populi Romani*, quasi hanc interpretationem Ovidius exposcat, qui eam dicit *Fortunam publicam populi potentis*, hoc est Romani. Verum hanc coniecturam diluit Calendarium Venusinum, ubi eadem die adnotatur: FORTVN. PRIM. IN COL. Praeterea a Livio (*b*) discimus, quod P. Sempronius Sophus Cos. cum Hannibale in agro Crotoniensi dimicaturus ineunte aestate, *principio pugnae Aedem Fortunae Primigeniae vovit si eo die hostes fudisset; composque eius voti fuit*; & deinde (*c*), quod P. Scipione Africano iterum & T. Sempronio Longo Coss. *aedem Fortunae Primigeniae in Colle Quirinali dedicavit Q. Martius Ralla Duumvir ad idipsum creatus; voverat eam decem annis ante, Punico bello P. Sempronius Sophus, locaverat idem Censor.* Itaque nullus dubitandi locus relinquitur, quin VIII. Kal. Iun. dedicationis huius Aedis memoria celebraretur. Demum Rex Servius Tullius, qui Fortunae tot aedes sub tot variis cognominibus dedicavit, equidem puto quod semper honoratam voluerit unam eamdemque Fortunam Populi Romani; & idcirco, etsi deesset Calendarii Venusini testimonium, & Livii auctoritas, nihilominus putandum erat Calendarii ad S. Martinae auctorem non indicasse genericum, ut ita dicam, sed peculiare cognomen Fortunae, sub quo eo die ea colebatur. Cognomen autem *Primigeniae* Ovidius circumlocutione quadam expressit vocans eam *Fortunam publicam populi potentis*, quia haec fuit P. R. Fortuna Primigenia, esse potentem; unde illud Maronis (*d*):

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
[*Hae tibi erunt artes*] *pacisque imponere morem,*
Parcere subiectis, & debellare superbos.

5. Apr. IN COLLE] Nempe Quirinali, ut explicite hac die notat Ovidius (*e*):

Qui dicet, quondam sacrata est Colle Quirino
Hac Fortuna die Publica, verus erit.

Ubi Poëta dixisse videtur *quondam*, ut facti indicet remotissimam vetustatem, sacraverat enim eam aedem Rex Servius Tullius. Fuit autem Verrio satis dicere IN COLLE, quia scilicet Mons Quirinalis antonomastice *Collis* dicebatur, unde proprio nomine etiam porta Urbis, nunc Salaria, per quam ad eum itur, appellabatur Collina. Fortassis hoc Monti Quirinali obvenit, quod in eius summitate sex olim colliculi prominerent, quorum aliqui vix modo distinguuntur ob rudera, quae interiacentes vallículas repleverunt; & quorum singuli proprium habebant cognomen ab aris Deorum, quae in eis erant positae; etsi deinceps vocabulum *Collis Quirinalis* oblitteravit coniunctarum regionum nomina, ut docet Varro (*f*), qui eorumdem colliculorum varia cognomina etiam recenset. Aliud Fortunae Publicae templum fuisse in Capitolio ex Dione (*g*) colligitur, nec bene Ricquius (*h*) censuit Dionem loqui de Templo Fortunae Obsequentis.

6. Apr. LVDI E. Q. E. D. C. CAESAR C. F. IN AFRICA REGEM . . . .] Forte: LVDI *Equestres* Quod EO Die caius CAESAR caii Filius IN AFRICA REGEM, supple IVBAM DEVICIT, si verbo uti placet, quo utitur Svetonius (*i*). Hanc victoriam huic diei adsignat etiam Ovidius (*k*), sed non indicat, utrum ea die ludi in eius victoriae aeviternam memoriam fierent, quod diserte adfirmat Verrius. A. Hirtius in suo

(*a*) Ovid. Fast. v. v. 739.
(*b*) Liv. lib. 29.
(*c*) Idem lib. 34.
(*d*) Aen. VI. v. 852.
(*e*) Fast. IV. v. 378.
(*f*) Varro lib. 4. de L. L.
(*g*) Dio lib. 4. §. 26.
(*h*) Ricquius *de Capitolio* cap. 43.
(*i*) Svet. in Iul. cap. 35.
(*k*) Ovid. Fast. IV. v. 379.

in suo *de bello Africano* Commentario (*a*) adnotat, Caesarem Non. Apr. movisse contra Thapsum, unde Scipio adductus est cum sociis ad necessitatem dimicandi. Caesar autem feliciter adversarios devicit, & trinis castris potitus est, Scipionis nimirum, Labieni, ac Iubae, qui ex praelio fugiens in regnum suum venit, & ad oppidum Zamam accessit, a quo tamen non secus ac ab aliis omnibus civitatibus cum esset exclusus, desperata salute, cum Petreio singulari certamine congressus est, unaque cum eo interiit. Ita rem tradunt Dio, & Appianus, & paucis indicat Seneca (*b*): *Iam Petreius, & Iuba concurrerunt, iacentque alter alterius manu caesi.* At Sextus Rufus (*c*) mortem sibi Iubam propria manu conscivisse narrat; Livius vero (*d*) Petreium Iubae, deinde sibi manus intulisse scripserat, ut ex librorum illius Epitome colligitur, & comprobatur ex Lucio Floro (*e*). A. Hirtius (*f*) memoriae mandavit, quod Iuba, & Petreius, *ut per virtutem interfecti viderentur, ferro inter se depugnarunt, atque firmior imbecilliorem, Iuba Petreium facile ferro consumpsit; deinde ipse sibi cum conaretur gladio transiicere pectus, nec posset, precibus a servo suo impetravit, ut se interficeret; idque obtinuit.*

11. *Apr.* . . . VM MAXIM . . . FORTVNAE PRIM . . G . . . VTRO EORVM DIE . . . . ORACLVM PATET IIVIRI VITVLVM I . . . .] Dolendum est maxime hanc notam, grandioribus litteris in nostro marmore insculptam, mancam esse, cum neque alia Calendaria, neque Fasti Ovidiani, neque alius quispiam mihi notus vetus scriptor, aliquid ministrent, quo illam omnino supplere possis. Itaque peculiare quoddam & solemne Festum indicare videtur, quod biduo Praeneste agebatur; & hinc facile intelligitur, cur in marmore ob oculos Praenestinorum posito grandioribus litteris descripta fuerit; & superstites litterae nos docent, quod *utro die* Oraclum Fortunae Primigeniae patebat; & IIViri vitulum inmolabant. Porro omissis, quae ad statum urbis Praenestis pertinent ante saeculum Augustaeum, nullus est dubitandi locus, quod illa esset Romanorum Colonia tum Augusto imperante, tum etiam primis annis imperii Tiberii Caesaris, qui Praenestinos ex colonis municipes mox fecit (*g*). Erant igitur Praenestini adhuc coloni, cum in eorum foro Calendarium suum Verrius publicavit, ideoque Romanorum festos dies a se ordinatos eis ob oculos posuit, quia nimirum Coloniae, quae ex civitate quasi propagatae erant, *iura, institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habebant*, ut quasi parvae effigies, & simulacra esse viderentur Populi Romani. Verum ex hac coloniarum conditione minime sequitur, quin peculiare aliquod in eis haberi, & agi festum posset, cum etiam quaelibet colonia suos haberet peculiares Deos (*h*). Festus: *Municipalia sacra vocantur, quae ab initio habuerunt ante civitatem Romanam acceptam; quae observare eos voluerunt Pontifices, & eo more facere, quo adsuessent antiquitus.* Praenestini habebant tutelarem urbis suae Deam Fortunam Primigeniam, numen non ab eis modo, sed a finitimis etiam populis, & praecipue a Populo Romano religiosissime semper cultum. Qua de re totum hoc Fragmentum ita esse supplendum censeo: *Fest*VM MAXIM*um Iovis &* FORTVNAE PRIMIG*eniae* VTRO EORVM DIE OMNIBVS [seu potius MATRIBVS] ORACLVM PATET IIVIRI VITVLVM I*nmolant*. Nomen *Iovis* supplendum coniicio, quia una cum Iove Fortuna Primigenia Praeneste colebatur; cuius idolum, teste Cicerone, tenebat in gremio Iovem puerum mammam cum Iunone appetentem. Coniecturam meam luculenter comprobant plurimi votivi lapides Praeneste reperti, dedicatique una simul Iovi, & Fortunae Primigeniae; & Verrium dicere, quod utro die a IIviris inmolabatur vitulus, nempe Iovis victima. Demum ex eodem Cicerone suppleri posse dicebam vocem MATRIBVS, quia loquens Cicero de lo-

(*a*) Hirt. §. 79.
(*b*) Seneca *de Provid.* cap. 11.
(*c*) Sext. Ruf. in Brev. cap. 4.
(*d*) Livius Epitom. lib. 114.
(*e*) Florus lib. 4.
(*f*) Hirt. §. 94.
(*g*) Vid. Gellium lib. 16. cap. 13.
(*h*) Vid. Norisium in Coenotaph. Pis. Diss. 1. c. 5.

de loco, ubi Praeneste sortes adinventae dicebantur, scribit: *Is hodie locus septus religiose propter Iovis pueri, qui lactens cum Iunone in gremio Fortunae sedens mammam appetens, castissime colitur a MATRIBVS.*

11. Apr. PRIMIGENIAE] Fortunam dictam esse Primigeniam a *gignendo* tradit Cicero (*a*), unde aliqui putant, quod vox *Primigenia* idem sonet ac *natalis*, & eam esse Fortunam Primigeniam, quam unusquisque in suo ortu sortitur. Servius Tullius aedem Fortunae Primigeniae Romae locavit; haereo tamen, an illam, quam P. R. ab initio sortitus erat, Fortunam honore illo prosequi voluerit, an suam, cui in cunis iacenti exorta circum caput flamma regnum portendit, seu mavis, cui ob Fortunam matris, quae iam praegnans a Rege Tarquinio ob praestantiae formam e praeda excisi oppidi Corniculani sibi extra sortem capta, & uxori suae dono data est; unde eum in regia nasci, atque educari contigit, & tandem, mortuo Tarquinio, ad thronum evehi. Sed Verrius de Fortuna Primigenia, quae Praeneste colebatur, certe hic loquitur; & hanc dictam fuisse Primigeniam crediderim, vel quod Praenestini sibi blandirentur, quod apud eos primum culta Fortuna fuerit, vel quod colerent Fortunam, quae Iovem, & Iunonem, Regem nimirum, & Reginam Deorum omnium, lactaverit. Boxhornius (*b*) votivos Fortunae Primigeniae Iovis pueri lapides ob eam caussam fuisse positos autumat, quod dedicantes sibi ita vellent Fortunam propitiam, ut Iovi puero fuerat, quem Poëtae fabulabantur inter pericula editum fuisse, atque educatum, sed ex omnibus evasisse feliciter, ita ut fieret Deorum Rex. Verumenimvero repetenda fortassis est altius origo, & nominis & cultus Fortunae Iovem & Iunonem lactantis; & quoniam ex variis Philosophorum placitis omnis exorta est Mythologia, considerandum propono, an sub illius Fortunae imagine Physicorum latuerit systema, quo nihil absurdius, etsi late tamen fuit olim celebratum, blasphemantium casu omnia exorta esse, & quod

. . . Magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animaeque, marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreverit orbis (*c*).

Enimvero Iuppiter *pro aere, & aethere accipiebatur, quae duo mixta terrae, & humori, pro quibus Iuno ponitur, universa procreant*, ut notat Servius (*d*).

11. Apr. ORACLVM PATET] Cur in nostro marmore sculptum sit *Oraclum*, non vero *Oraculum*, in promptu est caussa. Sic eum locum nominare consuevisse videntur Praenestini, quorum peculiare fuit vitium, Romana vocabula decurtare, ut constat ex Plauto, & notant Nonius, & Festus.

11. Apr. ORACLVM] Delubrum scilicet, atque adeo sanctior delubri pars, ubi Fortunae Primigeniae Iovem lactantis simulacrum, & forte etiam urna sortium adservabantur; neque enim solummodo *Responsa*, & *sortes* dicta sunt *Oracula*, sed etiam templa, e quibus dantur, ut scite notat Servius (*e*), & plures comprobant tum Graecorum, tum Latinorum scriptorum auctoritates. Ut autem intelligas, quale esset hoc ORACLVM, audias oportet, quae Tullius (*f*) de origine sortium Praenestinarum narrat. *Videamus*, inquit, *clarissimarum sortium, quae tradatur inventio. Numerium Suffucium Praenestinorum monumenta declarant honestum hominem, & nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minantibus, cum iuberetur certo in loco silicem caedere, perterritum visu, irridentibus civibus suis, id agere coepisse. Itaque perfracto saxo, sortes erupisse in robore insculptas priscarum litterarum notis. IS EST HODIE LOCVS SEPTVS RELIGIOSE PROPTER IOVIS PVERI, QVI LACTENS CVM IVNONE IN GREMIO FORTVNAE SEDENS MAMMAM APPETENS CASTISSIME COLITVR A MATRIBVS.* En igitur locus, quem Verrius ORACLVM appellat. Quod si in eo factum esse dicamus lithostrotum, quod

(*a*) Cic. de Leg. II. 12.
(*b*) Boxhorn. in Quaest. Rom. quaest. 4.
(*c*) Virg. Eclog. 6. v. 31.
(*d*) Georg. 2. v. 325.
(*e*) Servius Aen. 2. v. 114.
(*f*) Tullius lib. 2. de *Divinitate*.

quod L. Sylla in Fortunae delubro Praeneste fecisse testatur Plinius (a); Syllanumque lithostroton illud ipsum esse, quod modo Praeneste in Palatio Barberiniorum Principum visitur, pluribusque celebratum est eruditorum virorum Commentariis, supersunt adhuc Praenestini huius Oracli vestigia, quae indigitat nobis Vulpius (b) de eo lithostroto loquens his verbis: *Adhuc locum vidimus separatum, quem antiquitus pavimentum hoc superstes totum intexit, ad superius usque saeculum, quando ad tutiora, & sublimiora translatum fuit. Est autem locus Praeneste in ruinis veteris Fortunae templi iuxta aream Sacrae Aedis principis Deo in honorem Divi Agapiti consecratae, ad sinistrum latus, dexterum vero Antistitum Praenestinorum aedes, seu cavaedium intrantibus. Adiri tamen, quod subterraneus paullo sit, sine accensae facis auxilio nequit, cuius ope, mox ut intraveris, fornicatum apparet cubiculum, ferme quadratum, quod victimaria ara perpetuo ductu undique circumvestitur. Ad huius sinistrum intrantibus latus per angustum ac depressum ostiolum locus latet, ubi olim lithostrotos, sive musivum, de quo agimus, opus instratum fuit. Quodque mirari satis non potui, obscurissimum est cubiculum, nullum vel per rimulam admittens solem, depressum, angustum; quodque omnium pessime, aquis continuo oppletum. Quamquam aquarum illud incommodum, post ruinas tantum Praenestinae urbis toties repetitas supervenisse, pro certo habeam, aquaeductibus disturbatis, aquisque quolibet impune dispersis, atque stagnantibus. Quod cum intrarem gurgustium admodum caute, Trophonii illud triste antrum in mentem venit, ubi edebantur oracula: statuique apud memetipsum Praenestini Fortunae templi hoc cavum, locum ipsum fuisse olim Praenestinarum Fortunae Sortium inventarum, quod, Ciceronis testimonio, septo inclusum religiosissime servabatur; ibique signum Fortunae Iovem ac Iunonem lactentes sinu gerentis a matribus castissime cultum exstitisse; de quo idem Tullius. Nisi enim hoc dixerimus; difficile caussam, propter quam obscurum adeo locum, & angustum, nec illum quidem in medio templo, aut sublimiori eius in parte & nobiliori collocatum tam pretioso pavimenti genere vestiri prudenter Sylla voluerit, edicere nobis fas erit. Si vero certis deficientibus monumentis veterum ab scriptorum auctoritate petitis, aures prudentibus coniecturis demus; loci potissimum genus ab Plinio designari, verbis eius recte perpensis, non inaniter fortasse dixerimus. Ait enim Plinius, Syllam huiusmodi Lithostroton in Fortunae Praenestinae DELUBRO fecisse. Est autem Delubrum, si vocis vim introspexeris, Varronis testimonio (c) a DEO dictum; locumque proprie significat, in quo Dei simulacrum constitutum fuerit: sicut locus, in quo candelam figunt, candelabrum appellatur. Neque altera apud Festum vocis huius Delubrum interpretatio in rem nostram non faciat, quae Delubrum, ait, esse fustem delibratum, scilicet libro, sive cortice nudatum, decorticatum, quem superstitiosi Latini veteres pro Deo, nempe simulacrum eius ligneum, colebant. Fuerit itaque antrum hoc pretioso adeo pavimento instratum a Sylla, locus ipse, ubi Fortunae illud ligneum simulacrum crassissimis aureis bracteis undique illitum, quae propterea Praenestinae dictae sunt; de quo nos ex Plinio in superioribus iam meminimus.* Hactenus Vulpius, qui tamen minus apte Triphoni antro eum locum similem fuisse sibi finxit, quem puto non primitus, sed deinceps a superadditis aedificiis obscuratum fuisse, & repressum. Praeterea animadvertas velim, hoc delubrum fuisse primum ab aede Fortunae omnino distinctum, Tullius enim post verba superius descripta ita subiungit: *Eodem tempore, eo loco, ubi nunc Fortunae sita est aedes, mel ex olea fluxisse dicunt, haruspicesque dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras, eorumque iussu ex illa olea arcam esse factam, eaque conditas sortes, quae hodie Fortunae monitu tolluntur.* At vero deinceps tum sanctius illud delubrum, tum quoque haec aedes sub uno eodemque templi Fortunae nomine intelligebatur, postquam regio, seu, mavis, area Fortunae consecrata ad eam extensa est amplitudinem, quam eius vestigia testantur, & cuius auctor fuisse creditur L. Sylla, specie tenus ut Fortunae honorem praestare videretur,

G reve-

(a) Plin. lib.36. c.25. (b) Vulpius *Vetus Latium &c.* to.9. lib.XVI. c.VI. p.136. (c) Varro lib.8. Rer.Div.

revera tamen, ut arbitror, ut illam, quam eo duxit suorum veteranorum coloniam (*a*) adigeret in planitie manere, & antiquos etiam colonos, immitis crudelitatis suae reliquias, in eamdem descendere, ne freti munitione loci nova molirentur. Itaque huius templi amplitudo tanta erat, ut urbis hodiernae aedificia vix partem eius ruderum occupent. Incipiens enim a radicibus montis ad absidem usque, cuius amplae adhuc restant reliquiae in fronte Aedium Barberiniae Familiae urbis Dominae, surgebat per duodecim amplissimas areas in ascensu montis gradatim appositas, immanibusque substructionibus suffultas, ad quas totidem ducebant scalae, & hae singulae areae sacris cuiusque generis aedificiis exornabantur, fontibus, piscinis, lacubus, cavaediis, porticibus, basilicis, delubris, solario etiam mirifico, altoque, ut fertur, pharo, ubi noctu accendebantur faces, quae navigantes in adverso mari Tyrrheno monerent Fortunam colere aequoris dominam, ut eam Horatius (*b*) appellat. Haec erat Verrii aetate templi Fortunae Praenestinae facies, cuius partim auctor, partim certe reparator, & amplificator exstitit L. Sylla. Ceterum etiam ante eius aetatem pulcherrimum, atque ditissimum Praeneste fuisse fanum Fortunae ex eo constat, quod Carneades teste Clitomacho apud Tullium (*c*) dicebat: *nusquam se fortunatiorem, quam Praeneste, vidisse Fortunam*.

11. *Apr.* ORACLVM PATET] Locum, ubi Praeneste simulacrum Fortunae Primigeniae Iovem puerum lactentem in gremio gestantis adservabatur, *septum* fuisse *religiose* ex Tullio didicimus; & hinc eum locum fuisse arbitrabar sanctius quoddam sacrarium delubri Fortunae Primigeniae. Vis vocis *septum*, qua utitur Tullius, coniectationem meam confirmat; notat enim Festus *Secespitam* dupliciter accipi posse, & eius alteram notionem esse cum pro *reticulo aeneo* sumitur circa *sacraria*, *sacraria namque in templis reticulo aeneo sepiebantur*, in *quo tubae relictae sunt*, *per quas manibus sacra tangere licet*. *Est hoc in templo Bonae Deae*, *sed & aliis in locis*, *& sunt velut repagula quaedam*. Ita Festus. Non absimilibus nos quoque cancellis utimur in sacris aedibus.

11. *Apr.* ORACLVM PATET] Sic Virgilius (*d*):

Noctes atque dies patet atri ianua Ditis;

& alibi (*e*): *Apparet domus intus, & atria longa patescunt;*

ubi Servius adnotat: *Aperiuntur*, *ac per hoc videntur*: & Cicero (*f*): *Valvae Concordiae non patent*: hoc est valvae aedis Concordiae non sunt apertae. Utro igitur die *Oraclum*, idest, quod in Praenestino Fortunae Primigeniae delubro erat, sacrarium patebat, vel quia aperti manebant cancelli, quibus sepiebatur, vel etiam fortasse quia vela elevabantur, ut liceret omnibus simulacrum illud Fortunae Iovem puerum lactantis videre. Hinc autem, si quid sapio, en vera caussa, & origo, quam nemo senserat, cultus *Iovis* cognomento *Arcani*, quem plures Praeneste reperti lapides testantur. Vulpius (*g*) dubitanter has caussas proposuit: *Num ab arcanis*, *num ab arca sortium*? Et Muratorius (*h*): *An Iuppiter Arcanus*, *quasi abditus*, *& invisibilis sit*; *an quod in arce*, *aut in sacrificiis a notitia vulgi remotis coleretur*? Nugae. *Arcanus* appellatus est a Praenestinis Iuppiter puer in gremio Fortunae sedens, & eius mammam appetens, quia statis solum diebus patebat Oraclum, quo adservabatur. Nec vere Muratorius adnotat Iovem Arcanum emersisse primum ex lapide, quem describit. Iam enim innotuerat tum ex alio simili lapide, quem Fabrettius ediderat (*i*), tum multo ante ex titulo versibus expresso insculptoque in marmorea basi statuae T. Caesii Primi olim supposita, & adhuc Praeneste superstite, L. Ceionio Commodo, & Sex. Vetulenio Civica Pompeiano Coss. a Caesio Taurino in memoriam parentis sui dedicata, quem titulum Mazzocchius primum vulgavit, & plu-

(*a*) Vide Ciceronem orat. II. de Lege Agraria, & orat. II. contra Catilinam.
(*b*) Horat. lib. 1. Od. 35.
(*c*) De Divin. lib. 2. §. 41.
(*d*) Aen. VI. v. 127.
(*e*) Aen. II. v. 483.
(*f*) Philipp. 2.
(*g*) *Vet. Lat.* lib. 16. cap. 6.
(*h*) Inscr. pag. CLXXXI.
(*i*) Inscr. cap. 5. pag. 411. n. 312.

& plures alii deinde descripserunt. Nec me latent, qui nescientes ingens saxum altitudinis palm. quinque, & trium crassitudinis Praeneste exstare, eum titulum de aede Fortunae in Capitolio perperam interpretati sunt, quia Fortunam Tarpeio Tonanti vicinam adloquitur; & qui in eo *Aegeriumque Iovem*, pro *Arcanumque Iovem* suffecerunt. Hos tamen falsitatis arguit superstes marmor, & illi Poëtae mentem minime sunt assecuti; hic enim, ut Praenestinam Fortunam designet, Fortunam Tarpeio Tonanti vicinam invocat, hoc est vicinam Romae, cuius arx Tarpeia ita erat Iovi sacra, ut Iovem pro arce dicerent, non secus ac pro Praeneste dixit Ovidius (*a*):

Praenestinae moenia sacra Deae.

Elegans hic titulus is est; cui notam temporis adiicio, quam ex sinistro basis latere primus edidit Cecconius (*b*), signantem an. Chr. CXXXVI:

TV . QVAE . TARPEIO . COLERIS . VICINA . TONANTI
VOTORVM . VINDEX . SEMPER . FORTVNA . MEORVM
ACCIPE . QVAE . PIETAS . PONIT . TIBI . DONA . MERENTI
EFFIGIEM . NOSTRI . CONSERVATVRA . PARENTIS
CVIVS . NE . TACEAT . MEMORANDVM . LITTERA . NOMEN
CAESIVS . HIC . IDEMQ. TITVS . PRIMVSQ. VOCATVR
QVI . LARGAE . CERERIS . MESSES . FRVCTVSQ. RENATOS
DIGERIT . IN . PRETIVM . CVI . CONSTAT . FAMA . FIDESQ
ET . QVI . DIVITIAS . VINCIT . PVDOR . IRE . PER . ILLOS
CONSVETVS . PORTVS . CVRA . STVDIOQ . LABORIS
LITTORA . QVI . PRAESTANT . FESSIS . TVTISSIMA . NAVTIS
NOTVS . IN . VRBE . SACRA . NOTVS . QVOQ. FINIBVS . ILLIS
QVOS . VMBER . SVLCARE . SOLET . QVOS . TVSCVS . ARATOR
OMNIBVS . HIC . ANNIS . VOTORVM . MORE . SVORVM
CENTENAS . ADICIT . NVMERO . CRESCENTE . CORONAS
FORTVNAE . SIMVLACRA . COLENS . ET . APOLLINIS . ARAS
ARCANVMQ. IOVEM . QVORVM . CONSENTIT . IN . ILLO
MAIESTAS . LONGAE . PROMITTENS . TEMPORA . VITAE
ACCIPE . POSTERITAS . QVOD . PER . TVA . SAECVLA . NARRES
TAVRINVS . KARI . IVSSVS . PIETATE . PARENTIS
HOC . POSVIT . DONVM . QVOD . NEC . SENTENTIA . MORTIS
VINCERE . NEC . POTERIT . FATORVM . SVMMA . POTESTAS
SED . POPVLI . SALVO . SEMPER . RVMORE . MANEBIT

L. CEION . . O . COMM . . .
. . EX . VETVL . . NIO . C . . .
POM . . EIANO . C . . .
LOC. D. D. . .

11. *Apr.* ORACLVM PATET] Numquid etiam licebat sortes tollere? Haud crediderim. Hae tollebantur singulari Deae monitu, & singulari quadam religione ad augendam earum dignitatem, seu, ut loquitur Svetonius (*c*), maiestatem. *Quae Fortunae monitu*, scribit Cicero, *pueri manu miscentur, atque educuntur*. Praeterea ex veteri, apud Fabrettium (*d*), lapide elicitur, praeire solitum postulantis sacrificium:

SACRO
SVSCEPTO
SORTIBVS SVBLATIS
C. CALLIO
ATTICVS
MEDIOLANENSIS

G 2 Porro

(*a*) Fast. VI. v.62. (*b*) *Storia di Palestrina* lib.3. cap.3. (*c*) In Tiber. cap.63. (*d*) Pag. 668.

Porro eas ex urna educebat puer, nec postulanti tradebat, sed sacerdoti sortilego, qui eductos surculos, seu talos, quorum sortitio ter fiebat, secundum ordinem, quo educti essent, invicem coniungebat, edicens postea quae ex eis componerentur, atque adeo ex insculptis priscarum litterarum notis sibi fingebat componi verba. Haec autem pro sortibus, seu oraculis habebantur, & in tabellis aeneis incidi etiam solebant, ne memoria eorum excideret, aut forte etiam ut ad collum suspendi possent. Earum tabellarum exempla ex Museo Cassiani *de Puteo* attulit plura Suaresius, & ex eo Vulpius, in quibus ambigua verba, dubiaeque sententiae leguntur ad illudendum manifesto compositae, interdum licet sortilegi clariores etiam ederent, si quid praesensissent ad eos pertinens, qui sortes expostulabant; qualis illa fuit, quae teste Lampridio, reddita est Alexandro Severo Praenestinas sortes consulenti, cum Heliogabalus ei insidiaretur; sors enim fuit:

. . . . Si qua fata aspera rumpas
Tu Marcellus eris;

ex qua male arguit Vulpius, tunc igitur temporis Praenestinas sortes auctas numero fuisse, cum inter eas Virgiliana haec sententia reperta fuerit; hinc enim intelligas potius oportet, eductos talos non eam reddidisse, sed sortilegum a coniunctis illis priscarum litterarum notis redditam finxisse ex praecognitis, quae Alexandro Severo tendebantur, insidiis. Nec mirere, quod ii sortilegi Imperatoribus Praenestinas sortes consulentibus tales reddere consuescerent summarum rerum statui accommodatas; prout etiam accidit Domitiano, cui singulis annis laetam reddiderunt, extremo autem, ut scribit Svetonius (*a*), *tristissimam, nec sine sanguinis mentione*, quod scirent in eum iam factam fuisse coniurationem; eos enim abiecti generis homines non fuisse testatur a Suaresio editus lapis, exstans adhuc Praeneste in Domo illustris Familiae Cecconiae, & sub primis Imperatoribus, ut videtur, insculptus, in quo Sextus Maesius eo sacerdotio functus, pluribus aliis honorum titulis splendidissimis auctus invenitur.

11. Apr. IIVIRI VITVLVM I . . .] Hoc est: DVVMVIRI VITVLVM *inmolant*. Regimen Reipublicae Praenestinae tum cum esset Romanorum Colonia, tum etiam postquam ex indulgentia Tiberii Caesaris facta est Municipium, apud II.Viros erat, qui ex ordine Decurionum deligebantur; cuius regiminis formam diu Praeneste mansisse, certiores nos faciunt plures Praeneste reperti lapides, quos descripsere Suaresius, Vulpius, & Cecconius in suis de Praenestinis Antiquitatibus Commentariis. Duumviri igitur Praenestini solemne hisce diebus sacrificium publicum faciebant, vitulum inmolantes, quod genus victimae erat Iovis proprium, praecipue vero Iovis pueri. Fingit Virgilius, quod Ascanius, antequam in Remulum paratam emitteret sagittam, Iovi sic vovit (*b*):

Et statuam ante aras aurata fronte iuvencum;

in quem versiculum haec adnotat Servius: *Iuvencum secundum Romanas ceremonias dicit; nam Iovi de tauro non inmolabatur, nisi cum triumphi nomine suovetaurilia fiebant; quod tamen ideo admissum est, quia non tantum Iovi, sed & aliis Diis, qui bello praesunt, sacrificabatur*. Eiusdem moris idem Servius (*c*) alibi etiam meminit, & ei concinit Macrobius (*d*), ubi ait: *Tauro immolari huic Deo* [idest Iovi] *vetitum: verum plura exempla succurrunt, ex quibus elicitur fuisse etiam tauros Iovi immolatos*. Nec temere dicebam vitulum fuisse propriam Iovis victimam praesertim pueri, qualis ille erat Iuppiter, qui cum Fortuna Primigenia Praeneste colebatur; vitulus enim bos iunior est, iuvenco minor. *In bubalo genere aetatis gradus dicuntur quatuor. Prima vitulorum; secunda iuvencorum: tertia boum novellorum: quarta vitulorum*, ut docet Varro (*e*).

LVDI

(*a*) In Domit. cap. 15.
(*b*) Virg. Aen. IX. v. 627.
(*c*) Servius Aen. lib. 3. v. 21.
(*d*) Macrob. Sat. lib. 3. cap. 10.
(*e*) Varro de R. R. lib. 2. cap. 5.

12. Apr. LVDI IN CIRCO M. D. M. I.] Anceps haesi, quo loco hoc fragmentum collocandum foret, utrum scilicet IV., seu III. Idus, an vero Pr. Idus Aprilis, sed marmorum frusta aptius componi posse visa sunt Pr. Idus, & hoc cum Livio convenire, qui M. D. M. I. in aedem Victoriae, quae est in Palatio, perlatam fuisse Pr. Idus Aprilis memoriae mandavit: *Postquam navis ad ostium amnis Tiberini accessisset, sicut erat iussus* [de Scipione Livius loquitur (a)] *in salum nave evectus ab sacerdotibus Deam accepit, extulitque in terram. Matronae primores civitatis, inter quas unius Claudiae Quintae insigne est nomen, illam accepere, cui dubia, ut traditur, ante fama, clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit. Eae per manus, succedentes deinde aliae aliis, omni obviam effusa civitate, thuribulis ante ianuas positis, qua praeferebatur, atque accenso thure precantibus, ut volens, propitiaque urbem Romanam iniret, in aedem Victoriae, quae est in Palatio, pertulere Deam Prid. Idus April., isque dies festus fuit. Populus frequens dona Deae tulit, lectisterniumque, & ludi fuere, Megalesia appellata.* Verisimile igitur esse videtur, hunc diem deinceps quoque habitum esse solemnem, & quod eodem die Scipio Nasica aedem Deae voverit, & quod, postquam aedificata est, M. Iunius Brutus dedicaverit. Verum Calendarium Maffaeiorum IV. Idus *Ludos in Circo* indicit, & Pr. Idus notat LVDI CERERI, qui in alius etiam marmorei Calendarii nuper reperto fragmento itidem Pr. Idus sic notantur: LVDI CERIAL. Concinit Calendarium Vindobonense, in quo *Ludi Megalesiaci* terminantur IV. Idus, & Pr. Idus legitur *Ludi Cerealici CMXXIV.*, hoc est, ut docti Viri interpretantur (b), *Circenses missus viginti quatuor*. Demum Ovidius III. Idus Apr. *Spectaculorum* quorumdam finem memorat, quae esse *Megalesiaca* facile est coniectari, & sequenti die, hoc est Pr. Idus ludos Cereales celebrare incipit (c):

Plura locuturi, subito seducimur imbre:
Pendula caelestes Libra movebat aquas.
Ante tamen, quam summa dies SPECTACULA sistat,
Ensiger Orion aequore mersus erit.
Proxima Victricem cum Romam inspexerit Eos,
Et dederit Phoebo stella fugata locum,
Circus erit pompa celeber, numeroque Deorum:
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hi Cereris ludi: non est opus indice caussa;
Sponte Deae munus promeritumque patent.

Haesitationis meae habes caussas, & iudicii. Ceterum cum Pr. Nonas diem Ludorum Megalensium primum fuisse certo constet; hinc Megalesia novem diebus agi consuevisse liqueret, nempe a Prid. Nonas Aprilis ad Prid. Idus, Cerealia vero a Pr. Idus Aprilis ad XIII. Calendas Maias, quo erat sacrificii dies, ut inferius adnotabimus. Nec mirum si una eademque die, Pr. Idus Aprilis fierent ludi in Circo tum in honorem Matris Magnae, tum Cereris, cum una eademque esset Dea, quae M. D. M. I., & Cybele, & Ops, & Ceres, & Bona Dea, & Isis, & Rhea dicebatur; etsi sicuti varia ei erant cognomina, sic etiam varii erant ritus, ac caeremoniae, quibus colebatur.

12. Apr. LVDI IN CIRCO M. D. M. I. IN PAL . . . QVOD EO DIE AEDIS E . . DEDICATA EST] Lege: IN PALATIO QVOD EO DIE AEDIS EI DEDICATA EST. Huius aedis autem faciendae in Palatio primus auctor fuit Scipio Nasica, omnium consensione optimus iudicatus, qui M. D. M. I. adventantem exciperet. Hic in Palatio a mari eam detulit P. Cornelio Scipione, & P. Licinio Coss; locaverunt tamen aedem ex S. C. M. Livius, & C. Claudius Censores M. Cornelio, T. Sempronio Coss., & post tredecim annos P. Cornelio Scipione Africano, & Tib. Sempronio Longo Coss., M. Iunius Brutus dedicavit: *Ludique ob dedicationem eius facti, quos primos scenicos*

(a) Livius lib. 29. §.14. (b) Vid. Fabrettium *de Columna Traiana*. (c) Fast. IV, v. 385.

nicos fuiſſe Valerius Antias eſt auctor, Megaleſiâ appellatos. Ita Livius (*a*). Deinde ſtipe collecta reſtituit eam Q. Caecilius Metellus, ac demum Auguſtus inſtauravit, qui in lapide Ancyrano hoc ipſemet ita teſtatur: AEDEM IVVENTATIS AEDEM MATRIS MAG. DEIAE FECI. Qua de re Ovidius Pr. Nonas Aprilis, ubi una ſimul cumulat quaecumque pertinere poterant ad adventum Romam M. D. M. I. ſingularemque exhibitum ei cultum a Romanis, cecinit (*b*):

Naſica accepit: templi tunc exſtitit auctor:
Auguſtus nunc eſt, ante Metellus erat.

Hanc aedem fuiſſe picturis exornatam Martialis docet (*c*), & ex Zoſimo (*d*) diſcimus ſtetiſſe uſque ad Imperium Theodoſii. Fortaſſis de anniverſario dedicationis eius die loquitur Herodianus (*e*) ſcribens: *Veris initio, STATO SOLEMNIQVE DIE, pompam Matris Deûm Romani celebrant. In eo, quae apud quemque ſunt divitiarum argumenta, ſupellexque pretioſa Imperatorum, materiae, aut artis miracula ante Deam praeferri in pompa ſolent. Ac ſumma tunc omnibus ludendi quovis modo conceſſa eſt licentia, adeo ut unuſquiſque quamcumque vult perſonam repraeſentet, neque ulla ſit tam magna, aut eminens dignitas, cuius habitum non liceat ei, cui libeat induto, ludere, & veritatem occultare, ita ut non facile ſit eum, qui imitatur, ab eo, qui revera eſt, dignoſcere*. Mos pretioſam ſupellectilem oſtentandi ex eo forte fluxit quod eo die, quo in aedem Victoriae perlata eſt Dea, *populus frequens dona Deae tulit*, mos vero prodendi perſonatos, ex eo quod in die dedicationis templi eidem Deae dicati ludi ſcenici facti ſunt, quos primos huius generis fuiſſe ſcripſerat Valerius Antias.

FRVCTVS] Hoc unicum verbum, quod in hoc fragmento ſupereſt, indicare videtur, locutum eſſe Verrium de cauſſa ludorum Cerealium. Agebantur hi Ludi Cereales per plures dies, & hinc ſingulis diebus a Pr. Idus Aprilis ad XIII. Cal. Maias in Calendario Maffaeiorum apponitur nota LVDI, uti etiam in Vindobonenſi addita voce *Cerealici*; nec dubito quin Verrius quoque appoſuerit, ut indicant litterae LV.. quae ſuperſunt in fragmentis plurium ſequentium dierum. Porro conſtabant ludi Cereales ex pluribus variiſque equorum curſibus, ita ut Dio (*f*) veluti quoddam prodigioſum notet ſemel accidiſſe, ut pro eis ab Aedilibus Plebis exhiberentur ludi gladiatorii. Tullius ludos *ſanctiſſimos* vocat, & adſerit eorum curam ad Aediles Curules ſpectaſſe: *Nunc ſum deſignatus Aedilis. Habeo rationem quid a P. R. acceperim: mihi ludos ſanctiſſimos, maxima cum caeremonia, Cereri, Libero, Liberaeque faciundos*. Verum poſteaquam Iulius Caeſar Africa capta Aedilium numerum augens, quorum duo tunc erant generis Patricii Curules dicti, & duo Plebeii, alios duos Plebeios his adiecit, quos Cereales appellavit (*g*), ex eo quod peculiariter annonae curam eis tribuiſſet: hi ludos quoque Cereales edendi provinciam in ſe ſuſcepiſſe videntur; & hi ſunt Aediles Plebis, quos ex Dione (*h*) accepimus gladiatorios ludos exhibuiſſe poſt Philippenſem pugnam. Nec ſane mirum eam provinciam ab Aedilibus Cerealibus ſeu ſuſceptam, ſeu acceptam fuiſſe. Agebantur enim hi ludi in honorem illius Numinis, a quo agrorum fertilitatem, & annonae, quam curabant, abundantiam ſperabant; praetereaque Cerealiorum feſtum praecipuo cultu a plebe celebrabatur, ita ut in eis mutitare ſoleret Plebs, non ſecus ac in Megalenſibus Patricii. Primus ex numero horum Aedilium Cerealium, qui Cereales ludos fecit, ex argenteo nummo innoteſcit, quem apud Laurentium Medicem vidit Angelus Politianus (*i*), vulgavitque deinceps Fulvius Urſinius in libro de Familiis Romanorum. Praefert hic nummus ex una parte caput Quirini laureatum cum longis capillis, & barba cala-

(*a*) Liv. lib. 36. §. 36.
(*b*) Faſt. IV. 347.
(*c*) Lib I. ep. 71.
(*d*) Lib. 5.
(*e*) Lib. I.
(*f*) Dio lib. 47. §. 40.
(*g*) Aediles Cereales fuiſſe Plebeios probant veteres lapides apud Gruterum p. CCLXXII. 5., & CCCCXCII. 9.
(*h*) Dio 43. §. 51.
(*i*) Miſcell. cap. 83.

calamistrata, retro apposito nomine QVIRINVS, quia nimirum Romulus Cerealia a proximis Arcadibus accepta Romae primus instituit (*a*); & in conspectu huius imaginis hae litterae leguntur C. MEMMI. C. F: in altera vero parte sculpta est sedens Dea Ceres, quae laeva spicarum, & papaverum manipulum, dextera vero colum tenet, & ante eius pedes erigitur anguis; vehebant enim currum Cereris dracones. Quae circum legitur inscriptio haec est: MEMMIVS. AED. CERIALIA. PREIMVS. FECIT. Havercampius, qui eumdem hunc nummum apud se nitidissimum habebat, Morellium certus refutat, quod pro colo facem depinxerit, & Begerium, quod colum pro decempeda acceperit, sed non aeque bene coniectatur, eum Memmium fuisse unum ex primis Aedilibus Plebis, quos institutos A. U. C. 269. ex Dionysio, & Zonara docuit Pighius (*b*). Olim enim ludorum omnium cura spectabat ad Aediles Curules, qui erant Patricii, non vero ad Plebeios, & praecipue ad eos spectabat cura Ludorum Cerealium, ut superius ex Cicerone didicimus. Nec remotissimam nummi vetustatem probat scribendi ratio, scilicet CERIALIA, & PREIMVS, pro *Cerealia*, & *primus*. Usus tum invicem mutandi, tum etiam iungendi litteras E & I diutius duravit, ut animadvertit Quinctilianus (*c*), & earum commutationem, veluti rem sua etiam aetate usitatam, notat Servius (*d*): *Sciendum est*, ait, *iudice euphonia, dici Cerealia, vel Cerialia, Typhoea vel Typhoia, Caesareanus vel Caesarianus. In his ergo licentia derivationis est.* Qua de re hic C. Memmius probabiliter fuit filius illius C. Memmii Gemmelli, cui opus suum de natura rerum Lucretius dedicavit, & forte ipsemet C. Memmius, qui teste Svetonio Iul. Caesari exprobrare haud est veritus, quod Nicomedi Armeniae Regi steterit puer ad cyathum, & potum.

15. *Apr.* FORD.] *Fordicidia* huic diei omnia Calendaria, & Ovidius adsignat. Quod festum hoc fuerit sic Varro exponit (*e*): *Fordicidia a fordeis bobus. Bos forda, quae fert in ventre. Quod ea die publice inmolantur boves praegnantes in Curiis complureis, a fordeis caedendeis Fordicidia dicta.* Sed dicta sunt etiam *Hordicidia*, seu *Hordicalia*. Iterum Varro (*f*): *Quae sterilis vacca taura appellata, quae praegnans horda. Ab eo in Fastis dies Hordicalia nominantur, quod tunc hordae boves inmolantur.* Etiam Festus huius festi bis meminit: *Fordicidiis*, inquit, *boves fordae, idest gravidae inmolabantur dictae a fetu.* Et alibi: *Horda bos praegnans; unde dies, quo gravidae hostiae inmolabantur, Hordicidia.* Ritum, & caussam Festi pluribus explicat Ovidius (*g*).

19. *Apr.* CER.] In Calendario Maffaeiorum CER. N. LVDI IN CIR., in Vindobonensi CEREALICI. Varro (*h*) huius festi sic breviter meminit: *Palilia dicta a Pale, quod & feriae ei Deae fiunt, ut Cerealia a Cerere.* De eius celebritate, ac ritibus late agit Ovidius Pridie Idus Aprilis; hac die vero (*i*) solummodo ludorum equestrium iterum meminit:

Tertia post hyadas cum lux erit orta remotas,
Carcere partitos Circus habebit equos.

Et deinde caussam narrat, cur comburerentur vulpes, narrationem suam sic claudens:

Utque luat poenas gens haec, Cerealibus ardet:
Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit.

Respondebant Cerealia Romanorum non Eleusiniis, ut quorumdam fuit opinio, numquam enim Eleusinia publice celebrata sunt Romae, sed Thesmophoriis Graecorum (*k*); & instituta fuisse ab Evandro, adscita vero Romam ab Romulo, Dionysius testatur (*l*). Festus notat, quod *Graeca sacra* appellabantur: *Graeca sacra*,

(*a*) Vid. Dionysium lib. 1.
(*b*) Pighius tom. 1. pag. 94.
(*c*) Quinctil. lib. 1. cap. 7.
(*d*) Servius Aen. I. v. 181.
(*e*) Varr. de L. L. lib. 5.
(*f*) De R. R. lib. 2. cap. 5.
(*g*) Ovid. Fast. IV. v. 629.
(*h*) De L. L. lib. 5.
(*i*) Ovid. Fast. IV. v. 679.
(*k*) Lege Tullium lib. 2. *de Legibus*, & Sveton. in Claudio cap. 25.
(*l*) Dionys. Halic. lib. 1.

sacra, festa Cereris ex Graecia translata, quae ob inventionem Proserpinae matronae colebant. Nec solum Romae, sed in pagis quoque ea agebantur, ut constat ex veteri lapide (*a*), ex quo etiam colligere licet, cur in Calendariis, etsi Ludi Cereales inciperent Pr. Idus Apr. hac tamen die XIII. Kal. Mai. edicantur *Cerealia*; quo nomine tum sacrificia, tum ludi ipsi dicebantur: videtur enim factum hoc esse, quod hac die solemnioribus sacrificiis Cerealiorum festum compleretur. En lapis:

CERERI . AVGVST
MATRI . AGR
L. BENNIVS . PRIMVS
MAG. PAGI
BENNIA . PRIMIGENIA
MAGISTRA . FECER
GERMANICO . CAESARE II
L. SEIO . TVBERONE . COSS
DIES . SACRIFICI. XIII. KAL. MAI

Demum ut habeas tum antiquitatis Cerealiorum apud Romanos, tum summae Religionis, qua observabantur insigne testimonium, legesis Livium (*b*), ubi memoriae mandavit, adeo displicuisse Senatui, quod sacrum anniversarium Cereris intermissum esset, quia Matronae in luctu manebant ob Cannensem cladem, ut decreverit diebus triginta luctum finiri, *ne ob eamdem caussam alia quoque sacra publica, aut privata desererentur*. Rem paullo aliter narrat Festus, inquit enim, quod *dum non essent matronae, quae Graeca sacra*, hoc est festa Cereris *facerent propter cladem Cannensem, & frequentiam lugentium, institutum est ne amplius centum diebus lugeretur*. At, legitimum lugendi tempus fuisse centum dies, nescio unde Festus acceperit. Parentes per annum lugebantur teste Livio (*c*), qui de Bruti interfecti funere haec habet: *Sed multo maius morti decus publica fuit moestitia, & ante omnia insignis, quia matronae annum, ut parentem, luxerunt*. Valerius Maximus cum Livio convenit de numero, qui diebus luctui praefinitus est, sed hoc factum esse tradit, ut ipsa sacra Cereris a matronis peragi possent; & addit quod *matres, ac filiae, coniugesque, ac sorores nuper interfectorum, abstersis lacrimis, depositisque doloris insignibus, candidam induere vestem, & aris dare thura coactae sunt*. Res igitur variis enarrabatur modis, sed pro certo omnes habebant iam tum celebrari solita Cerealia.

21. *Apr.* PAL] Litteris PA litteram L addidi, quia eius vestigium mihi visum est videre adumbratum in marmore, etsi non me praeterit hoc festum PARILIA etiam nuncupatum fuisse. *Pales*, inquit Festus, *dicebatur Dea pastorum, cuius festa* PALILIA *dicebantur; vel ut alii volunt, dicta* PARILIA, *quoniam pro partu pecoris eidem sacra fiebant*. Sic Παρίλια a quadrupedum partu dicuntur a Dionysio. Solinus tradit *Parilia* dicta esse a *partu Iliae*. Quinimmo Marius Victorinus (*d*) confidenter pronunciat: *Parilia dicuntur, non Palilia: Non a Pale Dea, sed quod eo tempore omnia sata, arboresque, & herbae parturiant, pariantque*. Etiam in Calendario Maffaeiorum insculptum est PAR; & ex hac denominatione exortum puto, ut hoc publicum festum evaserit etiam privatum puerperarum, notante Festo in luxatis lib. 14. schedis, quas ita leges: *Parilia festa sibi observanda iudicant privatim ipsae quoque puerperae domi in stratis, ut pariendo ab eis stabiliantur quasi Parilia festa*. Verum usitatior, & fortassis primaeva denominatio mihi videtur fuisse *Palilia*, & de illis Varro, stativas Romanorum Ferias commemorans, ita breviter loquitur: *Palilia dicta a Pale, quod & Feriae ei Deae fiunt*. Servius Georg. 3. v. 1: *Pales Dea pabuli, quam alii Vestam, alii Matrem Deûm vocant. Huic sacra solvuntur* XI. *Calendas Maias die, quae Palilia vocantur*. Verrius pluribus de iisdem hic egerat, sed

(*a*) Apud Gruterum pag. XXVI. 9. (*b*) Livius lib. 23. §. 36. (*c*) Liv. lib. II. (*d*) Lib. I. Artis Gramm.

ſed quinque ſolummodo verſuum initiales quaedam litterae ſuperſunt, ex quibus nihil certo elici poteſt. Attamen verba IGNES TRA... ſupplenda ita eſſe videntur: IGNES TRA*nſiliunt*; & indicant paſtorum morem, qui cum primo huius diei mane oves, & ovilia luſtraſſent, unde in veteri Calendario Ruſtico menſe Aprili indicitur: OVES LVSTRANTVR; & Pali Deae lacte, ſapa, ac milio, certis etiam pro incolumitate, ac fecunditate pecoris adiunctis precibus, ſacra feciſſent, & convivia celebraſſent; demum veſpere ſub noctem palearum accenſos acervos certo ordine in loco plano collocabant, & ſaltando tranſiliebant, ut ſe purificarent; ex quo illud Perſii *fumoſa* PALILIA *foeno*. Suppletum verbum TRANSILIVNT Tibullus, & Ovidius miniſtrant. Primus cecinit (*a*):

At madidus Baccho ſua feſta Palilia paſtor
Concinet; a ſtabulis tunc procul eſte lupi.
Ille levis ſtipulae ſolemnes potus acervos
Incendet, flammas TRANSILIETQVE ſacras.

Ovidius (*b*):

Certe ego TRANSILVI poſitas ter in ordine flammas;

unde intelligis, neſcio an dicam ludi, an vero ſuperſtitionis rationem, ignes tribus vicibus tranſiliendi. Praeterea Ovidius ceteros omnes ritus huius feſti multis deſcribit, inter quos populi in Urbe luſtrationem, confecto ſuffimine ex cineribus vituli utero exſerti fordae bovis, & equi ſanguine, & aduſtis fabarum ſtipulis. Eum vitulum FORDICIORVM die cremabat Veſtalium maxima, ſanguis vero equinus videtur fuiſſe illius equi, qui in menſe Octobri ſingulis annis in campo Martio inmolabatur; eius enim *cauda*, inquit Feſtus (*c*), *tanta celeritate praefertur in Regiam, ut ex ea ſanguis diſtilletur in focum, participandae rei divinae gratia*; & quia in equo pars ſecundum caudam *caviar* dicitur, hinc *caviares hoſtiae dicebantur, quae ponebantur*, teſte eodem Feſto, *in ſacrificio pro Collegio Pontificum*. Haec adnotabam, quia Solinus *obſervatum* tradit, ne qua hoſtia Palilibus caederetur, ut dies iſte a ſanguine purus eſſet, quam ſuperſtitionem etiam Plutarchus in Romulo memorat, ſed immutatam fuiſſe innuit dicens: *initio, ut fama eſt, nihil inmolabant animatum*, ſubiicitque cauſſam, quod ſcilicet *purum cenſebant, & incruentum decere Natalibus patriae ſolemne conſecratum conſervare*. Scilicet quod maxime huius diei ſolemnitatem augebat, communis erat credulitas Paliliorum die Urbem eſſe conditam. *Conditam Vrbem in confeſſo eſt apud omnes* II. *Cal. Maias*, ſcribit idem Plutarchus, *quem diem Romani Patriae natalem appellant, habentque feſtum*. Concinit Dionyſius Halicarn: *Quem diem, ſi ullum alium, Romana Civitas noſtro quoque tempore ſingulis annis feſtum celebrat, vocatque Parilia, cum ineunte vere agricolae, paſtoreſque pro partu quadrupedum Diis acturi gratias ſacra faciunt*. In Calendario Vindobonenſi hac die ſolummodo NATALIS VRBIS ſignatur. Eleganter Propertius (*d*):

Vrbi feſtus erat: dixere Palilia patres:
Hic primus coepit moenibus eſſe dies.

Et Ovidius:

.... Feſtiſque Palilibus Vrbis
Moenia conduntur.

Idipſum Verrium hic adnotaſſe non dubito, quod adnotat Ovidius; adeo enim communis erat, ac firma ea opinio, ut *Palilia* pro ipſis Urbis annis numerarent (*e*):

Dena quater memorant habuiſſe Palilia Romam,
Cum flammae cuſtos aede recepta Dea eſt;

& Varro (*f*), ut probet, Romanum Populum a paſtoribus ortum eſſe, hoc praecipue allegat, *quod Palilibus potiſſimum condidere Vrbem*. Demum Svetonius (*g*) narrat;

H Sena-

(*a*) Tibull. lib. 2. Eleg. v.
(*b*) Faſt. IV. v. 727.
(*c*) Feſtus in v. *October*.
(*d*) Lib. IV. Eleg. IV. v. 73.
(*e*) Ovid. Faſt. VI. v. 257.
(*f*) Varro de R. R. lib. 2. cap. 2.
(*g*) Sveton. in vita Caligulae cap. 16.

Senatum in honorem Caligulae decrevisse, *ut dies, quo cepisset imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rursus conditae Urbis*. At enim: fuit ne *Paliliorum* festum antiquius natali Urbis? Dubitat primum cum Dionysio Carolus Neapolis, deinde vero antiquius fuisse censet, quod spectat ad lactis, & anni primitiarum oblationem Pali, & Silvano eo die fieri solitam a pastoribus; sed additam esse sub Romulo transitionem per ignem, & suffimenta; & multo post etiam inmolationem. Apage has nugas. Certiora equidem habeo, & scitu magis digna. Dio (*a*) commemorans, quae acta sunt Romae ob reportatam a Iulio Caesare in Hispania victoriam adversus Pompeium Magni F., narrat, Palilia ἱπποδρομίᾳ ἀθανάτῳ, nempe *Circensibus Ludis perennibus* cohonestata fuisse, non tamen eam ob caussam, quod is dies natalis Urbis erat, sed quod nuntius de ea victoria Caesaris pridie eius diei sub vesperum fuerat allatus. Praeterea subiungit Dio (*b*), quod cum equestre certamen Palilibus fieri, Iulio Caesare extincto, negligeretur, sumptibus suis illud fieri curavit Octavianus. Constat igitur, hoc alio festi genere tunc auctam esse Paliliorum celebritatem, quod adnotasse iuvat, quia fortassis illius quoque hic meminerat Verrius, utpote qui passim Augusto blanditur. Deinceps tamen hi ludi fuisse iterum intermissi videntur, quia fortasse, quod ipse mihi indicat Dio, non aere publico facti, iterumque, sed ob aliam caussam constituti ex S. C., ad augendam nimirum ipsius natalis Urbis celebritatem, aut si magis placet dedicationis templi, quod Urbi aeternae tamquam Deae in ipsa Urbe condidit Imp. Hadrianus. Hoc colligitur ex rarissimo eiusdem Hadriani nummo, in cuius aversa parte, Bimardo iudice (*c*), legitur ANNO DCCCLXXIIII. NAT*alis* VRB*is* P*rimum* CIR*censes* CON*stituti senatus consulto*; non vero P. CIR. CONC., *populo* CIR*censes* CONC*essit*, ut legerat Vaillantius; aut P*lebeii* CIR*censes* CON*stituti*, ut interpretabatur Harduinus. Verum quid obstat quin potius interpreter litteram P. *publici*, ita ut nummus indicet fuisse iam etiam antea eo die a Gente Iulia privatis sumtibus celebratos Ludos Circenses? Probabilem esse coniecturam haud dubito. Ceterum ex hoc S. C. factum puta, ut in Calendario Vindobonensi posterius exarato hac die XI. Cal. Mai. non modo *Natalis Urbis*, sed etiam notentur C̄M. XXIIII. hoc est *Circenses Missus vigintiquatuor*; & patet ratio cur Athenaei aevo hic dies non amplius *Palilia*, sed Ῥωμαῖα diceretur (*d*). Frustra tamen Bimardus ex eodem nummo stabilire contendit in textu Dionis haud legere oportere ἀθανάτῳ, sed ἀθανάτων. Mitto quod Dio (*e*) alibi etiam non absimili modo ἀθάνατον dicit πρόσοδον, σίτησιν &c. & satis profecto erit reponere, eam vocem veluti proprium Ludorum Circensium epitheton fuisse, unde etiam in Eclogis librorum Basilicorum de Iure Romano Ludi Circenses dicuntur ἀθάνατος ἱπποδρομία, quia P. R. eos potissimum sibi ratos vellet perpetuo. Demum adnotare obiter liceat celebritatem diei natalis urbis Romae sub Christianis Impp. nullatenus abrogatam, sed potius auctam fuisse, cum uno eodemque die natalem etiam Constantinopoleos, quam *Romam Novam* appellabant, celebrari statuerint. In Cod. Theodosiano lib. 2. *de Feriis*: *His adiicimus natalitios dies Urbium maximarum, Romae, atque Constantinopoleos, quibus debent iura deferre, quia & ab ipsis quoque nata sunt*.

23. *Apr.* VIN. F . . .] IX. Kal. Mai. *Vinalia* edicuntur etiam in Calendario Maffaeiorum, sed in eo apponitur nota NP., in hoc F., quae totum diem esse fastum significat. Praeter haec *Vinalia* degustandis, libandisque vinis instituta, erant quoque alia *Vinalia* in mense Augusto, quae *Rustica* appellabantur, & agebantur XIV. Kal. Septembris, ut Festus tradit, & testantur marmorea Calendaria Maffaeiorum, Capranicorum, & Antiatinum, quae comprobant in mendo cubare tum Varronis schedas, ubi *ante diem* XII. *Kal. Septembris*, tum Plinii (*f*) textum, ubi *ante diem* XIII. *Kal. Septembris* haec *Vinalia Rustica* determinata reperies. Recentiores eruditi minus dilucide de utroque *Vinaliorum* die disseruere; atque utinam exstaret tabula,

(*a*) Dio lib. 43. §. 42.
(*b*) Lib. 45. §. 6.
(*c*) In notis ad lib. II. Ioberti *Science des Medailles*.
(*d*) Athen. Dipnosoph. lib. 8. cap. 16.
(*e*) Lib. 52. §. 28., & §. 30.
(*f*) Lib. 18. cap. 29.

la, ubi Verrium, aut liber, ubi Ovidium *de Rusticis Vinalibus* locutos fuisse non dubitamus. Vinalia mensis Aprilis dicta sunt a Plinio, *Vinalia priora*, illa vero mensis Augusti, *Vinalia altera*: idemque Plinius docet, quod priora instituta fuerunt ob temporis, quo de vitibus metuebant, observationem, & *altera extra has caussas esse*; quo dicendi modo indicasse arbitror, ea mensis Augusti *Vinalia* ita appellata fuisse ex eo ritu, cuius meminit Plutarchus mox citandus, effundendi eo die multum vini e templo Veneris. Ceterum haec *Vinalia altera* appellata primitus fuisse videntur eo nomine, quod adhibet Plutarchus, Ἀφροδίσια *Veneralia*; cui certo respondet vox, qua inscripta est una ex Satyris Menippeis M. Terentii Varronis, quam citat Nonius v. *Sartores*: περὶ ἀφροδισίων. Cur autem adscito nomini *Vinalia* additum etiam fuerit *Rustica*, ut apud Varronem, & Festum habemus, nec sciendo veteres, nec coniiciendo recentes docent critici; crediderim tamen, quia Rusticanae gentis festum esset, hoc est Olitorum; & auctor est Varro apud eumdem Plinium, *hunc diem festum tempestatibus leniendis institutum*; & Festus *quod eodem die aedis Veneri consecrata est*.

23. *Apr.* IO . . . .] Legendum coniicio IOVIS *dies*, *non Veneris*; seu IOVI *dies sacer est*, *non Veneri*. Macrobius, qui has tabulas legisse videtur, sic loquitur (*a*); lectionem vero alteram praestat Varro (*b*), ubi post Palilia, & Cerealia meminit *Vinaliorum* his verbis: *Vinalia a vino. Hic dies Iovis, non Veneris. Huius rei cura non levis in Latio, nam aliquot loceis vindemiae primum a sacerdotibus publice fiebant, ut Romae etiamnunc; nam Flamen Dialis auspicatur vindemiam, & ut iussit vinum legere, agna Iovi facit, inter cuius exta caesa, & porrecta Flamen prorsus vinum legit. In Tusculaneis sacreis est: Vinum novum ne vehatur in Urbem antequam Vinalia Kalentur*. Quorsum vero haec Varronis, & Verrii animadversio, hunc diem Iovis fuisse, non Veneris? Quia Venerem hoc die peculiariter colebant meretrices, ideoque vulgo festum Veneris in eo agi existimabatur; eo magis quod erat alius dies, qui pariter Vinalia appellabatur, Veneri sane dedicatus, in mense Augusto; de quo inferius idem Varro: *Vinalia*, inquit, *rustica dicuntur ante diem duodecimum* [lege XIV.] *Calendas Septembris; quod tum Veneri dedicata aedis, & horti eius tutelae adsignantur, ac tum sunt feriati olitores*. Si quis autem malit Verrium scripsisse: *Iovi vinum novum libant*; haud displicet. Festus de hac die sic loquitur: *Vinalia diem festum habebant, quo die vinum novum Iovi libabant*; & iterum (*c*): *Calpar vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii caussa antequam gustetur. Iovi enim prius sua vina libabant, quae appellabant Festa Vinalia. Calpar genus vasis fictilis*. Alibi vero de Vinalibus rusticis: *Rustica*, inquit, *Vinalia mense Augusto, ut est in Fastis, Veneri fiebant, quod eodem illo die aedis ei Deae consecrata est, iumentaque, & olitores ab opere cessent, quia omnes horti in tutela Veneris esse dicuntur*. At vero post haec, quae in schedis Festi post vocem *Roscii* leguntur, deinde haec alia adiiciuntur suo loco: *Rustica vinalia appellantur mense Augusto* XIV. *Calendas Septembris. Iovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium, omnis vini libationem ei Deo dedicaverunt. Eodem autem die Veneri templa sunt consecrata, alterum ad Circum Maximum, alterum in luco Libitinensi, quia in ipsius Deae tutela sunt horti*. Itaque Festi schedae manifesto corruptae, & male locatae apparent, & tamen ex eis multi ex recentioribus criticis docuere, hunc diem IX. Cal. Maias Veneri dedicatum fuisse, Iovi diem XIV. Cal. Septembris, quae sententia cum gravissima, ac certa Varronis auctoritate aperte pugnat, & modo ex nostra etiam tabula refutatur. Ovidius hac die IX. Cal. Mai. meretricularum ad Veneris fanum frequentiam primum memorat, deinde vero subiungit (*d*):

Cur igitur festum Veneris Vinalia dicant,
Quaeritis; & quare sit Iovis ista dies?

 ex quo

(*a*) Saturn. lib. I. cap. 4.
(*b*) Varro de L. L. lib. 5.
(*c*) Festus in v. *Calpar*.
(*d*) Fast. IV. v. 877.

ex quo dicendi modo Gutherus (*a*) colligit distinguendum esse diem a festo: & festum fuisse Veneris, diem vero Iovis, quia Iovi sacra fiebant; & hinc facile conciliari posse auctores, qui inter se pugnare videntur. Gutheri animadversionem reiecit Struvius (*b*) adserens, Ovidium tribuere Veneri *Vinalia*, quae agebantur IX. Cal. Mai., & Iovi quae agebantur in autumno, quia narrat, vovisse Aeneam Iovi vindemiam, si Mezentium, cui illa vota fuerat a Rutulis, superaret; & idcirco reddita fuisse Iovi debita vina, cum venisset autumnus; narrationem enim ita Ovidius claudit:

Dicta dies hinc est Vinalia: Iupiter illam
Vindicat, & festis gaudet inesse suis.

Verum male Struvius hos versiculos ad *rustica Vinalia* transfert, qui certe priora *Vinalia* respiciunt, propositaeque quaestioni respondent, cur hic *Vinaliorum* dies Iovis esset, etsi agebatur festum Veneris. Qua de re equidem puto multo melius Struvio meditatum esse Gutherum, quamvis ne ille quidem rem acu tetigerit; quod ut praestaret, animadvertere debuerat, Ovidium IX. Cal. Mai. de festo Veneris loqui non publico, sed privato, & quod ut tale a vulgo solummodo habebatur, quia meretriculae aedem Veneris frequentare solerent. Ceterum hac die auctoritate publica agebantur solum Vinalia, sic appellata, quod vini novi primitiae Iovi offerebantur eo ritu, quem exponit Varro, & ob caussam, quam licenter, ut solent Poëtae, narrat Ovidius, pressius vero in hac tabula narrabat Verrius. Nota, quae legitur inferius apposita a Verrio ad diem VII. Cal. Mai. nostram luculenter confirmat animadversionem; de illo enim die, *Festus est*, inquit, *puerorum lenoniorum, quia proximus superior meretricum est*.

23. *Apr.* CONSECRATVM . . . . . . RENTVR AB RVTVLIS. QVIA. MEZENTIVS. REX. ETRV . . . . VM. PACISCEBATVR. SI. SVBSIDIO. VINISSIT. OMNIVM. ANNORVM. VINI. FRVCTVM] Difficile est divinare, quae verba hic desiderantur. *M. Varro auctor est*, scribit Plinius (*c*), *Mezentium Etruriae Regem auxilium Rutulo contra Latinos tulisse vini mercede, quod tum in Latino agro fuisset*. Hanc historiam ex Pisone sic narrat vetus Auctor de origine Gentis Romanae, qui sub Victoris nomine circumfertur. Summam imperii Latinorum adeptus Ascanius, cum continuis praeliis Mezentium persequi instituisset, Lausus Mezentii filius collem Laviniae arcis occupavit, cumque id oppidum circumfusis omnibus copiis Regis teneretur, Latini legatos ad Mezentium miserunt sciscitatum, qua conditione in deditionem eos accipere vellet; cum autem ille, inter alia onerosa, illud quoque adiiceret, ut omne vinum agri Latini aliquot annis sibi inferretur, consilio, atque auctoritate Ascanii placuit ob libertatem mori potius, quam illo modo servitutem subire. *Itaque vino ex omni vindemia Iovi publice voto consecratoque, Latini urbe eruperunt, fusoque praesidio, interfectoque Lauso, Mezentium fugam facere coëgerunt*. His similia habes ex schedis Festi in superiore nota descriptis; & Macrobius (*d*) inquirens, cur a Virgilio Mezentius dictus fuerit contemptor Deorum, veram contumacissimi nominis caussam repetit ex Catone, qui libro primo Originum ait: *Mezentium Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas Diis primitias offerebant: & Latinos omnes similis imperii metu ita vovisse*: IVPITER SI TIBI MAGIS CORDI EST NOS EA TIBI DARE POTIVS QVAM MEZENTIO, UTEI NOS VICTORES FACIAS. Ovidius (*e*) non Ascanio imperante, sed Aenea, haec omnia contigisse fingit, & Aeneam ipsum futuram agri Latini vindemiam Iovi vovisse:

Turnus an Aeneas Latiae gener esset Amatae
Bellum erat; Etruscas Turnus adoptat opes.

Clarus

(*a*) Guth. de Vet. Iure Pont. lib.3. cap.15.
(*b*) Struv. lib. I.
(*c*) Lib.14. cap.12.
(*d*) Macrob. Saturn. lib.3. cap.5.
(*e*) Fast. IV. v.879.

Clarus erat, sumtisque ferox Mezentius armis:
Et vel equo magnus, vel pede maior erat
Quem Rutuli, Turnusque suis adsciscere tentant
Partibus; haec contra Dux ita Tuscus ait:
Stat mihi non parvo virtus mea: vulnera testes,
Armaque, quae sparsi sanguine saepe meo.
Qui petis auxilium, non grandia divide mecum
Praemia de lacubus proxima musta tuis.
Nulla mora est operae; vestrum est dare, vincere nostrum est;
Quam velit Aeneas ista negata mihi!
Annuerant Rutuli; Mezentius induit arma,
Induit Aeneas, alloquiturque Iovem.
Hostica Tyrrheno vota est vindemia Regi:
Iupiter, e Latio palmite musta feras.
Vota valent meliora: cadit Mezentius ingens,
Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat Autumnus calcatis sordidus uvis:
Redduntur merito debita vina Iovi.

Plutarchus (*a*) dubitans, *cur in Veneralibus*, quae XIV. Cal. Septembris agebantur, *multum vini effunderetur e templo Veneris*, duas coniectando proponit caussas, quarum prima haec est, quod cum Mezentius Aeneae pacem obtulisset, ut sibi annuum censum daret, & suis eumdem censum promisisset, si Aeneam abnuentem superasset; Aeneas his cognitis vinum Diis consecravit, devictoque Mezentio e congestis uvis *expressum vinum ante fanum Veneris effudit*. Verum huius rei solus Plutarchus meminit, dubiusque ad ritum, quem animadverterat, explicandum accommodat, qua de re subiungit eum significare etiam potuisse, quod festi dies non per ebrietatem, sed sobrie agitari deberentur, cum Dii magis delectentur cultoribus suis, qui merum effunderent, quam iis qui biberent. Boxhornio visum est significasse hunc ritum, quod sine Cerere, & Baccho friget Venus; mihi vero, quod vini nimietas nec ad Venerem, nec ad conceptionem conducit, ut recte notat Macrobius (*b*); sed haec per iocum.

23. *Apr.* VINISSIT] Vide superius die XV. Ianuarii, ubi legitur CEPISSIT.

23. *Apr.* SIG. DIVO AVGVSTO PATRI AD THEATRVM MAR... IVLIA AVGVSTA ET TI. AVGVSTVS DEDICARVNT] Innotescit nunc primum ex hoc Verrii Calendario dies, quo dedicatum est signum Divi Augusti ad Theatrum Marcelli. De hoc signo ita loquitur Tacitus (*c*): *Sub idem tempus* [nempe C. Sulpicio, & D. Haterio Coss. A. U. 774.] *Iuliae Augustae valetudo atrox, necessitudinem Principi fecit festinati in Urbem reditus; sincera adhuc inter matrem filiumque concordia, sive occultis odiis: neque enim multo ante cum haud procul Theatro Marcelli effigiem Divo Augusto Iulia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat; idque ille credebatur, ut inferius maiestate Principis gravi, & dissimulata offensione abdidisse*. Cl. V. Gabriel Brotier in notis, & emendationibus suis ad Tacitum, quem nitidissimum edidit Parisiis an. 1771. coniectatur, quod Livia, seu mavis dicere, Iulia hanc Divo Augusto effigiem dedicaverit *pro Romanorum more, recuperata sanitate*, & quod *forte sic inscripserit*:

DIVO AVGVSTO
SACRVM
IVLIA AVGVSTA
TIBERII AVGVSTI M
V. S. L. M

Verum,

(*a*) Plutarch. in Quaest. Rom. 46.
(*b*) Macrob. Saturn. lib. 7. cap. 6.
(*c*) Tacit. Annal. lib. 3. 64.

Verum, qualiscumque huius dedicationis caussa fuerit, nullus dubito inscriptum fuisse titulum iis conceptum verbis, quibus utitur Verrius; & mihi videor eum ipsum hic legere titulum, qui Tiberio displicuit:

DIVO AVGVSTO PATRI
IVLIA AVGVSTA
ET TIBERIVS AVGVSTVS
DEDICARVNT

Nec mirere superbam hanc feminam nomen praeposuisse suum Tiberio. Tradit Dio (a), quod quia *Augusto incolumi plurimum potuerat, ipsaque se Tiberio imperium dedisse ferebat, ideo non aequata modo potestate cum eo regere, sed praeferri eidem auctoritate volebat*. Porro praeter hoc haud procul a Theatro Marcelli positum, aliud quoque Augusto signum domi Iulia dedicavit, de quo sic loquitur Dio (b): *Statuam quamdam*, inquit, *Augusto Livia domi dedicare, ac propterea Senatum, & equites cum eorum uxoribus convivio excipere statuerat. Tiberius neque dedicationem ei nisi S. C. concessam, neque epulum viris dandum permisit; & viris ipse epulum, illa tantum mulieribus praebuit*. Cl. Reimarus existimat Dionem loqui de eadem Augusti statua, de qua Tacitus, & cuius dedicationis diem, & titulum nunc a Verrio didicimus; nam Dionis textum, ubi legitur: εἰκόνα γοῦν ποτε αὐτῆς οἴκοι τῷ Αὐγούστῳ ὁσιωσάσης; emendandum censet οἴκαθεν, vel οἰκείᾳ δαπάνῃ, quasi Dio tradiderit eam statuam suis privatis sumptibus Liviam voluisse dedicare; nullum tamen vir doctus citat sibi faventem editum, aut Ms. Codicem, nec bene sibi invicem conveniunt, quae Tacitus, & quae Dio commemorant. Nec omittam ex hoc ipso Verriani Calendarii loco manifestum fieri longius a vero I. Lipsium aberrasse, qui in suis ad Tacitum notis Iuliam Divo Augusto Marcelli effigiem, non vero ipsius effigiem Augusti haud procul theatro Marcelli dedicasse commentus fuit. Parcant eius manes: ut videretur eruditior, nec bonum grammaticum egit, nec bonum historicum.

23. *Apr.* DIVO AVGVSTO PATRI] Sic etiam in Nummis post obitum, & consecrationem Augusti cusis: DIVVS AVGVSTVS PATER, quasi iam alter esset *Iuppiter*, qui solo *Patris* nomine designabatur. Neque ego sum nescius, Tiberium non modo dici solitum AVG. F. ob adoptionem, sed ipsam etiam Liviam, ex coniugis Augusti testamento in familiam Iuliam adsumptam, AVG. F. fuisse dictam, quod Velleius testatur (c). Verumenimvero noster Verrius, seu potius Iulia, litteram F. sibi, & Tiberio addidisset, si Augustum appellare Patrem voluisset ob adoptionem. Demum facile est coniicere, nummos ita inscriptos, qui Augustum sedentem exhibent, varia, quae variis in locis Augusto dedicata sunt, signa repraesentare.

23. *Apr.* IVLIA AVGVSTA] Neminem praeterit Liviam Augusti uxorem, statim ac viri sui lectae sunt testamenti tabulae, accepisse, ut Dio testatur (d), Iuliae & Augustae cognomina, quibus passim in nummis appellatur. Hinc Ovidius (e) Fastorum libros exsul recensens de ea cecinit:

Utque ego perpetuis olim sacrabor in aris,
Sic AUGUSTA novum IULIA numen erit.

23. *Apr.* ET TI. AVGVSTVS] Verrius saepe Tiberium memorat, sed hac una vice addit ei cognomen *Augusti*. Scilicet hic, ut puto, ipsa recitat verba tituli, quem Livia Iulia inscribi iusserat; alibi vero, quia suis loquitur verbis, illud cognomen non addidit, seu quod res a Tiberio ante adeptum imperium gestas notabat, seu quod velificari ei studuerit, qui, Svetonio testante (f), *ne AUGUSTI nomen, quamquam hereditarium, nullis nisi ad Reges, & Dynastas epistolis addidit*. Idipsum narrat Dio (g), hoc tamen adiiciens, quod etsi *Augusti* nomen non usurpabat, & num-

(a) Lib. 57. §. 12.
(b) Dio lib. 57. §. 12.
(c) Lib. 11. cap. 75.
(d) Dio lib. 56. §. 46.
(e) Ovid. lib. 1. 536.
(f) Svet. cap. 16.
(g) Dio lib. 57.

& numquam sibi decerni concessit, & solum adscriberet quoties ad Reges aliquas litteras daret, *audiens tamen, aut scriptum legens ferebat*; ex quo Dionis testimonio intelligitur, cur exstent tot nummi, in quibus *Augusti* cognomen Tiberio non additur, & plures quoque, in quibus additur, praecipue inter nummos in Coloniis cusos.

24. Apr. TI. CAESAR TOGAM VIRILEM SVMPSIT IMP. CAESARE VII. M. AGRIPPA III. COS.] Prodit modo dies, prodit & annus, quibus *Ti. Caesar togam virilem sumpsit*. Svetonius (*a*) ea solum memoraverat, per quae Tiberius, *virili toga sumpta, adolescentiam omnem, spatiumque insequentis aetatis, usque ad principatus initia transegit*. Quoniam vero, ut ex pluribus certioribusque monumentis se didicisse Svetonius testatur (*b*), Ti. natus est Romae in Palatio XVI. Kal. Decembres, M. Aemilio Lepido iterum, & L. Munatio Coss., qui A. U. C. 711. Magistratum gessere: igitur hoc etiam ex Verrio discimus, quod virilem togam Tiberius sumpsit an. aetatis suae XVI. nondum expleto, cum eam sumpserit VIII. Kal. Mai. Imp. Caes. VII. M. Agrippa III. Cos. an. nimirum U. C. 726. Iamvero en tibi in nostro marmore illustre exemplum, quod multis aliis adiicias a Norisio (*c*) allatis tum contra Salianum, qui diem XVII. Martii sumendae togae virilis definitum ex Ovidio perperam deducit, tum ad comprobandum, florente Republica, ac sub prioribus Caesaribus, in more positum fuisse, ut adolescentes virilem togam induerent inito aetatis anno XVI. In Calendario Antiatino die XX. Octobris adscripta est nota Virilis togae ab Augusto sumptae: quod etiam bene convenit cum iis, quae iam disseruerat Norisius (*d*). Nec miror notatum inveniri in Fastis, quo die Augustus, & quo Tiberius, aliique Caesares, & Imperatores virilem togam sumpserint; nam is dies adolescentibus laetissimus erat (*e*), ac veluti natalitius ad publica munia, & honores habebatur, seu, ut Nicolai Damasceni utar verbis (*f*), virilis tirocinii argumentum. Qua de re sumebant adolescentes virilem togam non sine pompa, qua cum deducebantur in forum, & deinde in Capitolio Iovi sacrificium faciebant. Augustus, quibus diebus Caius, & Lucius nepotes virilem togam sumpserunt, ad conciliandum eis populi amorem, congiarium etiam dedit, quod exemplum imitati deinceps sunt Tiberius, & Claudius; & hinc privatos quoque idipsum imitari studuisse ex Plinio discimus (*g*).

24. Apr. SVMPSIT] En certa aureae aetatis latini sermonis scriptura. I nunc, nec irrideas, si potes, scrupulosas Grammaticorum quorumdam disputationes, audacesve sententias.

25. Apr. ROB.] ROBIGALIA hoc die etiam in Calendario Maffaeiorum iisdem litteris notantur. De illis Varro (*h*): *ROBIGALIA dicta ab Robigo. Secundum segetes huic Deo sacrificatur ne rubigo occupet segetes*. Et Paullus ex Festo: *ROBIGALIA dies festus VII. Kal Maias, quo ROBIGO Deo suo* [f. *Deo segetum*], *quem putabant robiginem avertere, sacrificabant*. Eorum antiquitatem testatur Plinius (*i*): *ROBIGALIA*, inquit, *Numa constituit anno regni sui XI., quae nunc aguntur a. d. septimum Calendas Maii, quoniam tunc fere segetes robigo occupat*. Et Tertullianus (*k*) scribit: *Ludos instituit Numa Pompilius Marti, & Robigini; nam & Robiginem Deam finxerunt*.

25. Apr. FERIAE . ROBIGO . VIA . CLAVDIA . AD . MILLIARIVM . V. NE . ROBIGO . FRVMINTIS . NOCEAT . SACRIFICIVM . ET . LVDI . CVRSORIBVS . MAIORIBVS . MINORIBVSQ. FIVNT] Nostrum marmor peremptorie firmat, quod tum *Robigus* Deus, & *Robigalia* eius festum, tum etiam robigo, quae

(*a*) Svetonius in Tib. cap. 7.
(*b*) In Tib. cap. 5.
(*c*) Cen. Pis. Dissert. 2. cap. 4.
(*d*) Pag. 163.
(*e*) Seneca ep. 4.
(*f*) In Excerptis apud Constantinum Porphyrog.
(*g*) Plin. lib. 10. ep. 117.
(*h*) Varro de L. L. lib. 5.
(*i*) Plinius lib. 18. cap. 29. §. 3.
(*k*) Tertullian. *de Spectaculis* cap. 5.

quae *est culmos*, ut Virgiliano (*a*) utar verbo, scribi debent per *o*; ut hae voces scriptae reperiuntur in melioribus quoque Codd. Mss., quamvis multi alii, plurimaeque editiones passim exprimant per *u*. Etymon a colore *robo*, unde *Robum* rustici dicebant bovem rufi coloris, teste Festo. *Robum rubro colore, & quae rufo* [seu ut Salmasius emendat ad Solinum *quasi rufo*] *significari, ut bovem quoque rustici appellant, manifestum est*. Exstat vetus Inscriptio ubi legitur: VT PRAETOR CVI HAEC REGIO SORTI OBVENERIT, LITATVRVM SE SCIAT, ALIVSQVE QVIS MAGISTRATVS VOLCANALIBVS X. CAL. SEPTEMBRES OMNIBVS ANNIS VITVLO ROBIO ET VERRE. Et Gellius (*b*) describit S. C. quod factum est M. Antonio, & A. Postumio Coss. A. U. C. 654., in quo decernitur, ut hostiis maioribus Dii placarentur, & inde additur: SI QVID SVCCIDANEIS OPVS ESSET ROBVS SVCCEDERET. Sic enim ex Mss. fide emendandae sunt editiones, quae habent *Robigus accederet*.

25. Apr. ROBIGO] Faciebant Robigo sacrificium, ut uni ex Diis, qui colebantur, non ut prodessent, sed ne nocerent. Eos *Numina laeva* appellat Virgilius (*c*), si mavis Gellio (*d*), quam Servio, & Philargyrio fidem praestare: hi enim vocem *laeva* contra interpretantur, *prospera*, quia: *intonuit laevum*, prosperi est ominis. *In iis Diis*, inquit Gellius, *quos placari oportet, uti mala a nobis, vel a frugibus natis amoliantur, averruncus quoque habetur & ROBIGUS*. Puto autem Gellium ex Diis averruncis Robigum praecipue ad exemplum nominare, quia Robigus prae ceteris solemni cultu honorabatur stato die; & profecto tali cultu eum prosequebantur Romani, ut in veteri Inscript. apud Reinesium (*e*) Cereri, & Florae praeponatur: ROBIGO ET CERERI ET FLORAE SACRVM. Verrius cum Varrone *Robigum* dicit Deum, sicut etiam dicitur in titulo Arae, quem ex Philippo a Turre refert Muratorius (*f*); sed Ovidius, & Columella, ut in descripto loco etiam Tertullianus, Deam *Robiginem* dixerunt:

Aspera ROBIGO parcas Cerealibus herbis,

sic Ovidius; & Columella:

Hinc mala ROBIGO, virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur, & extis.

25. Apr. VIA CLAVDIA] Huius viae, quae ab uno ex gente Claudia ante Augustum strata fuisse videtur, ita meminit Ovidius (*g*):

Nec quae piniferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiae Claudia iuncta viae.

Eam appellant *Clodiam* Itinerarium Antonini, Tabula Peutingeriana, & Marcellinus Comes ad an. ɔxxxviii., ubi narrat per Clodiae aggerem, & Annonariam Tusciam Vitigen esse profectum; sed primitus dictam fuisse *Claudiam* certos nos facit hoc marmor. Teste Ovidio iuncta erat viae Flaminiae, & Tabula Peutingeriana eius ductum e Flaminia emittit circa mansionem *ad Rubras*, quae mansio dicta etiam invenitur *saxa Rubra*, & distabat ab Urbe millia ferme IX., ut notatur in Itinerario Hierosolymitano, quod edidit Petrus Pithoeus, & confirmat Aurelius Victor scribens de Maxentio: *Sed Maxentius atrocior in dies tandem Urbe in saxa Rubra, millia ferme IX. aegerrime progressus*. At enim: quibusnam in collibus dicendum igitur est fuisse Ovidii hortos, qui e via Claudia spectabantur? Equidem puto non bene de Apennino Nic. Heinsium intellexisse, ex eo quod via Claudia per Arretium, Florentiam, & Pistorium ferebat Lucam; quis enim sibi suadeat hortos suos adeo ab Urbe disiunctos Ovidium habuisse? Quinetiam certum est habuisse in viciniis Urbis, ipse enim hoc indicat in suis libris (*h*). Qua de re, nisi mea me fallit opinio, quem *collem hortorum* appellat Svetonius (*i*), pluref-

(*a*) Georg. 1. v. 151.
(*b*) Gellius lib. 4. cap. 6.
(*c*) Virgil. Georg. 4. v. 7.
(*d*) Gell. lib. 5. cap. 12.
(*e*) Inscript. 218.
(*f*) Inscript. p. CII. 6.
(*g*) Ovid. *de Ponto* lib. 8. v. 43.
(*h*) Ovid. Trist. lib. 1. 10. 37., & lib. 8. 5. 27.
(*i*) Sveton. in Neron. cap. 50.

pluresque alii scriptores *collem hortulorum* dicunt, sub *piniferorum collium* nomine collem Pincium indicatum esse ab Ovidio crediderim, tunc extra Urbem positum, & deinde in pomoerio inclusum ab Aureliano, ubi plures hortos exstitisse inditum eidem nomen *collis hortulorum* manifesto comprobat. Hoc autem mihi constare etiam videtur ex eo quod via Claudia aut incipiebat a porta Catularia, aut erat ei proxima; cum Flamines, qui teste Verrio per viam Claudiam ibant ad lucum Robigi, exirent per Catulariam portam, ut notat Festus his verbis: *Catularia porta Romae dicta est, quia non longe ab ea ad placandum caniculae sidus frugibus inimicum rufae canes inmolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur*. Portam Catulariam memorat etiam vetus Svetonii interpres in Augusto: *Porta*, inquit, *triumphalis media fuisse videtur inter portam Flumentanam, & Catulariam*. Iamvero cum porta Triumphalis tunc temporis fuisse videatur non procul a Circo Flaminio in campum Martium exiens, & Flumentana in valle inter Capitolium, & Quirinalem, Catularia igitur fuit Quirinali propior: & qui hinc exibant ituri ad lucum Robigi per viam Claudiam iter faciebant in conspectu habentes a laeva collem hortulorum, usque dum ad eum lucum venirent, qui erat ad v. milliarium ab Urbe, millia circiter iv. antequam via Claudia cum Flaminia iungeretur. Hinc caput viae Claudiae exstitisse videtur secus viam, qua nunc a porta Salaria ad portam Pincianam itur.

25. Apr. AD V. MILLIARIVM] Panvinius in Topographia Urbis lucum, & aedem Robiginis in Regione v. constituit. Errasse virum doctum certus quisque esse poterat ex Ovidii, & Festi fide; sed erroris originem modo indicat nostrum marmor. In v. Regione Urbis constituit, quod erat ad v. milliarium. Sed unde putas, Verrium hanc accepisse mensuram? A porta ne Catularia, an vero a milliario aureo in capite Romani Fori statuto sub aede Saturni? Certe a porta Catularia; videtur enim iam esse compertum milliaria extra Urbem a portis designata fuisse (*a*).

25. Apr. SACRIFICIVM] Canis nimirum, & ovis, ut testatur Ovidius. Canis erat huius sacrificii hostia praecipua, ita ut hoc *sacrificium* appellatum fuerit *canarium* ab Ateio Capitone, qui etiam docuisse videtur, inmolatas fuisse canes feminas, & rubescentis coloris, quae *rutilae canes* dicebantur. *Rutilae canes, idest non procul a rubro colore, inmolantur, ut ait Ateius Capito, canario sacrificio pro frugibus deprecandae saevitiae caussa sideris caniculae*. Ita Festus. Praeterea Columella nos docet eam hostiam catulum fuisse lactentem:

Hinc mala Robigo virides ne torreat herbas
Sanguine lactentis catuli placatur, & extis.

Cur autem Deo Robigo canis inmolaretur, ex descripto Capitonis apud Festum testimonio habes, cui concinit Ovidius (*b*):

Est canis [Icarium dicunt] quo sidere moto
Tosta sitit tellus, praecipiturque seges.
Pro cane sidereo canis hic imponitur arae:
Et, quare pereat, nil nisi nomen habet.

25. Apr. ET LVDI CVRSORIBVS MAIORIBVS MINORIBVSQ. FIVNT] Robigaliorum die, praeter sacrificium, fieri solitos etiam ludos Ovidius omnino praeterit, sed a Verrio nunc discimus. Erant hi ludi duplices, cursorum maiorum & minorum, iuvenum nimirum, & puerorum. Virgilius (*c*) Troiae ludum describens iuvenes a pueris distinguit (*d*):

Una acies iuvenum . . . .

& alibi (*e*):

. . . . . *Si iam puerile paratum*
Agmen habet secum.

I Sveto-

(*a*) Vid. *Saggi di Dissertazioni lette nell' Accademia di Cortona* tom. I. par. 2. pag. 65.
(*b*) Fast. IV. v. 939.
(*c*) Aen. lib. v.
(*d*) Ib. vers. 563.
(*e*) Ib. vers. 548.

Svetonius de eodem Troiae ludo (*a*): *Troiam lusit turma duplex, maiorum, minorumque puerorum*. Et loquens de Augusto (*b*): *Troiae ludum edidit frequentissime, maiorum, minorumque puerorum delectu, prisci decorique moris existimans, clarae stirpis indolem sic notescere*. Item in vita Tiberii (*c*): *Praesedit & Actiacis ludis, & Troianis Circensibus, ductor turmae puerorum maiorum*. Itaque Svetonius Troiae ludum non semel memorat, & fere semper maiores, minoresque pueros nominat; & postrema eius auctoritas, cuius aetatis essent pueri maiores patefacit: celebrati enim sunt ii ludi Troiani, cum Tiberius, qui maiorum turmam ducebat, ann. aetatis suae ageret decimum septimum. Verum ludus Troiae erat equester, de cuius ratione praecipue loquitur Virgilius, ludi vero, de quibus Verrius, pedestres. De Cursoribus peditibus, qui in Circo decertare solebant, haec Dionysius (*d*): *Peractis equestribus curriculis inducebantur, qui suis corporibus decertarent, cursores*. De Augusto scribit Svetonius (*e*): *In Circo aurigas, cursoresque, & confectores ferarum, & nonnumquam ex nobilissima iuventute, produxit*. Et Plinius (*f*) tradit visos esse quosdam Cursores in Circo, qui CLX. millia passuum toleraverant: quin etiam *Fonteio, & Vipsanio Coss. annos* VIII. [seu ut al. legitur IX.] *genitum puerum a meridie ad vesperum* LXXV. *millia passuum cucurrisse*; unde colliges minorum aetatem praefinitam potius fuisse a corporis, & animi viribus, quam ab annis. Hoc pedestre certamen agitabatur in Circo eadem ratione, qua equorum, & curruum; & abiecto vestium pondere Cursores prodibant nudi, pudenda tantum tecti, ut idem Dionysius animadvertit. Cur autem Ovidius de Robigalibus agens de Cursorum ludis non meminerit, hanc esse caussam puto, quod ii non ad augendam diei Deo Robigo dedicati celebritatem publica auctoritate agerentur, sed ex licentia puerorum linoniorum, quibus festus erat is dies, ut inde Verrius notat.

25. *Apr.* FESTVS EST PVERORVM LINONIORVM] Sic in marmore, non PVIRORVM LENONIORVM, ut cuidam visum est. Erant hi quaestuaria mancipia, ut verbo utar Ulp. *De iis, qui notantur infamia* l. Athletas. Lenonium autem dicebatur quicquid ad lenones, communem adolescentium perniciem, ut eos appellat Terentius (*g*), pertinebat. Hinc apud Plautum (*h*): *Lenoniam fidem*: *lenonias ianuas*: *lenoniam servitutem*; & per iocum, *oppidum lenonum*. Comparativi gradus huius vocis exemplum fortasse primum hic habes a Verrio.

25. *Apr.* QVIA PROXIMVS SVPERIOR MERETRICVM EST] Dies scilicet Vinaliorum IX. Kal. Maias, ad quem Verrius brevis esse laborans hoc adnotare praetermisit, quia opus erat ei hic notare veluti caussam, ob quam *Robigaliorum* dies festus foret puerorum linoniorum. Cur autem Vinaliorum dies festus esset Meretricum, neque Verrius indicat, neque Ovidius, earum licet cultum, quem eo die Veneri Erycinae praestabant ad eius templa *Collinae proxima portae*, pluribus commemoret. Carolus Neapolis sibi fingit Ovidium dicere eo die dedicatum fuisse templum Veneris ad portam Collinam, Sybillae monitu, captis Syracusis; & hinc ex Livii fide acriter eum castigat. Verum mihi ille videtur hoc unum dicere, eo die vulgares puellas Veneris Erycinae templa Collinae proxima portae frequentare solitas: & Venerem dictam fuisse Erycinam ab Eryce monte a Romanis capto, postquam Syracusas occupaverant; & cultum Veneris Erycinae Romam fuisse adscitum Sibyllae monitu; quae omnia cum historia Liviana bene conveniunt. Utrum vero templa dicat, non templum, quia templa Veneris Erycinae proxima portae Collinae essent duo, unum ante eam portam cum insigni porticu, ut habet Strabo (*i*); & alterum *extra* eamdem *portam*, ubi *Circo inundato* Ludos Apollinares aliquando paratos fuisse scribit Livius (*k*), alii iudicent. Illud potius ipse animadvertam, haud mirum

(*a*) Svet. in Iul. cap. 39.
(*b*) In Aug. cap. 43.
(*c*) In Tib. cap. 6.
(*d*) Lib. VII.
(*e*) In Aug. cap. 43.
(*f*) Plin. lib. 7. 20.
(*g*) Terent. Adel. 1. 2. 34.
(*h*) Plaut. Rud. 5. 3. 30. Asin. 1. 3. 88., Pseud. 3. 1. 1., & Fragm. Par. II. v. 13.
(*i*) Lib. 6.
(*k*) Livius lib. 30. §. 38.

mirum esse quod haec templa in remotiore Urbis regione posita vulgares puellae frequentare solerent, potiusquam Veneris Erycinae aedem, quae prima Romae dedicata est, fatalibus Sibyllinis libris inspectis; erat enim haec in Capitolio, quod haud decebat, ut illae sua frequentia dehonestarent. Haec aedes dedicata est A. U. C. DXXXVIII., aedes vero ad portam Collinam anno DLXXII. (*a*).

25. *Apr.* PROXIMVS SVPERIOR] Haud necesse arbitror hunc latine loquendi modum, quo Verrius utitur, exemplis illustrare. Plura praestat Tullius.

26. *Apr.* HVNC. DIEM. DIVVS. CAESAR. ADDIDIT] Nota Verrii diligentiam. Utinam hoc eius Calendarium haberemus integrum! Adi quae superius adnotavi ad diem 29. Ianuarii.

28. *Apr.* LVDI FLORAE] In Calendario Maffaeiorum LVDI FLOR., & duobus quoque sequentibus diebus apposita est nota, LVDI, prout in nostra tabula. Verum in Calendario Vindobonensi nota, *Ludi Florales*, apponitur Pr. Kal. Maias; & deinde v. Non. Maias: *Floraliaci*. Mancum est Calend. Maffaeiorum in tribus primis mensis Maii diebus: & nullum repertum est hactenus fragmentum marmoreae tabulae, in qua eiusdem mensis Maii fastos dies Verrius ordinaverat. Incipiunt a mense Maio fragmenta Calendarii Venusini, & in eis hae notae, si editoribus fides, legebantur: Calendis Maiis LVDI LAR., IV. Nonas LVDI, V. Non. LVDI IN CIRCO, VI. Nonas FLORAE; sed puto descriptores perperam τὸ FLORAE disiunxisse a nota, LVDI IN CIRCO. Ludi Florales, qui incipiebant IV. Kal. Maias, complebantur IV. Nonas, ut ex Ovidio colligitur, seu V. Nonas, ut indicat Calendarium Vindobonense; & agebantur in Circo, cui nomen *Circus Florae*, quem Sextus Rufus, & P. Victor collocant in Regione VI. Nardinius sibi finxit *Floralium* festum fuisse duplex, alterum, quo Ludi in Theatro Florae, & alterum, quo alius generis Ludi agebantur in Circo Florae. Sed contra Ovidius (*b*) idem esse *Sacrum Florale*, quod mense Aprili, & quod mense Maio agebatur, testatur, sic enim cecinit:

Exit & in Maias Sacrum Florale Calendas;

& deinde (*c*) Floram ipsam alloquens inquit:

Incipis Aprili, transis in tempora Maii:
Alter te fugiens, cum venit alter, habet.
Cum tua sint, cedantque tibi confinia mensum,
Convenit in laudes ille, vel iste, tuas.

Neque alius profecto fuit *Circus Florae*, aliud *Theatrum*, ut Nardinius sibi finxit. *Circus Florae*, qui eiusdem Florae templo in monte Quirinali proximus erat, a vario ludorum genere, qui in eo agebantur, *theatri* etiam nomen obtinuisse videtur. Eos ludos describit Ovidius, & saepe commemorat Martialis; & quia ludicris exercitationibus mos fuit omnem lasciviam obscenitatemque superaddere, iure merito irrident, ac detestantur Arnobius (*d*), & Lactantius (*e*). Quinetiam Cato contra Floralium obscenitatem postquam semel theatro abiisset, librum edidisse dicitur, inscriptum, ut Gellius habet (*f*), *de re Floria*. Imperator Galba, cum esset Praetor, commissione Ludorum Floralium, novum spectaculi genus, elephantos funambulos edidit, teste Svetonio (*g*). Instituta sunt *Floralia* IV. *Kal. Maias*, auctore Plinio (*h*), *Urbis anno* DXVI. *ex Oraculis Sibyllae, ut omnia bene deflorescerent*; sed Velleius scribit (*i*): *Torquato, Semproniaque Cos. Brundusium coloniis occupatum, & post triennium Spoletium: quo anno Floralium Ludorum factum est initium*; qua de re, cum Torquatus, & Sempronius, secundum Livium, Consulatum gesserint ann. DX., initium Floralium, quod post triennium factum est, retrahendum videtur ad an. U. C. DXIII., & textus Plinianae historiae emendan-

 dus,

(*a*) V. Livium lib. 22., & lib. 40.
(*b*) Ovid. Fast. IV. v. 947.
(*c*) Fast. V. v. 185.
(*d*) Arnob. lib. 7. adv. Gentes.
(*e*) Lactant. I. 12.
(*f*) Noct. Att. lib. 9. cap. 12.
(*g*) Sveton. in Galba cap. 6.
(*h*) Plin. lib. 18. c. 69. §. 3.
(*i*) Velleius lib. I.

dus, in quo descriptorum vitio nota numeralis III. facile potuit in aliam evadere VI., seu, ut notat Harduinus, IV. pro diverso nempe, sed qui eodem redit, anni calculo. Hanc institutionis Ludorum Floralium epocham confirmat Ovidius dicens illos esse institutos cum Publicii essent Aediles Plebis; eo enim anno L. Poblicius Malleolus, & eius frater M. Lucius Malleolus Aedilitatem gesserunt. Verum, ut idem Ovidius testatur, qui subsecuti sunt Aediles Plebis hos Ludos exhibere neglexerunt; & coeptum est eos edere quotannis ex S. C., L. Postumio Albino, & M. Popillio Laenate Coss. A. U. DLXXX. Nec praeteribo fuisse multos eruditos viros (*a*), qui sibi persuaserunt, exstare in quodam gentis Serviliae nummo illius Aedilis memoriam, qui primus hos edidit restitutos Florales Ludos. Exhibet ille Florae Deae caput floribus exornatum, & pone illud Augurum lituum, appositis litteris, ut aliis visum est ex consultis typis, FLORA PRIMVS, ut vero aliis FLORAL. PRIMVS; & quidem in argenteo typo optimae sane conservationis, qui in Museo Vaticano adservatur, ita sculptum manifesto est, FLORAL. PRIMVS. In aversa vero nummi parte legitur C. SERVEILIVS. C. F., & expressae sunt duae figurae militares, quae stantes se invicem respiciunt, utraque manu erectum stilum, seu pugionem tenent, & caput pileo potius, quam galea tectum habent, ad ostentandam parem utriusque animorum consensionem pro tuenda fortassis recuperata Reipublicae libertate, in cuius signum etiam in nummis M. Bruti pugiones duo, & pileus insculpti sunt. Scilicet verisimillimum esse videtur hos duos milites, duos fratres Servilios Cascas repraesentare, quos in exitium Iulii Caesaris coniurasse indicat Cicero (*b*): & de quibus vetus epigramma testatur, eadem castra unanimes fovisse, idemque subiisse fatum, & unum idemque habuisse sepulcrum. Uni praenomen fuit Caius, quem inter coniuratos in Caesarem nominat etiam Appianus, alteri vero Publius, qui, Plutarcho teste, primum ictum Caesari intulit. Itaque, quoniam tunc maxime temporis potentiores in Urbe cives splendorem familiae suae ex remotiore vetustate repetere adfectabant, haud mirum est quod Caius Servilius Casca, ut generi suo Caium Servilium, qui Aedilitatem Plebis A. U. C. DLXXX. gesserat, adsereret, eius memoriam & Floraliorum ab eo editorum per denarios aeternare studuerit, cum solemne apud Romanos fuerit diligenter adnotare, & ambitiose celebrare quid quisque primus ediderit (*c*). Neque sane ob aliam caussam insculptum puto lituum, qui clarissimum est insigne auguratus, quam ut Serviliorum nobilitatem ea etiam dignitate auctam fuisse denarius testaretur. Cuiusdam Servilii auguris meminit Plutarchus (*d*); & duo etiam alii exstant nummi a Caio Servilio cusi, quibus pariter insculptus est lituus, in uno ad caput Romae, in altero ad caput Libertatis. Fortassis idem Caius Servilius hos, & illum cudi curavit gloriabundus portendere, quod Iulio Caesare extincto, & recuperata libertate futurum foret, ut Roma refloresceret.

28. *Apr.* LVDI FLORAE] Notavi quo anno hi ludi coeperint agi, & quo fuerint ex S. C. annui constituti, sed animadvertere hoc quoque necesse est iamdiu antea festum *Floralia* celebratum fuisse; etenim *Florae* cultum accepisse Romanos a Sabinis docet Varro (*e*), & Tatium Sabinorum Regem Romae primum ei vovisse: *Sabinorum*, inquit, *linguam olent, quae Tatii Regis voto sunt Romae* [supple *Aedes*] *dedicatae; nam, ut Annales dicunt, vovit Opi, Floraeque*. Deinde factos a Numa recenset Flamines, & inter eorum cognomina, quae in versibus reperiebantur, & quorum obscura erat origo, illud adnumerat Flaminis *Floralis*. Praeterea idem Varro (*f*) inter Deos Consentes XII., qui maxime agricolarum duces sunt, quarto loco invocat *Robigum*, *& Floram*, *quibus*, inquit, *propitiis neque robigo frumenta, atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent. Itaque publicae Robigo feriae Robigalia: Florae Ludi Floralia instituti*; ubi forte legendum est, *Ludi Florales*; nam

(*a*) Vid. Spanhemium *de Usu, & Pr. Num.* Diss. 10. tom. 2. pag. 146. &c., & Havercampum in Commentario ad Thesaurum Morellianum.

(*b*) Philipp. II. cap. 11.

(*c*) Vid. Senecam *de brevit. Vitae* cap. 13.

(*d*) In v. *Luculli*.

(*e*) Varro de L. L. lib. 4.

(*f*) Varro lib. 1. *de Re Rustica* cap. 1.

nam liquet ex dictis, Festum *Floralia* multo ante, quam Ludos, institutum fuisse; & Macrobius (*a*), ut probet festorum nomina secundum regulam declinata apud veteres reperiri, Varronis auctoritatem allegat, qui *Floralium non Floraliorum ait, cum idem non ludos Florales illic, sed ipsum festum Floralia significaret*. Demum antiquissimum, ac religiosissimum fuisse apud Romanos Florae cultum ex eo etiam colligitur, quod in monumentis Fratrum Arvalium, Florae pares hostiae statuuntur ac Vestae: FLORAE OVES II., VESTAE OVES II. (*b*): & quod Floram Tullius *matrem* (*c*), Arnobius *genitricem* (*d*) appellant, quasi *Flora*, & *Venus* pro uno eodemque numine haberentur; testatur enim Macrobius (*e*), quod gens Romana in sacris Martem patrem, Venerem genitricem vocabant, quia suam ab eis repetebat originem. Raphael Fabrettus votum Florae solutum in lamella aenea in agro Sabino apud Licentiam reperta inscriptum, veluti vestigium cultus Sabinorum erga Deam Floram ante Romuli aetatem exhibet (*f*), sed inscriptio adeo remotam antiquitatem nullatenus sapit.

28. Apr. FERIAE . EX . S. C. QVOD . EO . DI . . . ET . VESTAE . IN . DOMV . CAESARIS . AVGV . . . NTIF . . . MA . . . DEDICAT . . . ST . QVIRINIO . ET . VALGIO . COS.] Lego: FERIAE EX S. C. QVOD EO DI*e aedes* ET VESTAE IN DOMO CAESARIS AVGV*sti* PONTIF*icis* MA*ximi* DEDICAT*a* *es*T QVIRINIO ET VALGIO COS. Ovidius indicat hunc diem IV. Cal. Maias esse primum diem Ludorum Floralium, & statim subiungit, locuturum se tamen de Floralibus mense Maio, quia tunc grandius eum opus urgebat celebrandi nimirum translationem Vestae in Augusti domum Palatinam, quae eo die facta est. Itaque eadem fere ratione noster Verrius Ludos Florae indicat, & statim adnotat hunc diem feriatum esse ex S. C. ob dedicationem aedis Vestae in domo Augusta. En Ovidii versus (*g*), ubi Augustum Vestae, & Apollini aequiparat:

Mille venit variis florum Dea nexa coronis:
Scena ioci morem liberioris habet.

Exit & in Maias sacrum Florale Calendas:
Tunc repetam; nunc me grandius urget opus.

Aufert Vesta diem: cognato Vesta recepta est
Limine: sic iusti constituere Patres.

Phoebus habet partem: Vestae pars altera cessit;
Quod superest illis, tertius ipse tenet.

At Verrius praeterea docet quo anno id contigerit, QVIRINIO nimirum, ET VALGIO COS.

28. Apr. FERIAE EX S. C.] Vestam ex S. C. receptam esse in Palatio tradit Ovidius iis verbis: *sic iusti constituere Patres*; Verrius autem docet Ferias quoque anniversarias eo die, quo recepta est, decretas fuisse ex S. C.

28. Apr. . . . ET VESTAE] Supple: AEDIS. Videtur autem additum ET pro *etiam*, hoc est praeter aedem Florae eodem hoc die dedicatam, ob quam caussam agebantur ludi.

28. Apr. IN DOMV] Sic alii plures lapides inscriptum habent sextum casum huius, aliorumque nominum. Conveniunt Mss. Codd.; & praecipue τὸ *domu* frequenter occurrit in libris iuris, notante Brissonio. *Fretu* pro *freto* Priscianus se legisse testatur in illo Lucretii versu libri primi:

Angustoque fretu rapidum mare dividit undis.

CAESA-

(*a*) Saturn. lib. I. cap. 4.
(*b*) Vid. Gruterum pag. CXX., & Muratorium pag. CCCXLII.
(*c*) Act. 5. contra Verrem.
(*d*) Adv. Gentes.
(*e*) Macrob. sat. I. 12.
(*f*) Fabrettus Inscript. Antiq. pag 742.
(*g*) Fast. IV. v. 945.

28. *Apr.* CAESARIS AVGV . . . . . NTIF . . . MA . . .] Prudens hic Imp. Caesari Augusto Pontificis Maximi titulum Verrius adiicit, haec enim dignitas occasionem dedit dedicationi aedis Vestae in Palatio. Cum enim mos esset, ut Pontifices Maximi aedes publicas iuxta Vestam habitarent, & Augustus ad hanc dignitatem evectus in eas a Palatio transire noluerit, Vestam potius a Regione VIII. in X. apud se transtulit; aedesque suas primum ex parte, mox totas publicavit, ut memoriae prodidit Dio (*a*). Haud tamen putes veterem aedem Vestae a Numa constitutam, nova aede in Palatio dedicata, sine cultu relictam. Sacra in ea manserunt, & mansere ad eius custodiam Vestales, quarum etiam mansionem tunc Augustus ampliavit, dono eis data Pontificia domo. Virgilius cecinit (*b*), quod Vesta Tiberim, & Palatium, quo eam Augustus transtulerat, servabat:

Dii patrii indigites, & Romule, Vestaque mater,
Quae Tuscum Tiberim, & Romana Palatia servas.

Dum haec scribimus, defossum est inter rudera Palatii magnificum aedificium rotundum non multo longe a loco, ubi templum Apollinis situm fuisse coniectabatur Blanchinius. Anne illud est aedes Vestae ab Augusto in Palatio exstructa? Peritioribus pensandum relinquo.

28. *Apr.* QVIRINIO ET VALGIO COS.] De his Consulibus A. U. 741., quorum primus erat Cos. ordinarius, alter suffectus, plura iam superius dixi ad diem sextam Martii, ubi etiam varia antiqua monumenta indicavi, in quibus pari ratione inveniuntur anni signati duobus Coss. altero ordinario, altero suffecto; sed inter ea imprudens omisi, quos inferius describam, Fastos Calendarii Amiternini ad diem IV. Idus Augusti, & IV. Nonas Septembris. Porro sciens, Hubertum Goltzium huic Valgio Consuli suffecto tribuisse in Fastis suis nummum, cuius facies ostentat Iunonis sospitae Lanuvinae caput caprina pelle opertum, cum litteris SATVRNIN. RVFVS, & pars aversa figuram togatam, quae escam serpenti in gyros circumvoluto porrigit, & aram intermediam, supra quam amplus crater est positus, tum circum inscriptas litteras C. VALGI. C. F. Q. N. *Caius Valgius Caii Filius, Quinti Nepos*; animadverto, quod ex hoc typo Havercampus haud recte coniicit Valgiam gentem aliquod sacerdotium habuisse Lanuvii, cum potius in eo C. Valgii commendetur scientia de herbarum, & medicamentorum virtute; etenim non modo Consulatus honore, & poëtices laude, ob quam a Tibullo, & Horatio celebratur, C. Valgius inclaruit, sed ea quoque scientia, ut Plinius (*c*) testatur haec scribens: *Post eum* [nempe *Catonem*] *unus illustrium tentavit C. Valgius eruditione spectatus, imperfecto volumine ad Divum Augustum, inchoata etiam praefatione religiosa, ut omnibus malis humanis illius potissimum Principis semper mederetur maiestas.*

28. *Apr.* EODEM DIE AEDIS FLORAE QVAE REBVS FLORESCENDIS PRAEEST DEDICATA EST] En ratio cur primus hic esset dies Ludorum Floralium. Eo die aedes Florae dedicata fuerat, eodemque huius dedicationis anniversaria memoria celebrabatur. Verrius nec quo tempore, nec a quo haec aedes dedicata fuerit adnotat, sed Ovidius satis disertus nobis est testis, illius aedis Florae dedicationem hoc die celebratam fuisse, quae erat in Aventino ad Circum Maximum. Praecipua superstitione hanc aedem venerabatur Populus Romanus tum ob caussam, ob quam primum condita est, tum etiam quia, cum esset seu vetustate, seu igne abolita, Augustus reficere eam coepit, Tiberius perfecit, ac dedicavit. Rei testem habes Tacitum (*d*) ad annum U. C. 770., quem signant Consu-

(*a*) Dio lib. 54. §. 27., & lib. 55. §. 12.
(*b*) 1. Georgic. v. 498.
(*c*) Plinius Histor. lib. XXV. cap. 2.
(*d*) Tacit. Annal. lib. 1. §. 49.

Consules C. Caecilius Rufus, & L. Pomponius Flaccus: *Iisdem temporibus Deûm aedes vetustate, aut igne abolitas, coeptasque ab Augusto, dedicavit* [nempe Tiberius] *Libero, Liberaeque, & Cereri iuxta Circum Maximum, quas Aulus Postumius Dictator voverat; eodemque in loco AEDEM FLORAE ab Lucio, & Marco Publiciis Aedilibus constitutam*. Ex quo Taciti loco, ubi locata esset haec aedes Florae ediscimus, & a quibus primum constituta, quis eam refecerit, quis refectam dedicaverit; Ovidius vero narrat qua occasione, & quibus sumptibus primi eius auctores eam constituerint. Summa rei haec est. L., & M. fratres Poblicii Malleoli Aedilitatem plebis gerentes an. U. C. 513. reos ad Populum pertraxerunt locupletes quosdam cives, qui agrum P. R. publicum occupaverant, & veluti sui privati iuris tenebant, ex quo factum est, ut hi a Populo damnarentur peculatus: Aediles vero ex pecunia multatitia ludos Florales ediderunt, aedem Florae aedificarunt, clivumque ab eis postea Poblicium nuncupatum, sterni curarunt. De hoc Clivo sic Varro (*a*): *Clivus Poblicius ab Aedilibus plebei Poblicieis, qui eum publice aedificarunt. Simili de caussa Publilius Vicus, & Cosconius Vicus quod ab heis vireis dicuntur aedificati. Clivus proximus ad Florales usus versus*. Quae ultima Varronis verba pensanda sunt: indicare enim possunt, vel ideo fratres Poblicios eum Clivum in Aventino in conspectu Circi Maximi stravisse, ut commodam ad novam aedem Florae sternerent viam, vel ut in eo alicuius generis Ludi, Floralium die, agerentur. Golzius in Fastis occasione Consulatus, quem M. Poblicius gessit an. U. C. 521., nummum edidit, in quo ex uno latere caput Genii Populi Romani, ex altero visitur ovis, seu aries cum litteris M. POBLICIVS MALLEOLVS, & eum nummum ad hanc enarratam historiam spectare censuit; quasi ovis, seu aries agrum vindicatum repraesentet, & ille Genius numen eiusdem agri vindicem. Huius aedis Florae in Aventino nullum exstat in nummis schema, coniicere tamen licet ab Augusto renovatam fuisse Corinthio genere, docet enim Vitruvius (*b*): *Veneri, FLORAE, Proserpinae, Fontium Nymphis, Corinthio genere constitutae* [aedes] *aptas videbuntur habere proprietates, quod his Diis propter teneritatem, graciliora, & florida, foliisque, & volutis ornata opera facta, augere videbuntur iustum decorem*. Quod autem pertinet ad alteram aedem Florae in Urbe, Sextus Rufus, & Victor, & Vitruvius eam collocant Reg. VI. in monte Quirinali, apud quam erat Theatrum.

28. *Apr.* FLORAE QVAE FLORESCENDIS REBVS PRAEEST] Eodem verbo utitur Plinius (*c*), *Prisci Floralia* IV. *Cal. Maii instituerunt . . . ut omnia bene DEFLORESCERENT*; neque aliud significat *deflorescere*, quam *tempestive florere*, ut loquitur Varro (*d*) scribens, quod Robigo, & Flora *propitiis neque robigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent*. Sciens autem Verrius generica utitur voce REBVS, & deinde generica pariter voce FRVCVM, quia cuiuscumque generis floribus Florae numen praeerat, qui nimirum in herbis, & qui in arboribus, & segetibus nascuntur. Hinc Plinius dicit *omnia*, & Varro tum *frumenta*, tum *arbores* nominat. Cum autem flores prima sint, & maxima spes fructuum, haud mirum est, quod Floram praecipue sterilitatem frugum avertere posse censerent; cave tamen, si sapis, ut facile credas hinc eam appellatam esse Floram, cum potius Latinum nomen floribus ipsa dedisse videatur. Ovidius (*e*) eam sic loquentem inducit:

Chloris eram, quae Flora vocor: corrupta Latino
Nominis est nostri littera Graeca sono;

ubi minus acute nonnulli ediderunt *littera prima*, & ubi libens sane pro *Latino* mallem legere *Sabino*, si quis hanc lectionem exhibeat vetus Codex. Accepisse enim Romanos a Sabinis Florae cultum ex Varrone didicimus, qui nos etiam docet (*f*) Sabinorum praecipue fuisse *H* per litteram *F* pronuntiare. *Hircus, quod Sabi-*

(*a*) Lib. 4. de L. L.
(*b*) Vitr. lib. 1. cap. 2.
(*c*) Lib. 18. cap. 29.
(*d*) Varro de R. R. lib. 1. cap. 1.
(*e*) Fast. v. v. 195.
(*f*) Lib. 4. de L. L.

Sabini fircus : *& quod illi fedus*, *in Latio rure hedus*, *quod in urbe*, *ut in multis ae addito*, *haedus*. Sed forte non modo Sabinorum, ſed totius Latii mos idem fuit: Epitomator Feſti, *Fedum*, inquit, *antiqui dicebant pro hoedo*, *folus pro holere*, *foſtim pro hoſte*; *foſtiam pro hoſtia*. Priſcianus quoque notat dictam eſſe *Felenam* pro *Helena*, *Fabaris* pro *Habaris*, *fordeum*, *traſo*, *veſo*, pro *hordeum*, *traho*, *veho*, & pro *Orthena*, *Orſena*; quod in libris vulgatis *Ofrena* mendoſe ſcriptum eſt; & *Formiae* Latii oppidum, *Hormiae* prius olim dictae ſunt (*a*). Itaque neſcientes inhaerentem litterae *C* adſpirationem *H* pronunciare pro *Chlorin* dixere *Floram*.

28. *Apr.* PROPTER STERILITATEM FRVCVM] Nota uſum praepoſitionis PROPTER. Palladius Rutilius Taurus Aemilianus in Martio tit. 10. loquens de Meſpilo: *Si vermibus occupetur*, *ſtilo aereo purgandi ſunt &c.*, *vel viva calce perfundendi*, *ſed parcius propter arboris noxam*. Et tit. 11. de bobus: *Tolerat tamen frigus hoc armenti genus*, *& poteſt facile hybernare ſub dio*: *quibus tamen ſepta fieri*, *propter iniuriam gravidarum*, *convenit laxiora*. Demum in Novembri tit. 13: *Graecas oves*, *ſicut Aſianas*, *vel Tarentinas*, *moris eſt potius ſtabulo nutrire*, *quam campo*, *& pertuſis tabulis ſolum*, *in quo claudentur*, *inſternere*; *ut ſic tuta cubilia propter iniuriam pretioſi velleris*, *humor reddat elabens*; nempe ad cavendam arboris noxam, iniuriam gravidarum, iniuriam pretioſi velleris.

28. *Apr.* FRVCVM] Sic marmor. Anne quia FRVCVM a nominativo eſt *Frux*, olim forte *Frucs* quando littera *X* nondum in Latium invecta foret? Seu potius, anne quia *antiqui*, ut tradit Feſtus, *per litterae* C *formam nihilominus* G *uſurpabant*? Enimvero vehementer ſuſpicor, Verrium hic vetuſtiſſimae alicuius legis verba adhibuiſſe, & idcirco curaſſe, ut more vetuſto inſculperentur. Narrat Plutarchus, quo cum concinit Marius Victorinus, quod primus Sp. Carvilius parvum apicem in inferiore parte litterae *C* appoſuit, ut litteram *G* praeformaret, quo quidem pacto efformata in noſtris tabulis viſitur. Huius Carvilii multo celebrior eſt memoria apud veteres Scriptores (*b*), quia etiam primus omnium quingentis & amplius fere annis poſt U. C. divortium cum uxore fecit, quia liberi ex ea, corporis vitio, non gignerentur, iuramento praeſtito apud Cenſores uxorem ſe liberorum quaerendorum gratia habere. Ceterum quod primitus *C* loco *G* Latini ſcriberent non modo teſtantur Grammatici, ſed etiam Mſs. Codices, & lapides, praeſertim vero Duilliana Columna; nec dubito in Legibus XII. tabularum ſcriptum fuiſſe *fruces*, *ſecetem &c.* ubi leges *fruges*, & *ſegetem* in editis earum reliquiis, quas ex veterum ſcriptis in unum corpus docti viri collegerunt. Quod ſi rem ſane exploratiſſimam pluribus etiam aliis exemplis comprobatam videre quis velit, Noriſium (*c*) inter recentiores conſulat; mihi enim ſatis eſſe volo praeter haec animadvertere, hinc intelligi qua ratione ſapientiſſimi Romanorum Varro (*d*), & Tullius Cicero (*e*) exiſtimaverint Cererem ita eſſe appellatam, *quod gerit fruges*. Scilicet cum olim littera *C* pro littera *G* in ſcribendo Cereris nomine adhiberetur, deinceps quoque eadem littera *C* tum in eo ſcribendo, tum in pronunciando retenta eſt ob reverentiam antiquitatis, & forte etiam ob dulciorem euphoniam.

(*a*) Plinius lib. 3. cap. 5.
(*b*) Vid. Dionyſium lib. II., Valer. Max. II. 1., Gellium IV. cap. 3., XVII. 21.
(*c*) Cen. Piſan. Diſſ. 4. cap. 5.
(*d*) Varro de L. L. lib. 4.
(*e*) Cicero de Nat. Deor. lib. 2. cap. 26.

DECEM-

DECEMBER

G K DEC C

H

A

B

C

D

E

F VI C

G V C

H IIII C TR

A III A GON

B PR E N

C EID

D XIX F

E XIIX C CONS N — FERIAE · CONSO · EQVI · ET ... AL · IN · CARINIS · AEDI
ID QVOD · IN · EIVS · TV ... ET · LECTISTERNIVM · ELEC
QVE · REX · EQVO ... MANCEPS · PRAESTAT

F XVII C

G XVI

H XV

A XIIII

B XIII

C XII DIVA NP — FERIAE DIVA
APPEL
PRAE
IN AR
OCCVL
M · AIVNT · OB · AN
M
RINIS · IN · PORT ... VCI

D XI

E X LAR NP — IAE IOVI · ACCAE LARENTIN
HANC · ALII · REM ET · ROM
MERETRICEM · HERCVLIS · SCORTVA ... VNT
PARENTARI · ET · PVBLICE · QVOD · P · R · HE ... RIT
MAGNAE · PECVNIAE · QVAM · ACCEPE ... ITO
TARVIIII · AMATORIS · SVI

F VIIII

G VIII C

H VII C

A VI C

B V C

C IIII F

D III F

COS E PR C

XXXI

DECEMBER

MAnca est prae ceteris haec tabula *acceptum Geniis Decembrem* exhibens. Nomen, quod hic mensis ex ordine primitus habuit in Decimestri Romuli anno, deinceps semper servavit, si breve tempus excipias, quo adsentatores Imperatoris Commodi *Amazonium* appellarunt, quia Martiam concubinam suam in Amazone pictam diligebat. Sunt qui sensere Decembrem *in tutela Vestae* fuisse; sed Plutarchus (*a*), & Macrobius (*b*) *Saturno sacrum* dicunt. Festus, Verrium fortasse exscribit, ubi ait: *Saturno dies festus celebratur mense Decembri, quod aedis est dedicata*: Malim legere: *quo ei aedis &c.* Macrobius testatur edidisse Verrium *de Saturnaliorum constitutione* peculiarem libellum inscriptum *Saturnus*; & ex eo sententiam hanc refert: *Saturnaliorum dies apud Graecos festi habentur*.

10.*Dec.* TR] Ex hisce duabus, quae solum in marmore supersunt, litteris coniicio, Verrium hic adnotasse, *diem quartum ante Eidus Decembr. Tribunatui Plebis ineundo solemnem fuisse, quod ea die primi Tribuni Plebis Magistratum inierint*: Audi Dionysium Halicarn. (*c*): *Plebs in eas, quae tunc erat distributa Curias, annuos Magistratus creavit L. Iunium Brutum, C. Sicinium Bellutum, quos & antea duces habuerat; & praeter hos C. & P. Licinios, & Sp. Icilium Rugam. Hi quinque primi Tribunitiam Potestatem acceperunt, quarto die ante Eidus Decembr. quemadmodum & fit nostro tempore*. Scio equidem illud Ciceronis in Prooemio Actionis primae in Verrem (*d*): *P. Sulpicius, iudex tristis, & integer, Magistratum ineat necesse est Nonis Decembribus*; ubi Asconius addit: *eo die Tribunus Plebis futurus*; nec me praeterit fuisse quosdam eruditos viros, qui ex his falsitatis arguunt descriptum Dionysii testimonium, excusantes tamen Dionysium, quasi subtilem quatuor dierum, quot a Nonis ad quartum diem ante Eidus intercedebant, computationem negligere innoxius potuerit. Verum contra ipse arbitror. Dionysius hoc Verriani Calendarii fragmentum illustrat, & invicem Verrius Dionysiano testimonio fidem adstruit. Nec obstat Cicero, si eum ita accipias, ut non de perpetua, quae tunc temporis facta esset, veteris solemnisque moris immutatione loquatur, sed de singulari re propter illius anni necessitatem, quam profecto ipsa eius verba exprimere videntur. Porro Toinardus, teste Pagio (*e*), hac ipsa die consuevisse conferri Tribunitiam Potestatem Imperatoribus, vel destinatis Imperii heredibus, censuit, quod sibi visus est colligere ex Dione; sed Dio hoc solum docet, Imperatores Imperii sui succedentes annos secundum Tribunitiam Potestatem numerare solitos (*f*), *quasi si quotannis & ipsi cum perpetuis Tribunis Plebis eam acciperent*.

K Cete-

(*a*) Plutarch. Quaest. Rom. 34.
(*b*) Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 7.
(*c*) Dionys. Halicarn. lib. 6.
(*d*) Cicero Act. 1. in Verrem §. 10.
(*e*) Critic. Baron. pag. 163.
(*f*) Lib. 53. §. 17.

Ceterum compertum est Imperatores, & Caesares neque a Calendis Ianuariis, neque a quarto ante Idus Decembres, Tribunitiam Potestatem, quam Vopiscus (a) *partem maximam regalis Imperii* appellat, inire, ac renovare consuevisse, sed a die, quo ad Imperium evehebantur, aut ea fuerant aucti potestate. De Augustorum, Caesarumque Tribunitia Potestate, & eam numerandi ratione Dissertationes duas singulares, primam an. 1715., alteram an. 1721. Altorfii edidit Christianus Gottlieb Schvvartius.

11.Dec. AG . . .] Calendarium Maffaeiorum hac die : AGON. ℞., & concinit Calendarium Amiterninum. Nec putes dissentire Calend. Ms. Bibliothecae Vindobonensis, in quo hac die adnotatum legitur *Septimontia*; docente enim Festo, *Septimontium dies appellatur mense Decembri, qui dicitur in Fastis AGONALIA, quod ea die in septem montibus fiunt sacrificia, Palatio, Velia, Fagurali, Subura, Cermalo, Caelio, Oppio Cispio*, ubi Festus septem montibus octo adtribuit nomina, quia Oppium, & Cispium complectebatur unus & idem mons Exquilinus, ut Varro libro 8. *Rerum humanarum* adnotaverat, eodem Festo testante (b). Plutarchus scribit (c), quod *Feriae istae institutae sunt propter adiectum septimum Romae collem, quo facta est Septicollis*; Varro (d) tamen, quo loco, & a quibus celebrarentur, tradit, sed neque tempus, neque caussam indicat earum institutionis: *Dies Septimontium*, inquit, *nominatus ab his septem montibus, in queis sita Urbs est. Feriae non populi, sed montanorum modo, ut Paganalibus, qui sunt alicuius Pagi*. Forte: *perinde ut Paganalia eorum, qui sunt alicuius Pagi*. Hinc autem veram caussam colligas velim, ob quam Varro de his feriis ad III. Idus Decembres determinatis post *Larentinalia* recenseat, quae x. Cal. Ianuarias celebrabantur. *Feriae montanorum* erant *non populi*, & idcirco de statutis pro universo P. R. diebus loquens eas ultimo loco commemorat, & statim inde transit ad dicendum de annalibus. Qua de re nugas agit Andreas Dacerius, qui in notis ad Festum, allato Varronis descripto loco, contendit, diem igitur Septimontium circa finem Decembris determinandum esse; quod ex nostro, & ex aliis duobus laudatis Calendariis certo falsum evincitur. Neque vero, ut sibi blanditur, favent ei Tertullianus (e), & Svetonius (f), quia primus *Septimontii* meminit una cum strenis, & alter de Domitiano haec narrat: *Congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit; atque inter spectacula muneris largissimum epulum Septimontiali sacro quidem Senatui, equitique panaria; plebi sportellis cum obsonio distributis, initium vescendi primus fecit*. Qua ratione haec ad propositum faciant, non video. Ex his colligi solummodo potest, Romanos consuevisse non solum Cal. Ianuariis, sed etiam eo die, qui *Septimontium* dicebatur, utpote boni ominis die, mutuo sibi xeniola, & strenas missitare; & Domitianum tum inter spectacula gladiatorum, tum etiam Septimontiali sacro peracto, singulari largitate, & humanitate dedisse epulum populo. At enim; undenam putas hunc diem *Septimontium* dictum esse etiam *Agonium*, seu *Agonalia*? Festus (g), seu mavis eius Epitomator Paullus, hanc affert caussam: *quia Agones dicebant montes*; & addit, montem Quirinalem (h) primitus *Agonum* appellatum fuisse, & Collinam portam, qua ad eum montem itur, *Agonalem*. Subiungere quoque poterat a Rege Hostilio institutos Salios, qui in colle Quirinali sacrarium habebant, tum *Collinos* appellatos fuisse, tum *Agonenses*, ut apud Varronem, aut *Agonales*, ut apud Dionysium Halicarnassaeum. Montes autem cur *Agones* dicti? *Quippe initio ludi, qui Graece ἄγωνες, fiebant in montibus*. Ita Dacerius (i). Nugae: & si nugari licet, cur non potius, quia opus, & labor est, & totius corporis vehemens actio, ad montes ascendere?

CONS.

(a) Vopiscus in Tacito.
(b) Festus v. *Septimontio*.
(c) Plutarchus Quaest. Rom. 68.
(d) Varro lib. 5. de L. Lat.
(e) Tertullian. in lib. de Idolol. cap. 10.
(f) Svetonius in Domit. cap. 4.
(g) V. *Agonium*.
(h) Loc. cit., & v. *Quirinalis*.
(i) In notis ad Festum v. *Agonium*.

15. Dec. CONS. NP.] Sic etiam hac die in Calendario Maffaeiorum : CONS. NP. ubi Siccama, *Consualia*, subdit, *fortassis erunt : videant, & iudicent doctiores : ego ingenue fateor aquam hic mihi haerere*. In Calendario Antiatino hac die insculptum pariter est CON., & in Calendario Amiternino legitur primum Pridie Idus Decembres : CONSO IN AVENTINO; & postea hoc die : CONS. NP. FERIAE CONSO. ARA FORTVNAE REDVCI DEDIC. EST; ubi Purpurinus notat Consum fuisse dictum Neptunum Equestrem; & quia habitus fuit pro consiliorum Deo, ideo cultum fuisse cum Fortuna, quia ubi bene interveniunt consilia, tunc in opere omnia ad bonum exitum reducuntur. Papae! haec dicta sunt Socratice, sed extra chorum. FORTVNAE REDVCI dedicatae fuerunt arae tum variis in locis, tum variis diebus. Quoniam vero in Calendario Maffaeiorum alius quoque dies Conso dedicatus invenitur, nempe dies XII. Cal. Septembres, ubi haec exstat nota : CONS. NP., quae legebatur eadem die etiam in fragmento Fastorum, quod olim visebatur in Aedibus Vallensibus, sic : CON., necnon in alio fragmento, quod olim fuit in Aedibus Capranicorum, sic : CONSO IN AVENTINO SACRIFICIVM; liquet ergo, quod bis in anno, mensibus nimirum Augusto, & Decembri, *Consualia* agebantur, & dubitandi locus datur, quo potissimum mense illa celebrarentur Consualia, quae a Romulo instituta fuisse tradunt Dionysius Halicarn. (*a*), & Plutarchus (*b*), ad memoriam divinitus suscepti consilii, atque adeo, ut verbis utar S. Augustini (*c*), *fraudis* illius, qua, Ludis Equestribus indictis, & recepta ad spectaculum ex finitimis oppidis utriusque sexus multitudine, dato signo, cuius meminit Ovidius, virgines Sabinae raptae sunt a Romanis, & per vim inita, quae precibus negata fuerant, connubia. Verumenimvero, quod ea mense Augusto agerentur existimo, quia inter festos Augusti dies recenset Varro his verbis : *Consualia dicta a Conso, quod feriae publicae ei Deo; & in Circo ad aram eius ab Sacerdotibus fiunt Ludi illi, quibus virgines Sabinae raptae* : &, teste Tertulliano (*d*), ad aram Consi XII. Cal. Septembres virgines sacrificabant. Praeterea Verrius de feriis Conso mense Decembri dicatis ita hic loquitur, ut eae videantur institutae ob aliam caussam. Porro Servius, ubi Virgilius raptas esse dicit virgines Sabinas (*e*),

. . . . . *Magnis Circensibus actis*,

eos Ludos a Romulo simulatos ita appellans vel quia eiusdem generis fuerint, ac erant Circenses, vel quia, veteri licet retento *Consualiorum* nomine, in Circo tunc temporis quotannis iterabantur; hanc notam adponit : *Sabinae raptae sunt Consualibus, idest mense Martio*. At forte legendum est, *sed mense Martio*; quasi monere Grammaticus voluerit, ea tamen Romuli Consualia acta fuisse mense Martio, non vero eodem mense, ac die, quo deinceps celebrabantur. Itaque Ovidius (*f*) festos dies mensis Martii celebrans Martem inducit quasi auctorem fraudis dicentem Romulo : *Festa para Conso*, sed mox statim Mars ad Poëtam sermonem vertens subiungit :

. . . . . *Consus tibi cetera dicet*
Ipso festa die dum sua sacra canes.

Et quia in Fastis priorum sex mensium nullibi Poëta horum sacrorum meminit, facile est igitur intelligere, hoc praestitisse, aut praestare sibi proposuisse in Fastis reliquorum mensium, quos adhuc dubitatur, an invida nobis abstulerit aetas, an vero acerba & aspera ipsius Poëtae fata interceperint.

15. Dec. FERIAE CONSO] Consus, & Neptunus Equester, pro uno eodemque Deo vulgo habebantur; sed arcanorum Populi Romani peritiores sentiebant, Consum esse Deum, cuius nomen erat incompertum, ita dictum ob suggestum Romulo consilium de raptu virginum Sabinarum. Audi Plutarchum (*g*) : *Fama vulgata est, primum a Romulo cuiusdam Dei aram conditam sub terra inventam, eique Deo Consi nomen indiderunt a consilio, quod consiliarius foret; sive dicitur Neptunus Equester*, *quia*

(*a*) Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. lib. 2.
(*b*) Plutarchus in Vita Romuli.
(*c*) S. Aug. de Civ. Dei lib. 2. cap. 17.
(*d*) De spectaculis cap. 5.
(*e*) Aen. VIII. vers. 636.
(*f*) Ovidius Fast. lib. 3. v. 199.
(*g*) Plutarch. in Vita Romuli.

quia ara est in Circo Maximo posita, quae reliquum tempus latet, in equestribus autem certaminibus aperitur. Placet tamen aliis, quoniam consilium arcanum esse oportet, subterraneam, nec temere apertam, Dei aram esse. Idipsum luculentius narrat Dionys. Halicarn. (*a*) de raptu Sabinarum agens: *Festum*, inquit, *quod tunc Romulus consecravit, etiam nostra aetate Romani agunt nomine CONSVALIVM, in quo ara subterranea prope Circum Maximum sita, refossa terra, sacrificiis honoratur, & libaminibus; & equorum, ac quadrigarum committuntur certamina. Deus autem, in cuius honorem haec fiunt, CONSVS a Romanis vocatur, quem quidam nostra lingua interpretantur Neptunum* σεισίχθονα, *ideoque illi esse sacratam subterraneam aram, quod hic Deus terram habeat. Ego vero & aliam rationem festi Neptuno dicati audire memini, sicut & cursus equorum; aram vero subterraneam postea positam Genio cuidam, cuius nomen proferri nefas sit, occultorum consiliorum servatori, ac praesidi.* Sic etiam Strabo (*b*) *Consualia* fieri ait *Deo innominato*. Festus scribit: *Consus Deus consilii putabatur, cui Ludi fiebant, qui Consualia dicta sunt.* Hinc illud apud Arnobium adversus Gentes (*c*): *Salutaria, & fida consilia nostris suggerit cogitationibus Consus*; & S. Cyprianus (*d*): *CONSVS*, inquit, *vernaculus est Romanorum Deus, quem Deum fraudis, veluti consiliorum Deum, coli Romulus voluit postquam in raptu Sabinarum perfidia pervenit.* Marlianus, & Gyraldus testantur a se visum subterraneum quoddam sacellum paullo ante detectum ad Circum Maximum post Aedem S. Anastasiae in radicibus montis Palatini, parietes habens conchis ornatos, & testitudinem, in cuius medio picta erat aquila alba cum crista rubra; & hoc tunc fuisse creditum vetus Conso dedicatum sacellum. Nugae. Certiores nos faciunt vetusta Calendaria fuisse hoc sacellum in Aventino; & sane ad primas Circi metas, ut adserit Tertullianus (*e*), qui Consualiorum originem, ut eorum superstitiosam religionem irrideat, inquirens sic loquitur: *Et nunc ara Conso illi in Circo defossa est ad primas metas sub terra cum inscriptione huiusmodi: CONSVS. CONSILIO. MARS. DVELLO. LARES. COMITIO. POTENTES. Sacrificant apud eam Nonis Iuliis Sacerdotes publici, XII. Calend. Septembres Flamen Quirinalis, & Virgines.* Sic libri editi, sed legendum crediderim, *& tunc*, nempe a Romulo, qui primus, ut Plutarchus narrat, eam aram se reperisse finxit: unde deinceps quoque, reliquo tempore latentem, Consualibus defodiebant, ut apud eam sacrificarent. Praeterea notatu dignum puto Tertullianum testari, quod Conso facere consuescerent Sacerdotes publici Nonis Iuliis, in Consualibus vero XII. Cal. Septembres Flamen Quirinalis & Virgines; neuter enim mos, haud memini, quod ab alio vetustiore scriptore commemoretur. Demum, ne quid omittam, animadvertere iuvat, Criticos certare, an in titulo Arae Consi, quem Tertullianus refert, legeretur LARES COMITIO POTENTES, quia Ms. Codex prae ceteris Tertulliani opera complectentibus Codicibus vetustus, ab Agobardo Episcopo ad S. Stephani altare olim oblatus, pro COMITIO habet COILIO. Itaque Rigaltius sic etiam edidit, subdens esse Graecum κοίλῳ *cavo penetrali*: sed Claudius Salmasius (*f*) emendavit COLIO, idest *domi*, quia antiqui *colere* absolute dixerunt pro *habitare*: & If. Vossius (*g*), nec non Ezechiel Spanhemius (*h*) suffecere κοίλο, hoc est *coelo*: ac tandem Harduinus (*i*) *Compito*, quia erant Lares, qui *Compitales* dicebantur, unde eorum etiam festum *Compitalia* dictum. Non meum est tantam componere litem; libens tamen Vossii, & Spanhemii sententiam amplector. Κοῖλον tum apud Graecos, tum apud veteres Latinos est *coelum*. Ennius: *COILI ingentes fornices*. Et alibi:

Quos endo COILVM merita vocaverunt sua.

Quod si etiam legas, POTENTEIS, eo sane magis relatus a Tertulliano titulus Romuli aetatem sapiet. Ceterum in eo Romulus suos monere voluisse videtur,

(*a*) Dionys. Halicarn. lib. 2.
(*b*) Strabo lib. 5.
(*c*) Arnobius lib. 3.
(*d*) S. Cyprianus *de Idolorum vanitate* Tractat. 4.
(*e*) Tertullian. de Spectac. cap. 5.
(*f*) In Exercit. Plinian. cap. XLV.
(*g*) In Notis ad Catullum.
(*h*) In Diatriba de Vesta, & Prytanibus Graecorum, Diatriba 1. §. 15.
(*i*) In Notis, & Emend. in lib. 3. Hist. Plin. §. XLVI.

detur, ad Reipublicae firmitatem opus fore Confilio, Fortitudine, ac Religione, aut, fi magis placet, in patriam amore, & pietate. Plura praefto funt, quibus haec magis ftabiliri, & illuftrari poffent, fed Verrius ad fe me revocat.

15. Dec. EQVI ET . . . . I] Supplendum EQVI ET *Muli*. Audi Feftum: *Mulis celebrantur Ludi in Circo Maximo Confualibus, quia id genus quadrupedum primum putatur coeptum currui, vehiculoque adiungi*. Plutarchus vero tradit (*a*), quod τοὺς ἵππους, καὶ τοὺς ὄνους, *equos, & afinos* in Confualibus mos erat coronare, & otiofos finere. Adfertam a Fefto *mularis vehiculi* antiquitatem comprobat Homerus, & in folemnibus quoque certaminibus Graecos olim *bigas*, *quadrigafque mulares* adhibuiffe ex Pindaro obvium eft.

15. Dec. IN CARINIS] *Carinae* dicebatur vicus Urbis in Regione IV., de cuius limitibus, & cur ita diceretur, difputant Critici; & plerique putant eo nomine primum dictam effe planitiem totam, quae contra Palatinum montem patebat inter Coelium, Exquilias, & Capitolium, ex eo quod Carinarum in modum paffim incurvabatur; deinde vero, ambitu Urbis ampliato, cum ea planities, ubi olim armenta mugire confueverant (*b*), civicis repleta effet aedificiis, vetus illud nomen unius vici proprium evafiffe. Caput facrae viae exibat ad Carinas, ut conftat ex fragmento Actorum Senatus Romani A. U. C. DLXXXV., quo Confules proceffere L. Aemilius Paullus, & C. Licinius Craffus. In hoc fragmento, quod excerptum fuit ex vetufto Cod. Comitis de Carbury, & editum a Iohan. Georgio Graevio in notis ad Svetonium, & hinc recufum apud Muratorium (*c*), & quod mirifice conteftatur Romanorum folicitudinem coniiciendi in Ephemerides quaecumque fingulis diebus memoria digna evenerant, aut in Senatu peragebantur, haec inter cetera ad propofitum leguntur: KAL. APRIL. L. AEMILIO PAVLLO II. C. LICINIO CRASSO COS. PAVLLVS COS. ET CN. OCTAVIVS PRAETOR PALVDATI EGRESSI SVNT VRBE IN PROVINCIAM MACEDONIAM PROFECTI INGENTI ATQVE INVSITATA FREQVENTIA PROSEQVENTE . . . . . . TOTA SACRA VIA EX AEDIBVS . . . . . VSQVE AD CARINAS ET SACELLVM STRENIAE, a quo, tefte Varrone (*d*), oriebatur facra via. Verum Carinae, nifi mea me fallit opinio, tum in convalle Exquiliis fubiecta contra Palatinum, tum quoque in ea, quae inter Palatinum, & Coelium iacet, & ad Circum maximum exit, extendebantur, hinc enim facilius intelligo Livium fcribentem (*e*), quod Flaccus *porta Capena cum exercitu Romam ingreffus, media urbe per Carinas Exquilias contendit*; & cur in Carinis concurfus equorum, mulorumque effet in his Feriis Confo dedicatis. Scilicet Carinae ex ea parte in confpectu habebant etiam Aventinum, in cuius radicibus erat ad primas metas aedes Confi; & Verrius Carinas folum nominans indicare fortaffe voluit, talem equorum, mulorumque concurfum eo die fieri folitum, ut Carinas quoque occuparent longo licet ex adverfo ei aedi proximas intervallo.

15. Dec. AEDI . . . QVOD IN EIVS TV . . .] Quae poft AE fequuntur duae litterae non bene percipiuntur, & omnino deficientes divinare non aufim. Dubitabam an legendum effet AER. P., quam notam Val. Probus valere docet, *aere publico*; nam inde fequitur, quod tamen *lectifternium* fumptibus fuis manceps equorum praeftabat. Meditatus etiam fui, an legi poffet AEQVE, hoc eft, *aeque quod* effent tam *equi*, quam *muli* in tutela Confi. Demum calligraphum fculpere iuffi AEDI, quia fufpicabar fupplendum effe AEDI*litii*, qui nempe ad Aediles curatores Ludorum folemnium pertinebant, quafi Verrius notaret, quod adhiberentur ad Ludum, feu ad oftentationem, equi, & muli Curatorum publici muneris, etfi manceps equorum lectifternium praeftabat. Quid fi Verrius fcripferit AEDITVANT, hoc eft, in confpectu aedis, feu ad honorem *Confi*, manent, & otiantur coronis ornati?

15. Dec. ET LECTISTERNIVM ELEC . . QVE REX EQVO . . MANCEPS PRAESTAT] Horum Confualiorum folemnitatem augebat *quo*QVE lectifternium, facrum nempe convivium ex victimis inmolatis Deo Confo fuper inftrato pulvinaribus lecto appofitum, curan-

(*a*) Q. 47. (*b*) Vid. Virg. *Aen.* VIII. v. 361. (*c*) Infc. p. DCX. (*d*) Lib. IV. *de LL.* (*e*) Lib. XXVI. §. 10.

curante, qui *Rex manceps equorum* electus esset. Non subit modo alius quisquam scriptor antiquus, apud quem *Regis mancipis equorum* mentio sit; verum Asconius ad Orationem contra Antonium (*a*): *Antonius*, inquit, *redemptas habebat ab aerario vectigales quadrigas, quam redemptionem Senatori habere licet per legem*. Itaque inter decumas, quas P. R. a sociis, & civitatibus exigebat, erant etiam vectigales quadrigae, quibus forte utebantur in Ludis Circensibus: & quoniam eodem Asconio docente (*b*), cuiuscumque generis decimarum mancipes, veluti Publicanorum Principes habebantur, haud mirum est, quod *manceps equorum*, quorum redemptionem habere ipsis etiam licebat Senatoribus, *Rex* diceretur, quo vocabulo cuiuscumque rei moderatores, & qui prae ceteris aut ditiores, seu potentiores erant, dicebantur. Decursu temporum omnes quarumcumque rerum mancipes obtinuisse ut coirent, & corpus, seu collegium constituerent, liquet ex titulo inscripto an. Chr. CCCLIII. apud Gruterum (*c*), ubi legitur, quod MEMMIO VITRASIO ORFITO CORPVS OMNIVM MANCIPVM STATVAM SVB [lege *suo*] AERE CONSTITVIT.

21. Dec. . . . VA] Calendarium Maffaeiorum hac die notat DIV. NP., & Verrium notasse crediderim DIVAL., sed litteram L supplere praetermisi, quod nullum eius appareat in marmore vestigium, putem licet evanuisse; nam huius mensis fragmenta non modo, ut aliorum, manca, sed etiam detrita, & corrosa sunt.

21. Dec. FERIAE DIVA . . .] Hoc est: FERIAE DIVAE *Angeroniae*. Quae desunt suppleri possunt ex Macrobio (*d*), ubi ait: XII. *Cal. Ian. Feriae sunt Divae Angeroniae, cui Pontifices in sacello Volupiae sacrum faciunt; quam VERRIVS FLACCVS Angeroniam dici ait, quod angores, ac animorum solicitudines propitiata depellat*. Hanc Verrii sententiam Masurii auctoritate Macrobius confirmat subiungens: *Masurius adiicit, simulacrum huius Deae, ore obligato, atque signato, in ara Volupiae propterea collocatum, quod qui suos dolores, anxietatesque dissimulant, perveniant, patientiae beneficio, ad maximam voluptatem*. Demum ex Iulio Modesto Macrobius haec addit: *Iulius Modestus ideo sacrificari huic Deae dicit, quod Populus Romanus morbo, qui angina dicitur, praemisso voto, sit liberatus*; quam Modesti opinionem amplexus est Festus: *Angeronae*, inquit, *Deae sacra a Romanis instituta sunt, cum angina omne genus animalium consumeretur; cuius festa Angeronalia dicebantur*. Ex superstitibus in nostro fragmento litteris intelligitur, quod etiam Verrius, praeter suam, aliorum quoque sententias indicaverat. Porro antiquissimum fuisse apud Romanos Angeronae cultum notat Solinus (*e*): *Inter antiquissimas sane religiones sacellum colitur Angeronae, cui sacrificatur ante diem* XII. *Calendarum Ianuariarum; quae Dea praesul silentii istius* [alterius nimirum, seu, ut illud Macrobius appellat, *Latini* nominis urbis, quod dicere arcanis caerimoniarum nefas habebatur (*f*)] *praenexo, obsignatoque ore simulacrum habet*. Quinetiam, teste Macrobio (*g*), fuere, *qui Angeronam, quae digito ad os admoto silentium denuntiat, tutelarem Urbis Romae esse Deam dicerent*. Eius festum tum *Divalia*, tum *Angeronalia* dictum est. *Angeronalia*, scribit Varro (*h*) *ab Angerona &c.*, quem locum frustra solicitasse videtur Ios. Scaliger adnotans: *Libentius scripserim ANGENORA, quia cohibet os*; etsi enim non abnuo, quod ita dici potuisset ab angendo ore, utpote quae fingebatur ore obligato, seu digito ad os admoto, attamen ex hoc suum non accepisse nomen facile evincitur, quia apud veteres, qui illam memorant, appellatur semper *Angerona*, seu *Angeronia*; & variae de origine eiusdem nominis exortae sententiae communem lectionem luculenter confirmant. Prorsus vero inepte nonnulli existimarunt hanc esse illam ipsam Romanorum Deam, quam S. Augustinus (*i*) *Ageroniam* appellat, cum plane constet S. Augustinum alius Romanorum Deae irridere vanitatem, *ab actu*, ut ait, ita dictae, & quia *ad agendum excitaret*, ut inde inferius explicatius ipse docet (*k*).

IN

(*a*) Fol. 68. edit. Aldinae an. 1522.
(*b*) Fol. 8.
(*c*) Pag. CCCCXXXVIII. num. 1.
(*d*) Macrob. Sat. lib. 1. cap. 10.
(*e*) Solinus cap. 1.
(*f*) Vid. Plinium lib. 3. cap. 5. §. 9.
(*g*) Macrob. lib. 3. cap. 9.
(*h*) Varro lib. 5. de L. L.
(*i*) S. August. lib. 4. de Civ. Dei cap. 11.
(*k*) Idem cap. 16.

21.Dec. IN AR] Legesis : IN ARA *Volupiae* ex mox citatis Masurii, & Macrobii locis. Huius Deae, quae *de voluptate* nomen sumpsit, ut clare indicat Masurius, & notat S. Augustinus, sacellum cum ara, super quam conlocatum erat Deae Angeroniae simulacrum, & Pontifices Angeroniae sacrum faciebant, situm fuit ad navalia, ut testatur Varro loquens de porta Romanula, *quae est*, inquit, *dicta ab Roma: quae habet gradus in navalia ad Volupiae sacellum*. Itaque corruptus est alius Varronis locus, in quo legitur: *Angeronalia ab Angerona, cui sacrificium fit in Curia Acculeia*, alii legunt *Accuseia*, alii *Accalia*; sed nemo adhuc veram meditatus est huius loci lectionem, quem sic restituendum censeo: *Angeronalia ab Angerona, cui sacrificium fit in ara ad navalia*. Scaliger legebat: *cui sacrificium fit eo die, ac cuius eae feriae publicae*; sed profecto minus recte. Voces, *Feriae publicae*, ad sequentem sententiam certo pertinent.

22.Dec. . . . . RINIS IN PORT . . .] Calendarium Maffaeiorum nihil adnotat hac die XI. *Calendas Ian.*, sed constat ex Macrobio in hanc diem incidisse Ferias *Laribus* consecratas, quod ea die aedes illis dedicata est. *Undecimo*, inquit, *Calendas* [nempe *Ian.*] *Feriae sunt Laribus consecratae, quibus aedem bello Antiochi Aemilius Regillus Praetor in Campo Martio curandam vovit*. Hanc autem aedem *Laribus permarinis* dedicatam fuisse a M. Aemilio Lepido, cum eam vovisset annis XI. ante L. Aemilius Regillus, testatur Livius (*a*), ubi titulum etiam refert scriptum in tabula supra valvas templi fixa; sed Codd. mirum in modum depravatum eum exhibent. Huius tabulae meminit etiam Atilius Fortunatianus (*b*). Extrema tituli verba haec erant; EIVS REI ERGO AEDEM LARIBVS PERMARINIS VOVIT. Vovit autem Aemilius Regillus, *CLASSE ANTIOCHI REGIS VICTA, FUSA, ATQUE FUGATA*, quae similiter sunt verba ex eodem titulo apud Livium descripta. Porro hoc Verriani Calendarii fragmentum, quod manifesto supplet Macrobius, comprobat quoque Dionysius, qui Ferias Laribus consecratas Romanos mense Decembri agere consuevisse tradit, minus licet perite, quia sibi eas fingit Laribus Compitalibus consecratas fuisse; quod falsitatis arguunt non modo Verrius, & Macrobius, sed etiam Varro, qui luculenter nos docet, Ferias Compitales a Servio Tullio institutas, non statas fuisse, sed conceptivas, & mense Maio agi solitas ad Pontificum nutum. Sed homo Graecus Dionysius in errorem lapsus fortasse est, quod viderit, non secus ac in Compitalibus, usitatum in his etiam Feriis effigies aliquas suspendere; namque tali ritu, quo Iunius Brutus pulso Tarquinio celebrari constituit Compitalia, cultos quoque fuisse Lares marinos ex quodam arguo Varronis fragmento apud Nonium (*c*), quod tale est: *Suspendit Laribus marinis molles pilas, reticula, & strophia*. Gothofredus edidit *marinas*, sed minus recte. Quae vero essent hae pilae docet Festus: *Pilae*, inquit, *& viriles, & muliebres effigies in Compitis suspendebantur Compitalibus ex lana, quod esse Deorum inferorum hunc diem festum, quos vocant Lares, putabant, quibus eo die tot pilae, quot capita servorum, tot effigies quot essent liberi ponebantur; ut vivis, sic enim invocantur, parcerent, & essent his pilis, & simulacris contenti*. Dicebantur igitur pilae quaedam veluti hominum capita, omne enim rotundum, & caput etiam humanum Graeci dicebant πόλον (*d*). *Molles* vero dicit eas Varro, quia ex lana componebantur. Audi rursus Festum, seu eius epitomatorem Paullum: *Laneae effigies Compitalibus noctu dabantur in Compita; quod Lares, quorum is erat dies festus, animae putabantur esse hominum, redactae in numerum Deorum*.

22.Dec. . . . RINIS] Lege igitur ex Livio PERMARINIS; & noveris ob eam caussam, auctore Gyraldo, hos *Lares* dictos esse *Permarinos*, quod essent Lares navibus attributi, non secus ac *Compitales*, qui compitis, *Familiares*, seu Domestici, qui domibus,

(*a*) Livius lib. 40. §. 52.
(*b*) In *Arte*, loquens de *Saturnio versu*: in edit. Grammat. Lat. Heliae Putschii pag. 2680.
(*c*) Nonius lib. 14. §. 8. & 32.
(*d*) Pollux Onom. lib. 2. cap. 4., Hesychius v. πόλοι.

mibus, *Viales*, qui viis, *Rurales*, qui ruribus, *Publici*, qui alicui civitati tribuebantur. Ast ego malim dictos *Permarinos*, quia mari potentes; & crediderim a Diis marinis distingui eadem ratione, qua distinguebantur a Diis caelestibus Lares Compitales, Domestici, Viales, Rurales, Publici. Contra vero arbitror, quod nullo modo distincti haberentur inter se Lares, quos L. Aemilius Regillus, qui eis Aedem vovit, seu M. Aemilius, qui illam dedicavit, *Permarinos* dixit, & quos Varro, aliique Lares *marinos* nominant. Cum enim Aedi Larium Permarinorum praefixum titulum ligata oratione scriptum fuisse a Fortunatiano didicerim, qui ex eo Saturnii versus exemplum adfert, facile suspicor epigrammatis auctorem ea voce usum esse ad metri commoditatem; neque tamen prorsus inepte, sed ut exprimeret Lares permaxime mari potentes, aut qui late praeerant per omnium regionum maria; victrix enim Classis Romana late per plura maria enavigaverat, & in mari longe ab Italia dissito Antiochum superaverat. Memini Plinium dicere: *Iuxta vero ab ortu ex Indico mari, sub eodem sidere pars tota vergens in Caspium mare pernavigata est Macedonum armis*, ut exprimat totum illum maris tractum Macedones enavigasse. Turnebus testatur (*a*), quod in vetere quodam Lexico Lares Permarini exponuntur Διαπόντιοι θεοί.

22.Dec. IN PORT . . .] Forte IN PORT*ubus* generatim, ni mavis Verrium Aedis, quam Regillus vovit, locum designasse distinctius, ac designarunt Livius, & Macrobius, qui solummodo sitam eam dicunt *in Campo Martio*, qui latissime patebat. Ceterum Aedi *permarinis Laribus* dedicatae aptissimum certe locum praebere potuit aliquis ex portubus apertis propter Tiberim, qui Campum Martium circumambiebat, & potissimum portus, ubi Regillus in terram victor descenderat.

22.Dec. . . . VCI] Lego *pollVCEnt*, hoc est, offerunt, consecrant: & forte nautae, aut mercatores; praetereaque coniectando dubitare etiam quis posset, an supplendum sit, *pisces*. Erat solemne sacrorum verbum *Pollucere*, quod saepe usitatum invenitur pro *Diis offerre*, & *consecrare*, etsi magis proprie significabat partem consecratae rei populo ad vescendum permittere, postquam alia pars Diis data, & porrecta fuisset; unde ea pars populo ad consumendum permissa *Polluctum* dicebatur; & quia haec popularia, & sacra convivia laute semper apparabantur, hinc Macrobius (*b*) opiparam Antonio paratam a Cleopatra cenam, *pollucibilem sane cenam* dicit, & apud Plautum legimus (*c*):

Pascite parasitos, obsonate pollucibiliter.

Porro Verrius hoc verbo mihi videtur hoc loco usus, ut alluderet ad legem a Numa latam, cuius meminit Plinius (*d*) haec ipsa recitans Cassii Heminae verba: *Numa constituit, ut pisces, qui squamosi non essent, ni pollucerent: parcimonia commentus, ut convivia publica, & privata, cenaeque ad pulvinaria facilius compararentur; ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent, eaque praemercarentur*. Festus, seu Festi epitomator Paullus: *Pollucere merces quas liceat* recensens, ultimo loco nominat *pisces, quibus est squama, praeter scarum*; & hinc, atque ex descriptis Cassii Heminae verbis Ios. Scaliger censuit legem Numae ita fuisse conceptam: *PISCEIS, QVEI SQVAMOSEI NON SVNT, NEI POLLVCETO: SQVAMOSOS OMNEIS, PRAETER SCARVM, POLLVCETO*. Quod commentum veluti ex suo ingenio proposuit etiam Harduinus in notis ad Plinium.

23.Dec. LAR.] Ita supplevi ex Calendario Maffaeiorum, ubi hanc notam LAR. reperies; & eam recte Ciacconium, & Manutium interpretatos fuisse, *Larentinalia*, mirifice comprobat scholion, quod hic in suo Calendario Verrius subiungit. Itaque quis non miretur, quomodo Sibrandus Siccama ex laudato paullo superius loco Dionysii Halicarnass., ubi nullus certus indicatur dies, in suspicionem venerit, quod interpretari potius debuissent *Laralia*; cum Varro, Ovidius, Plutarchus, Macrobius,

(*a*) Adverſ. lib. 20. cap. 35.
(*b*) Saturn. lib. 2. cap. 13.
(*c*) Moſtell. I. 1. 23.
(*d*) Plinius Hiſt. Nat. lib. 32.

crobius, Festus, *Larentalia*, seu *Larentinalia* in diem x. Cal. Ianuar. incidisse luculenter testentur. Quod si hoc festum in multis veterum Scriptorum editis, ac mss. libris *Laurentalia*, & Romuli nutrix, in cuius honorem agebatur, *Laurentia* appellantur; ex marmoreis tamen Calendariis Maffaeiorum, & nostro constat praeferendam esse eorum Codd. lectionem, qui illud appellant *Larentalia*, seu *Larentinalia*, & hanc *Larentinam*, seu *Larentiam*, graece, ut apud Dionysium (*a*), & Plutarchum (*b*), Λαρεντίαν. Ex editis Varronis schedis apparet, hoc festum esse etiam dictum *Accalia*; sed illas usque adhuc nimis mancas, atque corruptas habemus; nec satis apte, ut puto, ubi de hoc festo agunt, eas correxit Ios. Scaliger, ita distinguens, ac supplens, ut intelligatur alium diem Accae Larentiae mense Decembri, & alium Accae Larentinae mense Aprili consecratum fuisse. Haec sane distinctio Verrio, & Macrobio, aliisque, quos illi laudant, vetustioribus scriptoribus adversatur. Licet enim in diversa abierint enarrantes tum historiam Accae, tum caussam, ob quam ei publice quotannis Romae parentabatur, in eo tamen consentiunt, quod una fuerit, & quod eius Parentalia, qualiscumque esset caussa, x. Cal. Ian. agebantur. Pluribus igitur consultis mss., editisque libris, ita potius Varronem scripsisse crediderim: *Angeronalia ab Angerona, cui sacrificium fit in ara AD NAVALIA. Feriae publicae Larentinae: Is dies, quem quidam in scribendo Larentalia appellant, ab Acca Larentina nominatur, cui Sacerdotes nostri publice parentant; & hinc alii eum diem dicunt Parentalia Accae Larentinae. Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut aiunt quidam ad sepulcrum Accae, aut* [in editis &] *quod ibi prope faciunt Diis Manibus Servilibus Sacerdotes. Qui uterque locus extra urbem antiquam fuit non longe a porta Romanula, de qua in priore libro dixi*. Haec Varro, qui *utrumque locum* dicens Velabrum sane intelligit, & locum ubi iusta fiebant Manibus Servilibus. Videtur autem hoc animadvertisse, quia Diis Manibus sacrificare non licebat intra urbem, unde illud Censorini (*c*) ex eodem Varrone (*d*) Xviros inspectis libris Sibyllinis renuntiasse: *Uti Diti patri, & Proserpinae Ludi Terentini in Campo Martio* [qui extra urbem erat] *fierent tribus noctibus; & hostiae furvae immolarentur*. Quod si, prolato pomoerio, mansit adhuc extra urbem locus ad faciendum Diis Manibus Servilibus adsignatus, & Velabrum additum est urbi, Regione XI., ut eam nominat P. Victor; nihilominus tamen permissum est, ut in Velabro, ubi coeptum fuerat, deinceps quoque Accae Larentinae Sacerdotes publice parentarent.

23. Dec. . . . IAE IOVI] FERIAE IOVI. Cur hoc die, quo Accae Larentinae parentabatur, *Feriae Iovi* consecratae fuerint, caussam hanc reddit Macrobius: *Quia aestimaverunt antiqui animas a Iove dari, & rursus post mortem eidem reddi*. Octavius Minutius in suo contra Gentes libro Accam Larentiam inter Romanorum Deas recenset, sed minus vere. Nulli Deo Romani parentabant. Haec tamen erat apud eos vetus lex: *DEORUM MANIUM IURA SANCTA SUNTO: HOS LETO DATOS DIVOS HABENTO*.

23. Dec. ACCAE LARENTIN . .] Lege ACCAE LARENTINAE *Parentalia*, aut si mavis, *Sacrificium*. Notes autem oportet, quod cum Parentalia agerentur, ubi erat sepulcrum illius, cui parentabatur, ut ex illo Ciceronis intelligitur: *Ut cuius sepulcrum nusquam exstet, ubi parentetur, ei publice supplicetur*: hinc factum esse videri, ut quidam dicerent, teste Varrone, sacrificium illud fieri *ad sepulcrum Accae*. Ceterum Varro ita loquitur, ut potius existimasse videatur, quod non ad sepulcrum Accae Larentinae, sed ad coenotaphium, hoc est *ad sepulcrum inane* parentarent, electumque eum fuisse locum, quod ibi prope Sacerdotes facerent Diis Manibus Servilibus, illius nimirum conditionis, cuius mulier etiam illa fuerat. Demum

L Cice-

(*a*) Dionysius lib. I.
(*b*) Plutarchus in Vita Romuli.
(*c*) Censorinus *de Die Nat.* cap. 17.
(*d*) *De Scenicis Originibus* lib. I.

Ciceronis de hoc sacrificio locus non est praetermittendus, ubi pietatis suae immoderantiam erga defunctam filiam excusare satagens: *In eoque*, inquit, *sum maiorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larentiae tribuerunt, cuius, vos Pontifices, ad aram in Velabro facere soletis.*

23. Dec. HANC ALII REM . . . ET ROM . . . . MERETRICEM HERCVLIS SCORTVM . . . . . VNT] Forte, REMI ET ROMULI *nutricem Faustuli coniugem*, ALII MERETRICEM HERCVLIS SCORTVM *fuisse* DICVNT. Sabini Massurii opinio fuit, teste Gellio (*a*), necnon Macri, teste Macrobio (*b*), quam secuti sunt etiam Livius (*c*), Festus, & Ovidius, Accam Larentiam Faustuli coniugem Romuli, & Remi fuisse nutricem. Audi Ovidium (*d*):

Non ego te, tantae nutrix LARENTIA gentis,
Nec taceam vestras, Faustule pauper, oves.
Vester honor veniet, cum LARENTALIA dicam:
Acceptus geniis illa December habet.

Sed ipsa etiam iuvat adducere Macri, & Sabini Massurii testimonia, in eo enim conveniunt, quod Larentia fuerit Romuli, & Remi nutrix, mirifice autem discrepant de modo, quo Romulum heredem suum fecit. *Macer*, inquit Macrobius (*e*), *Faustuli coniugem Accam Larentiam Romuli, & Remi fuisse nutricem confirmat. Hanc, regnante Romulo, Carucio* [al. *Tarucio*] *cuidam Thusco diviti denuptam, auctamque hereditate viri, quam post Romulo, quem educasset, reliquit; & ab eo Parentalia, diemque festum caussa pietatis statutum.* De Sabino autem sic Gellius: *Sabinus Massurius in primo Memorialium secutus quosdam historiae scriptores, Accam Larentiam Romuli nutricem fuisse dicit. Ea*, inquit, *mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amisit; in illius locum Romulus Accae Larentiae se se filium dedit; seque & ceteros eius filios fratres arvales appellavit. Ex eo tempore Collegium mansit fratrum arvalium numero duodecim: cuius sacerdotii insigne est spicea corona, & albae infulae.* Verrius quia primum memorat eorum sententiam, qui nihil honori Larentiae Romuli nutricis detrahebant, cum eis sensisse videtur; sed neque reticet alios aliter de illa sensisse.

23. Dec. REM . . . ET ROM . . .] Remum Romulo Verrius praefert; numquid quia gemini licet essent, habitus ille fuerit uti primum editus? Ex quo etiam fortassis dictus est alter diminutivo nomine Romulus. Audi Servium (*f*): *Ut pro Romo Romulus diceretur blandimenti genere factum est, quod gaudet diminutione.* Quod si illum omnes Latini *Remum* vocant, a Graecis tamen Ῥῶμος & ipse passim appellatur, & quidem utrique eadem fuerat nominis origo a *ruma*, hoc est *mamma*, & solum ad utriusque distinctionem factum videtur ut alter Remus, alter Romus diceretur; familiare enim Latinis fuit loco *V* tum *O*, tum *E* adhibere, ut veteres notarunt Grammatici, veteresque probant lapides. Sed ob aliam quoque caussam potuit Verrius Romulo Remum praeferre. Plures veteres Scriptores tribuisse videntur Remo, quod prima iecerit Urbis fundamenta (*g*); & captatis auguriis ipse prior sex vultures vidit, & Romulus postea duodecim. Nec forte negligenda est Plinii (*h*) phrasis de ficu Ruminali dicentis: *eam cultam magis ob memoriam eius, quae nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris.*

23. Dec. MERETRICEM] *Acca Larentia*, inquit Gellius (*i*), *corpus in vulgus dabat, pecuniamque emeruerat ex eo quaestu uberem. Ea testamento, ut in Antiatis historia scriptum est, Romulum Regem, ut quidam alii tradiderunt, Populum Romanum bonis suis heredem fecit. Ob id meritum a Flamine Quirinali sacrificium ei publice fit, & dies e nomine eius in Fastis additus.*

HER-

(*a*) Lib. 6. cap. 7.
(*b*) Saturn. lib. 1. cap. 10.
(*c*) Livius lib. 1. cap. 4.
(*d*) Fastor. lib. III. v. 55.
(*e*) Saturn. lib. 1. cap. 10.
(*f*) Aen. lib. 1. v. 277.
(*g*) Vid. Dempsterum ad cap. 1. libri 1. *Antiquitatum Romanarum Ioh. Rosini.*
(*h*) Plin. Hist. Nat. lib. 15. cap. 18.
(*i*) Gellius lib. 6. cap. 7.

23. Dec. HERCVLIS SCORTVM] Quomodo Larentia *Herculis ſcortum* fuerit, & quo pacto dives evaſerit, & P. R. heredem ſcripſerit, narrat Macrobius (*a*); quo cum S. Auguſtinus (*b*) concinit. Macrobii verba haec ſunt: *Ferunt regnante Anco aedituum Herculis per ferias otiantem, Deum teſſeris provocaſſe, ipſo utriuſque manum tuente, adiecta conditione ut victus coena ſcortoque mulctaretur. Victore itaque Hercule illum Accam Larentiam per id tempus nobiliſſimum ſcortum intra aedem incluſiſſe cum coena; eamque poſtero die diſtuliſſe rumorem, quod poſt concubitum Dei accepiſſet munus, ne commodum primae occaſionis, cum ſe domum reciperet, offerendae aſpernaretur. Eveniſſe itaque ut egreſſa templo mox a Tarucio* [al. *Carucio*] *capto eius pulchritudine compellaretur, cuius voluntatem ſecuta, aſſumptaque nuptiis, poſt obitum viri omnium bonorum eius facta compos, cum decederet, P. R. nuncupavit heredem, & ideo ab Anco in Velabro loco celeberrimo urbis ſepulta eſt, ac ſolemne ſacrificium eidem conſtitutum, quo D. M. eius per flamines ſacrificaretur.* Verum Lactantius (*c*), ubi de Diis Romanorum propriis, & eorum ſacris agit, exprobrat primum quod Larentinae proſtitutae feminae, Fauſtuli uxori, diem feſtum dicaverint, & *Larentinalia* inſtituerint; deinde vero ſubdit: *Nec hanc ſolam Romani meretricem colunt, ſed Faulam quoque, quam Herculis ſcortum fuiſſe Verrius ſcribit*; & poſtea hanc Faulam appellans Floram, eam fuiſſe narrat, quae Populum Romanum ſcripſit heredem opum ex arte meretricia conquiſitarum, certa pecunia relicta, ex cuius annuo foenore ſuus natalis dies celebraretur editione Ludorum, qui appellabantur *Floralia*. Unde haec Lactantius hauſerit, quae omnium veterum ſcriptis adverſari videntur, neſcitur. Verrium citat, qui tamen hoc in loco non meretricem nomine Floram, ſed Accam Larentinam *Herculis* fuiſſe *ſcortum* dicit; nec aliquid ſimile ullo pacto adnotat, ubi de Floralibus loquitur in Faſtis menſis Aprilis. Verum quia Florales Ludi per plures dies agebantur; incipientes enim menſe Aprili tranſibant in menſem Maium, cuius Faſti a Verrio deſcripti omnino adhuc deſiderantur, Lactantium falſitatis inſimulare non auſim. Neque enim mirum foret, quod plura tribuerint Herculi ſcorta, & quod Verrius in Faſtis menſis Maii eam primam a Lactantio adſertam, turpem licet, Floralium originem indicaverit, quam alii ab ipſo nomine argumentum ſumentes colorabant. Praeterea animadvertere iuvat, quod Lactantius neutiquam ſcribit Faulam ſcripſiſſe heredem Populum Romanum, ſed populum, qui intelligi poteſt gentis ſuae, ita ut haec fabula componi queat cum eorum teſtimonio, qui Florae cultum a Sabinis Romanos accepiſſe dicunt temporibus Romuli, Tatio illum inducente.

23. Dec. PARENTARI EI PVBLICE] Feſtus: *Publica ſacra, quae publico ſumptu pro populo fiunt*. Sic etiam Cicero pro Roſcio Am. *Locantur publice cibaria anſeribus*; & in marmore Muſei Collegii Romani: PVBLICVS AB SACRARIO DIVI AVGVSTI, hoc eſt, ſervus, aut cuſtos Sacrarii, ſeu aere publico emptus, ſeu iuſſu publico factus.

23. Dec. QVOD P. R. HE . . . . RIT MAGNAE PECVNIAE QVAM ACCEPE . . . . TO TARVILII AMATORIS SVI] Publicis igitur ſumptibus Accae Larentinae Parentalia celebrabantur, QVOD POPVLVM ROMANVM HE*redem* *fece*RIT MAGNAE PECVNIAE QVAM ACCEPE*rat ex teſtamen*TO TARVILII AMATORIS SVI.

23. Dec. HE . . . . RIT] Breve, quod intercedit in diffracto marmore ſpatium inter initium, & finem unius, & alterius vocis, ſuſpicioni locum dat, an *heredem* ſupplere opus ſit, an vero ad oſtentandam remotiſſimam rei antiquitatem Verrius uſus fuerit antiquiore voce *herem*, qua Naevius in Gymnaſtico uſus fuit, teſte Nonio:

Atque meis bonis omnibus
Ego te herem faciam.

L 2 TAR-

(*a*) Saturn. lib.1. cap.10. (*b*) S. Auguſt. lib.6. de Civ. Dei cap.7. (*c*) Lactant. lib.1. cap.20.

23. Dec. TARVILII] Sic marmor, quod ad extremam usque lineam nusquam antea cognitas praestat, ac docet res. Reliqui omnes scriptores, qui eamdem historiam, seu fabulam commemorant, hunc hominem, aut *Carucium*, aut *Tarutium*, appellant ex vulgari licentia, qua hae litterae *c*, & *t* ad invicem commutabantur. Dempsterus (*a*) in quadam Macrobii editione invenisse scriptum dicit *Tanitium*; & alibi scriptum etiam invenies *Taruntium*, & *Tarratium*; nomen *Tarvilii* nunc primum prodit.

Iamvero manum de tabula. Commentando, coniiciendo, divinando satis lusimus, & fortasse etiam plusquam satis.

(*a*) Dempst. *de Etruria Regali* lib. 3. cap. 7.

VERRII

VERRII FLACCI
OPERUM FRAGMENTA OMNIA
QUAE EXSTANT
EX ANTIQUIS LATINIS SCRIPTORIBUS
COLLECTA.

VERRII FLACCI OPERA
QUORUM MENTIO EST
APUD VETERES SCRIPTORES.

LIbri *Rerum memoria dignarum*. Horum librum primum citat Gellius lib. 4. cap. 5.

Libri *De obſcuris* [ideſt *vocibus*] *Catonis*. Horum librum ſecundum citat Gellius lib. 17. cap. 6.

Libri *De verborum ſignificatione*, ſeu *ſignificatu*. Hi libri tot fuiſſe videntur quot ſunt Alphabeti litterae.

Libri *De Orthographia*, quibus reſcripſiſſe Scribonium Aphrodiſium narrat Svetonius *de Ill. Gramm.* cap. 19.

Liber, cui titulus *Saturnus*. Eius meminit Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 4., & 8.

Epiſtolae. Eas citat Servius Aen. lib. 8. v. 423.

Carmina. Citantur a Priſciano lib. 8.

Faſti. Citantur a Macrobio Saturn. lib. 1. cap. 10. & 12., & a Svetonio *de Ill. Grammaticis* cap. 17.

VERRII FLACCI NARRATIONES HISTORICAE
QUAS IN EIUS LIBRIS EXSTASSE
SCRIPTORES VETERES TESTANTUR.

I. EX *Feſto*.] Salva res eſt, dum ſaltat ſenex, quare paraſiti Apollinis in ſcena dictitent, cauſſam Verrius in libro quinto (*a*), quorum prima eſt *P* littera, reddidit. Quod C. Sulpicio (*b*), C. Fulvio Conſulibus, M. Calpurnio Piſone (*c*) Praetore Urbis faciente ludos, ſubito ad arma exierint, nunciato adventu hoſtium, victoreſque in theatrum redierint, ſoliciti ne intermiſſi religionem adferrent, inſtaurandique eſſent, inventum eſſe ibi C. Pomponium libertinum mimum magno natu, qui ad tibicinem ſaltaret. Igitur gaudio non interruptae religionis editam vocem nunc quoque celebrari. At in hoc libro (*d*) refert Sinnii Capitonis verba, quibus eos ludos Apollinares Claudio, & Fulvio Coſ. (*e*) factos dicit, ex libris Sibyllinis, & vaticinio Maccii vatis inſtitutos; nec nominatur ullus Pomponius; ridiculeque de appellatione Paraſitorum Apollinis hic cauſſam reddit, cum in eo praeteriiſſet. Ait enim, ita appellari, quod C. Volumnius, qui ad tibicinem ſaltavit, ſecundarum partium fuerit (*f*), qui fere ab omnibus mimis paraſitus inducitur.

II. *Ex*

(*a*) Mendum irrepſiſſe puto: l. *decimo quinto, cuius*.

(*b*) Ant. Aug. emendavit P. Sulpicio, Cn. Fulvio, qui Conſulatum geſſerunt poſt Ap. Claudium, & Fulvium Flaccum, qui infra a Verrio nominantur.

(*c*) Livius Caium nominat.

(*d*) Nempe in libro, cuius prima littera erat *S*.

(*e*) His Coſ. ludos Apollinares primum factos tradit Livius lib. 27.

(*f*) Hoc eſt *aſſentator*, qui in omnibus aliorum facta, ac dicta ſequitur, & ſecundas partes agit. Hor.

... *Aut mimum partes tractare ſecundas*.

II. *Ex Macrobio Sat. l.1. c.6.*] Verrius Flaccus ait, cum Populus Rom. pestilentia laboraret, essetque responsum id accidere, quod Dii despicerentur: anxiam Urbem fuisse quia non intelligeretur oraculum: evenisseque, ut Circensium die, puer de coenaculo pompam superne despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset. Qui cum rem gestam Senatui nunciasset; placuisse velari loca ea, qua pompa veheretur: atque ita peste sedata puerum, qui ambiguitatem sortis absolverat, togae praetextae usum munus impetravisse.

III. *Ex Gellio lib. 5. cap. 17.*] Verrius Flaccus, in quarto (*a*) de verborum significatione, dies, qui sunt postridie Calendas, Nonas, Idus, quos vulgus imperite nefastos dicit, propter hanc caussam dictos, habitosque atros esse scribit. Urbe, inquit, a Gallis Senonibus recuperata, L. Attilius in Senatu verba fecit, Q. Sulpitium Tr. Mil. ad Alliam adversus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia postridie Idus fecisse: tum exercitum Populi Romani occidione occisum, & post diem tertium eius diei Urbem, praeter Capitolium, captam esse. Compluresque alii Senatores recordari se se dixerunt, quotiens belli gerendi gratia res divina postridie Calendas, Nonas, Idus a Magistratu Populi Romani facta esset, eius belli proximo deinceps praelio rem publicam male gestam esse. Tum Senatus eam rem ad Pontifices reiecit: ipsi, quod videretur, statuerent. Pontifices declaraverunt nullum iis diebus sacrificium recte futurum.

IV *Ex Gellio lib. 4. cap 5.*] Statua Romae in Comitio (*b*) posita Horatii Coclitis (*c*) fortissimi viri de caelo tacta est. Ob id fulgur piaculis luendum haruspices ex Etruria acciti, inimico, atque hostili in Populum Romanum animo, instituerant eam rem contrariis religionibus procurare. Atque illam statuam suaserunt in inferiorem locum perperam transponi, quem sol oppositu circum undique aliarum aedium numquam illustraret. Quod cum ita fieri persuasissent, delati ad populum, proditique sunt; & cum de perfidia confessi essent, necati sunt; constititque eam statuam, perinde ut verae rationes post compertae monebant, in locum editum subducendam, atque ita in area Volcani sublimiori loco statuendam (*d*); eaque res bene, & prospere Reip. cessit. Tunc igitur, quod in Etruscos haruspices male consulentes animadversum, vindicatumque fuerat, versus hic scite factus, cantatusque esse a pueris Urbe tota fertur (*e*):

Malum consilium consultori pessimum est.

Ea historia de haruspicibus ac de versu isto senario scripta est in Annalibus Maximis libro XI., & in Verrii Flacci libro primo Rerum memoria dignarum.

V. *Ex Macrob. lib.2. c.16.*] Verrium Flaccum (*f*) iuris Pontificii peritissimum dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere ius non esset, ideo magis viduis, quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum.

VI. *Ex Plinio Histor. lib. 8. cap. 6.*] Roma elephantos vidit plurimos anno quingentesimo secundo, victoria L. Metelli Pontificis in Sicilia de Poenis captos. Centum quadraginta duo fuere transvecti ratibus (*g*), quas doliorum consertis ordinibus imposuerat (*h*). Verrius eos pugnasse in Circo, interfectosque iaculis tradit, penuria consilii; quoniam neque ali placuisset, neque donari Regibus.

VII. *Ex*

(*a*) Cuius nempe libri prima littera erat D, ubi Verrius egisse videtur de Diebus atris.

(*b*) Quod erat foro continens, atque adeo pars fori, ubi VV. Ill. statuae frequentes.

(*c*) *Qui* nempe *solus*, Porsenae Etruscorum Regis exercitu per Sublicium pontem transire conante, hostium impetum sustinuit, donec a tergo pons a sociis frangeretur; quo fracto armatus in Tiberim desiluit, & incolumis ad suos tranavit. Hinc caussa perfidiae Etruscorum haruspicum.

(*d*) *Volcanale* erat supra Comitium, quod testatur etiam Festus v. *Statua*.

(*e*) Gellius animadvertit videri hunc versum de Graeco illo Hesiodi versu expressum:

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

(*f*) Verrium nostrum iuris Pontificii peritissimum fuisse Fasti ab eo ordinati comprobant, nihilo tamen minus dubius haereo, an legendum sit potius *Fulvium Flaccum*. Hunc Varro non semel citat, & Flaminem Martialem appellat.

(*g*) Italice, *foderi*.

(*h*) Al. imposuerant.

VII. *Ex Plinio lib. 9. cap. 23.*] Tenuissimum muraenis tergus (*a*); contra, anguillis crassius, eoque verberari (*b*) solitos, tradit Verrius, praetextatos; & ob id multam his dici non institutam (*c*).

VIII. *Ex Servio Aen.* 11. *v.* 143.] Varro, & Verrius Flaccus dicunt: si filiusfamilias extra Urbem decessit, liberti, amicique obviam procedunt, & sub noctem in Urbem infertur cum cereis facibus praelucentibus, ad cuius exsequias nemo rogabatur.

IX. *Ex Servio Aen.* 8. *v.* 200.] Solus Verrius Flaccus (*d*) dicit: Garanum fuisse pastorem magnarum virium, qui Cacum adflixit, omnes autem magnarum virium, apud veteres, Hercules dictos.

X. *Ex Macrobio lib.* 1. *cap.* 10.] XII. Cal. Ianuar. Feriae sunt Divae Angeroniae, cui Pontifices in Sacello Volupiae sacrum faciunt, quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores, ac animorum sollicitudines propitiata depellat.

XI. *Ex Macrobio lib.* 1. *c.* 4., *& lib.* 2. *c.* 8.] Verrius Flaccus in eo libello, qui *Saturnus* inscribitur: Saturnaliorum, *inquit*, dies apud Graecos quoque festi habentur. *Et in eodem libro*: Dilucide me de constitutione Saturnaliorum scripsisse arbitror. Cur Saturnus ipse in compedibus visatur, Verrius Flaccus caussam se ignorare dicit.

XII. *Ex Macrobio lib.* 1. *cap.* 12.] Non negat Verrius Flaccus hoc die [*Kal. Apr.*] postea constitutum, ut Matronae Veneri sacrum facerent; cuius rei caussam, quia huic loco non convenit, praetereundum est.

XIII. *Ex Plinio lib.* 28. *cap.* 2.] Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari Deum, cuius in tutela id oppidum esset; promittique illi eumdem aut ampliorem apud Romanos cultum (*e*).

XIV. *Ex Plinio lib.* 33. *c.* 7.] Enumerat auctores Verrius, quibus credere sit necesse, Iovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantumque corpora; sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta coenae triumphalis, & a Censoribus in primis Iovem miniandum locari.

XV. *Ex Festo.*] Picus Rex pico ave utebatur, ut Verrius ait, ob augurium; a quo sic dictus.

XVI. *Ex Plinio lib.* 7. *cap.* 53.] Plurimas prodidit Verrius mortes repentinas.

XVII. *Ex Festo.*] Matronae a Magistratibus non summovebantur (*f*), ne pulsari, contrectarique viderentur, neve gravidae concuterentur; ob quam etiam caussam, ait Verrius, neque earum viros sedentes cum uxoribus de essequo (*g*), descendere coactos a Magistratibus, quod communi vehiculo vehitur vir, & uxor.

XVIII. *Ex Festo.*] Tatium occisum ait [Verrius] Lavinii ab amicis eorum Legatorum, quos interfecerant Tatiani latrones, sed sepultum in Aventino laureto (*h*).

XIX. *Ex Festo.*] Pictor Zeusis risu mortuus, dum ridet effuse pictam a se γραῖαν. Relatum est a Verrio *de significatu verborum*, & versiculos quoque addidit nullius praetexto nomine:

Nam quid modi facturus risu denique?
Nisi pictor fieri vult qui risu mortuu' sit.

XX. *Ex Plinio lib.* 33. *c.* 4.] Tunica aurea triumphasse Tarquinium Priscum Verrius tradit.

XXI. *Ex Plinio lib.* 18. *cap.* 7.] Populum Romanum farre tantum e frumento CCC. annis usum Verrius tradit.

XXII. *Ex Festo.*] Caussam eius [*loquitur Festus de Urbis nomine* Roma] appellationis invenisse ait Verrius vetitam esse publicari.

M VERBO-

(*a*) Corium dictum est tergus a tegendo. Varro de L. L. 4.

(*b*) Hinc scutica dicta est *anguilla*. Vid. Isidorum Orig. lib. 5. cap. 27.

(*c*) Erant enim verbera loco multae.

(*d*) Servio, ut hinc constat, ignoti fuerunt Annales L. Cassii Heminae, ubi eadem narrabatur historia, teste Auctore de origine Gentis Romanae; apud quem tamen Recananus nominatur, quem Garanum Servius ex Verrio nominat.

(*e*) Vid. Macrobium Saturn. lib. 3. cap. 11.

(*f*) Scilicet a Lictoribus, qui ante Magistratus per vias ambulantes apparebant, & populum a via decedere iubebant.

(*g*) Antique pro *essedo*.

(*h*) Livius 1. 14. *propinquos* Regis Tatii vocat, quos Verrius *latrones*.

VERBORUM QUORUMDAM LATINORUM

SIGNIFICATIONES ET ORTHOGRAPHIA

EX VERRIO FLACCO

Apud Festum, aliosque veteres Scriptores.

AMbo. Helenius Acron Verrium dicit errare, qui putat *hos ambo* dici debere (*a*). *Charisius Instit. Gramm. lib.* 1.

Audenter. Verrius Flaccus ab eo, quod est audens, *audenter* figurari putavit. *Charisius Inst. Gramm. lib.* 2.

Verrius, *Saevitiaque eorum abominaretur ab hominibus*, passive dixit. *Priscianus lib.* 8.

Alicam sine adspiratione dictam Verrius tradit, & sic multi dixerunt. *Charisius lib.* 1.

Inveniuntur quidam veterum etiam *haec alec* feminino genere protulisse; quod & Caper ostendit *de dubiis generibus*, Verrium Flaccum posuisse *alicem hanc* dicens. *Priscianus lib.* 6.

Amoena loca Varro (*b*) dicta ait, eo quod solum amorem praestent, & ad se amanda alliciant. Verrius Flaccus (*c*), quod sine munere sint, nec quidquam his officiat, quasi amunia, hoc est sine fructu, unde nullus fructus exsolvitur: inde etiam nihil praestantes, immunes vocantur. *Isid. Etym. lib.* 14 *cap.* 8.

Bellitudinem, sicut magnitudinem, Verrius dixit. *Festus*.

Verrius: *Blanditusque labor molli curabitur arte*. *Blanditus* passive (*d*). *Priscianus lib.* 8.

Camara dicuntur, ut Verrius Flaccus adfirmat, non *camera* per *e*. *Charisius lib.* 1.

Clunes Verrius Flaccus masculino genere dici probat, quoniam in *is* syllaba terminata omnia carentia nominativo singulari masculina sunt, ut panis, cinis, crinis, & similia. *Charisius ibid.*

Clunes feminino genere dixit Melissus, sed Verrius Flaccus masculino genere dici probat. *Incertus de Orthographia*.

Diligente. Verrius Flaccus, inquit Plinius, eorum nominum, quae *ns* finiuntur, casu nominativo, ablativus in *e* dirigendus est. *Charisius ibid.*

Festinat a fando dicitur: quoniam isti ignaviores (*e*), qui nihil perficere possunt, plus verborum, quam operae habent. *Gellius lib.* 16. *cap.* 14.

Fatigatus. Differt *fatigatus* a fesso, ut Verrius ait, quod fatigatus dicitur, cum quis per alium laborare compellitur, ut lassatus: fessus vero cum quis labore deficit, ut lassus. *Diomedes ibid.*

Gibber, ut Verrius ait, ipsum vitium dicitur, ut tuber: *gibberosus* habens gibberem, ut tuberosus; & sane Lucilius ita loquitur: *gibbere magno*. *Charisius Inst. Gramm. lib.* 1.

Historiam ab annalibus quidam differre eo putant, quod, cum utrumque sit rerum gestarum narratio; earum tamen proprie rerum sit historia, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narret; eamque esse opinionem quorumdam Verrius Flaccus refert in libro *de significatu verborum* quarto (*f*); ac se quidem dubitare super ea re dicit. Posse autem videri putat nonnihil esse rationis in ea opinione, quod historia graece significat rerum cognitionem praesentium. *Gellius lib.* 5. *cap.* 18.

Hoc pro *huc* crebro in antiquis lectionibus invenitur, sicut in epistolis probat Verrius Flaccus exemplis, auctoritate, ratione, dicens: *in adverbiis pro* u, o *plerumque*

(*a*) Recte tamen dici posse Graecorum more ne dubites.

(*b*) Al. *Varus*, mendose. Ex Festo vero coniicitur, quod legere oporteat *Verrius*.

(*c*) Ex Servio Aen. 6. v. 638., hic lege *Varro*.

(*d*) Vid. Barthium lib. 35. cap. 9.

(*e*) Lipsius Elect. lib. 2. cap. 3. legit *ignaviones*. Forte Verrius ita interpretatus fuerat hanc vocem in libris *de obscuris Catonis*; sed Gellius id nimis coactum, & absurdum censuit.

(*f*) Cum opus hoc Verrii in tot libros distinctum fuisse, quot sunt alphabeti litterae, Scriverius crediderit, sufficiendum hic censuit *octavo*, idest littera *H*. Forte nota numeralis VIII., quae ex parte evanuerit, occasionem dedit legendi IIII. quarto.

rumque maiores ponere consuetos. Servius lib. 8. *Aen. v.* 423.

Impetum, *industrium*, *indulgentem*, perinde composita, ait Verrius, atque impunis, & immunis. *Festus*.

Incoho Verrius Flaccus in postrema syllaba aspirandum probavit. *Diomedes lib.* 1.

Lactis nominativum alii volunt *lac*, alii *lact*, alii *lacte*, *e* postrema. *Lacte* sine vitio dicimus, nam & Cato sic dixit: *Et in Italia atras capras lacte album habere*. Sed & Valgius, & Verrius, & Trogus de animalibus, *lacte* dicunt. *Charisius ibid.*

Labra, *labia*. Verrius Flaccus sic distinxit: modica esse *labra*, *labia* autem immodica, & inde labiones dici, nam & Terentius, *labiis demissis gemens*: & Plautus, *labiis dum ductant eum*. *Charisius ibid.*

Verrius Flaccus [existimavit] ut ubicumque prima vox *m* littera finiretur, sequens a vocali inciperet, *m* non tota, sed pars illius prior tantum scriberetur, ut appareret exprimi non debere. *Charisius ibid.*

Manibias per duo *i* dicendum, quia sunt a *manibus*, ut putat Verrius, dictae. *Charisius ibid.*

Mamphula appellatur panis Syriaci (*a*) genus, quod, ut ait Verrius, in clibano ante quam percoquatur, decidit in carbones, cineremque; cuius meminit Lucilius:

Pistricem validam si nummi suppeditabunt,
Addas empleuron (*b*), *mamphulas quae sciat omnes* (*c*).

Manare solem tunc solitos esse antiquos dicere, ait Verrius, cum solis orientis radii splendorem iacere coepissent, atque ideo primum diei tempus *mane* dictum. *Festus*.

Mater, *Matuta*, manes, mane, matrimonium, materfamiliae, matertera, matrices, materiae, dictae videntur, ut ait Verrius, quia sint bona, qualia scilicet *sunt*, quae sunt matura, vel potius a matre, quae est originis Graecae (*d*). *Festus*.

Mendicum dici Verrius putat a mente eius, quem fefellerit fortuna, vel quod precetur quemque, ut vitae suae medeatur cibo. *Festus*.

Metaphoram quam Graeci vocant, nos translationem, idest domo mutuatum verbum, quo utimur, inquit Verrius, in oratione, saepius quidem honesti, ac significantis verbi defectu, seu ut speciosiore, atque eodem etiam significantiore, quam proprio, vocabulo, rem indicemus.... *Festus*.

Municas, & communicas dicit Verrius a muniis, id est operibus.... *Festus*.

Munus, ait Verrius, dicitur administratio Reip., item magistratus, aut praefecturae, imperii, provinciae, cum, multitudinis universae consensu, atque legitimis in unum convenientis populi comitiis, alicui mandatur per suffragia, ut capere eam possit iussu populi demandatam, certoque ex tempore, ex fide sua, & certum usque ad tempus, administrare. *Festus*.

Naeviam silvam vocitatam extra Urbem ad milliare quartum, quod Naevii cuiusdam ibi domus fuerit, a quo nemora Naevia appellata etiam fuisse, Verrius ait. Inde dicunt Proverbium natum esse (*e*) *a domo Naevia*, quod refertur a Verrio. *Festus*.

Naucum (*f*), ait Ateius Philologus, poni pro nugis. Quidam [esse dicunt] nucis iuglandis, quam Verrius iuglandam vocat, medium velut dissipimentum. *Festus*.

(*a*) Luxuria Romanorum in panificio eousque processit, ut panes pro exterarum gentium indole, ac sensu confectos haberent. Hinc mentio apud veteres Scriptores panis Picentini, Cumani, Lucani, Gallici, Alexandrini, Cilicis, Ardiniensis, Parthici, quae variae panis species, non modo illarum gentium in morem, sed etiam ex frumento Romam a variis regionibus advecto potissimum conficiebantur. Videsis praecipue Historiam Plinii. Dum haec scribo defossa est Romae vetus Inscriptio, in qua creditum mentionem fieri cuiusdam Pistoris Persiani, sed marmor habet PEPSIANI. Curae posteriores a cl. V. Caietano Migliore Neapolitano in eam Romae editae laudatissimae merito habentur.

(*b*) Bona, ac plena latera habentem.

(*c*) Nempe, *efficere*.

(*d*) Corruptae sunt Festi schedae, ni mavis, Festum Verrii sensus minus exacte exposuisse. Manes, & mane a *mano*, hoc est bono; reliquae vero voces a *matre* originem ducunt. Vid. Varr. de L. L. 5.

(*e*) Opprobrii loco obiiciebatur esse *a domo Naevia*, quod in ea silva perditi, ac nequam homines morari solerent.

(*f*) Al. *nauci*.

Necem ſuſpicatur Verrius a Graeco duci, nam illi νέκυν mortuum dicunt. *Feſtus*.

Nivem Verrius interpretatur novum ex Graeco, quod νέον dicunt. *Feſtus*.

Nomenclator ſine *u* dicitur, ut Verrius ait, velut *nominis calator*. *Chariſius ib.*

Occare, & occatorem, Verrius putat dictum ab occaedendo, quod caedat grandis globos terrae. *Feſtus*.

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem (*a*), id eſt, qui ſe vidiſſe dicat. Ductam ait Verrius hanc formam ab oculi appellatione. *Feſtus*.

Orchum quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictum Uragum (*b*); quod & *V* litterae ſonum pro *O* efferebant, & per *C* litterae formam, nihilominus *G* uſurpabant; ſed nihil adfert exemplorum, ut ita eſſe credamus, niſi quod is Deus nos maxime urgeat. *Feſtus*.

Oſcos quos dicimus, ait Verrius, Opſcos antea dictos, teſte Ennio, cum dicat: *De muris res gerit Opſcus*. Adiicit etiam, quod ſtupra inconceſſae libidinis, obſcaena dicantur, ab eius gentis conſuetudine inducta. *Feſtus*.

Caeſar de Analogia ſecundo *panium* dixit, ſed Verrius *panum* ſine *i*. *Chariſius ib.*

Pedum eſt quidem baculum incurvum, quo paſtores utuntur ad comprehendendas oves, aut capras a pedibus; ſed in eo verſu, qui eſt in Iphigenia Ennii: *Procede: gradum proferre pedum nitere. Ceſſas?* idipſum baculum ſignificari cum ait Verrius, mirari ſatis non poſſum (*c*). *Feſtus*.

Percontatio pro interrogatione dicta videtur ex nautico uſu, quia conto pertentant, cognoſcuntque aquae altitudinem. Ob quam cauſſam, ait Verrius, etiam ſecundam ſyllabam per *o* ſolere ſcribi. *Feſtus*.

Piari eos, veluti proprio verbo, ait Verrius, qui parum ſint animati, cum mentis ſuae non ſint, & per quaedam verba liberantur incommodo. *Feſtus*.

Polimenta, ait Verrius, antiqui dicebant teſticulos porcorum, cum eos caſtrabant, a politione ſegetum, aut veſtimentorum, quod ſimiliter, atque illa, curentur. *Feſtus*.

Polenta dici debet per *o*; cuius rei Verrius Flaccus rationem reddit, quod uſui omnium poliatur. *Chariſius ib.*

Verrius libro de ſignificatione verborum arbitrabatur ob eam cauſſam *porrici* exta aris & foculo, quia profana ea quoque, ideſt Deo dicta, conſumere eſt neceſſe. *Feſtus*.

Praerogativas centurias .... Verrius probabilius iudicat eſſe, ut cum eſſet quid deſignatum a praerogativis, in ſermonem res veniret Populi de dignis, indignisve, & fierent ceteri diligentiores ad ſuffragia de his ferenda (*d*). *Feſtus*.

De voce profanus *egiſſe Verrium conſtat ex Feſto, cuius ſchedae adeo tamen incompoſitae, & corruptae ſunt, ut difficile ſit certo noſſe quid Verrius cenſuerit*.

Promellere Verrius ait ſignificare litem promovere. *Feſtus*.

Punici dicuntur, non Poenici, quamvis, ut ait Verrius, a Phoenicibus oriantur. *Feſtus*.

Prodicere diem eſt praedicere, prodictio namque praedictio eſt, quae, ut ait Verrius, in praeſens valet. *Feſtus*.

Praebia (*e*) rurſus (*f*) Verrius vocari ait ea remedia, quae Caia Caecilia uxor Tarquinii Priſci inveniſſe exiſtimatur, & immiſcuiſſe zonae ſuae, qua praecincta ſtatua eius eſt in aede Sancti, qui Deus Fidius vocatur; ex qua zona periclitantes ramenta ſumunt. Ea vocari, ait, *praebia*, quod mala prohibeant. *Feſtus*.

Quatere, ſuſpenſum & vicinum rei alicuius motum ſignificat, non ut Verrius putat, ferire. *Feſtus*.

Cum *quid hoc eſt hominis?* quaeritur, inquit Varro, de alicuius quaero hominis quali-

(*a*) Plautus Trucul. 2. 6. 8.
(*b*) F. *Urgum*.
(*c*) Fortaſſe Verrius legebat:

Procede: gradum profer: pedo nitere.

(*d*) Praerogativa Centuria, ſeu abſolute praerogativa, dicebatur Tribus, aut Centuria, quae per ſortitionem prima rogabatur ad ſuffragium ferendum; & poſt ab ea latum ſuffragium, aliquod ſpatium temporis intercedebat antequam ceterae Centuriae iure vocatae admitterentur.

(*e*) Schedae Feſti mendoſe: *praedia*. Legendum *praebia*, ſeu *proebia*. Erant autem *amuleta*; & forte hinc vox Italica *Brevi*. Varro de L. L. 6. *Proebia a prohibendo uſitatum, quod ſint remedia in collo puereis*.

(*f*) Quia nimirum Feſtus iam ſupra vocem *praebia* interpretatus erat curandi alicuius mali *remedia, quae curationis cauſſa praebeantur*.

qualitate, qui *necesse sit*; hic masculine dicendus est, ut Verrius ait, quoniam neutra in *I*, & in *VS* non exeunt. *Charisius ibid.*

Quintanam classem ait Verrius dictam, quod in ea Servius Tullius Rex distributa capitecensorum multitudine quinque fecit, cum eas ordinavit. Hanc autem afferri caussam de capitecensorum nomine, quod ii, quo censerentur, nihil praeter se haberent, suumque caput. *Festus*.

Quirites dicti Sabini a Curi Dea, cui aqua & vino sacra facere soliti erant; quos tamen quidam a Curiis dictos volunt, in quibus ab his ei sacra fiunt, cui opinioni Verrius adversatur. *Festus*.

Quoniam significat non solum id quod *quia*, ut ait Verrius, apud antiquos, sed etiam id quod *postquam*, hac scilicet de caussa quod Graecum ἐπεὶ utriusque significationem obtinet. *Festus*.

Refert cum dicimus, errare nos ait Verrius; esse enim rectum Rei fert, dativo scilicet, non ablativo casu, sed esse iam usu possessum. *Festus*.

Regifugium dies notatur in Fastis VI. Cal. Martias, & ait Verrius dictum, quia eo die Rex Tarquinius Roma fugerit. *Festus*.

Repagula sunt, ut Verrius ait, quae patefaciundi gratia ita figuntur, ut ex contrario quoque oppangantur (*a*). *Festus*.

Repastinari ager is dicitur, ut Verrius existimat, cuius natura mutatur fodiendo, ut cum aut silvester excodicatur, aut lapis mollitur frangendo, ut fiat pascuus (*b*) vel pecoribus herba, vel hominibus satione. *Festus*.

Repudium Verrius ait dictum, quod fit ob rem pudendam. *Festus*.

Reserari Verrius ait dici ab eo, quod mota sera a ianuae cardine patefiant fores; inde quae patefacta, & reclusa sunt reserata dici, serae namque dicuntur fustes, qui opponuntur clausis foribus. *Festus*.

Rhegium appellare oportere, ait Verrius, id municipium, quod in freto e regione Siciliae est, quoniam id dictum est a rumpendo, quod est graece ῥαγῆναι; eo quidem magis, quia in Gallia Cisalpina, ubi forum Lepidi fuerat, Regium (*c*) vocatur. *Festus*.

Rica est vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum, quo Flaminicae pro palliolo, mitrave utebantur, ut Verrius existimat. *Festus*.

Ructare, non ructari dicendum, ait Verrius. *Festus*.

Rasores fidicines antiqui appellabant, qui, ut ait Verrius, ita appellati videntur, quia radere ictu chordas videantur artificio quodam. *Festus*.

Ravam vocem significat, ait Verrius, raucam, & parum liquidam, proxime canum latratum sonantem, unde etiam caussidicus pugnaciter loquens *rabula* appellabatur. *Festus*.

Raucos appellatos esse, ait Verrius, videri ab ariditate, sive a similitudine quadam spicarum aristae; in spicis namque flava frumenta rava appellari idem Verrius [ait]. *Festus*.

Renanciscitur (*d*), Verrius quidem significare ait reprehendere. *Festus*.

In libro secundo Verrii Flacci *de obscuris Catonis* scriptum inventum est, *recepticium servum* dici (*e*) nequam & nulli pretii, qui cum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium, receptusque sit. Propterea, inquit, servus eiusmodi sectari (*f*) maritum, & flagitare pecuniam iubebatur (*g*), ut eo ipso dolor maior, & contumelia gravior viro fieret, quod eum servus nihili petendae pecuniae caussa compellaret (*h*). *Gellius lib. 17. cap. 6.*

Ruscum est, ut ait Verrius, amplius paullo herba, & exilius virgultis, fruticibusque, non dissimile iunco; cuius coloris rebus uti mulieres solitas commemorat Cato *Originum libro septimo*. *Festus*.

Sacramviam appellari non debere, ait Verrius, sed disiuncte (*i*), ut ceteras vias

(*a*) Lego *oppandantur*.
(*b*) Ed. *pascui*.
(*c*) Nempe a latina voce *Rege*.
(*d*) Al. *renancitur*.
(*e*) Nempe a Catone.
(*f*) Nempe apud Iudicem.
(*g*) Nempe ab uxore, quae dote allata, reliquam pecuniam reservaverat, & marito mutuam dederat.

(*h*) Gellius hanc Verrii doctrinam reiicit, & docet *servum recepticium* fuisse dictum a Catone proprium servum uxoris ab ea emptum cum pecunia, quam recepit (sic enim Cato loquebatur) hoc est sibi retinuit, praeter datam doti; neque enim mulieri fas erat servo mariti imperare.
(*i*) Ita Horatius: *Ibam forte via sacra*. Et alibi: *Sacram metiente te viam*.

vias Flaminiam, Appiam, Latinam, ut ne Novamviam quidem, sed viam novam. *Festus*.

Sacrem porcum dici ait Verrius, ubi iam a partu habetur purus (*a*), a qua re appellatum esse *sacrem* dicit. *Festus*.

Sal neutro genere Verrio placuit. *Charisius*.

Salinum in mensa pro aquali solitum esse poni ait (*b*) cum patella, quia nihil aliud sit sal, quam aqua. *Festus*.

Sarcte, pro integre. Porphyrio ex Verrio, & Festo: *In Auguralibus*, inquit, *libris ita est*: SANE SARCTEQVE. *Charisius lib.* 2.

Sas Verrius putat significare *eas*, teste Ennio, qui dicat in libro primo:

Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas. *Festus*.

De verbis satis, *&* scabro *Verrium absurdas recitasse opiniones asserit Festus, sed neque illas indicat, neque suam*.

Scraptae dicebantur nugatoriae, ac despiciendae mulieres, ut ait Verrius, ab iis, quae screa iidem appellabant, idest quae quis exscreare solet, quatenus id faciendo se purget. Titinius in Prilla:

Rectius, mecastor, Pituletae postumae
Lectum hodie stratum vidi scraptae mulieris. *Festus*.

Scurrae vocabulum Verrius aut ex Graeco tractum ait, quod est συγκυρεῖν, aut a sequendo, cui magis adsentitur (*c*). *Festus*.

Senatus dicitur & pro loco, & pro hominibus: *Civitas* & pro loco, & oppido, & pro iure quoque omnium, & pro hominum multitudine. *Tribus* quoque, & *Decuria* (*d*) dicitur & pro loco, & pro iure, & pro hominibus. *Concio* tria significat, locum, verba, suggestumque, unde verba fierent; item coetum populi assistentis, item orationem ipsam, quae ad populum diceretur. *Gellius lib* 18. *c*.7. *ex libro, quem Verrii Flacci esse opinatus est*.

Senonas Gallos, Verrius ait existimare appellari, quia novi venerint ex transalpina regione, ac primum appellatos ξένους, postea Senonas. *Festus*.

Serilla Verrius appellari putat navigia Istrica, ac Liburnica, quae lino, ac sparto condensantur, a conserendo, & contexendo dicta, quia dicat Pacuvius in Niptris:

Nec ulla subscus cohibet compagem alvei,
Sed suta lino & sparteis serillibus;

cum περιφραστικῶς, & ficto vocabulo usus sit pro funiculis, qui sparto conseruntur. *Festus*.

Sertorem quidam putant dictum a prehendendo, quia cum cuipiam afferat manum educendi eius gratia ex servitute in libertatem, vocetur adsertor, cum verisimilius sit dictum, quia sereret quid, ac potius adsertorem a serendo cepisse nomen, cum aliquem serat petendo in libertatem eamdem, qua ipse sit, id est iungat; quia fruges cum seruntur, terrae iungit, quod totum Verrius ἀπιθάνως introducit. *Paullus ex Festo*.

Verrius existimat, *Silicernium* dici, quod nos farcimen dicimus, quo fletu familia purgabatur. *Festus*.

Siparium, quo in scenis mimi utuntur, dictum ait Verrius a velamento, quod vocatur alias aulaeum. *Festus*.

Solea, ut ait Verrius, est non solum ea, quae solo pedis subiicitur, sed etiam materia robustea, super quam paries craticius exstruitur. *Festus*.

Solida sella, ait Verrius, sedere tum quis iubetur, cum mane surgens auspicandi gratia evigilavit: quod antiqui expressas, nihilque ab interiore parte excavatas, aut laxatas faciebant sedes; quas sedes solidas, ideo quod in his nihil erat concavum, maxime appellabant, inquit Verrius, quod scilicet essent totae, absurde, ut mihi videtur, cum omne id, quod sit totum, ait dictum solidum. *Festus*.

Solia appellantur sedilia, in quibus non plures singulis possint sedere, ideoque soliar sternere dicuntur, qui solisternium habent, & soliaria vocantur Babylonica, quibus eadem sternuntur, quae, ut ait Verrius, omnia ducta sunt a solo. Alvei quoque lavandi gratia instituti, quo singuli descen-

(*a*) Nempe *ad sacrificium*. Legesis Varronem de R. R. lib. 2. cap. 1. & 4.
(*b*) An supplendum sit *Verrius*, sive *Cincius* dubitari potest, nam paullo superius Cincium Festus citat.
(*c*) Vid. Barthium pag. 403. & 1285.
(*d*) Videtur legendum *Curia*.

descendunt, solia dicuntur, quae a sedendo potius dicta videntur, quam a solo. *Festus*.

Spondere Verrius putat dictum, quod sponte sua, idest voluntate, promittatur. Deinde oblitus inferiore capite sponsum, & sponsam ex Graeco dictam ait, quod ii σπονδὰς, interpositis rebus divinis, faciant. *Festus*.

Squalidum, incultum & sordidum, ait Verrius, significare, sic dictum quod proxime ad similitudinem squamae piscium accedit, utique eorum, qui in profunditatibus abditi paludum squalent maxime. *Festus*.

Stellionem, genus lacertae Verrius dictum ait, quia virus stillet cibo. *Festus*.

Stipatores ait Verrius dictos a stipe, quam mercedis nomine accipiant custodes cuiusque corporis. *Festus*.

Strigas, ut ait Verrius, Graeci συρνία appellant, quod maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant. *Festus*.

Suburam, Verrius alio libro a pago Succusano dictam ait, hoc vero maxime probat eorum auctoritatem, qui aiunt ita appellatam & regionem Urbis, & tribum a stativo praesidio, quod solitum sit succurrere Exquiliis, infestantibus eam partem urbis Gabinis, indicioque esse quod adhuc ea tribus per *c* litteram, non *b* scribatur. *Festus*.

Suburanam tribum antea *Succusanam* per *c* appellabant ex nomine regionis, nam partem imam illam quoque tradunt fuisse Succusanam dictam. Verrius autem ait se miratum esse, cur non a nomine pagi Succusani, in quo milites exercerentur. *Festus*.

Supervacaneum, ut videtur, secludit Verrius ab vacuo, quod vacuum quidem dicatur id tantummodo, quod sufficiat satisque sit familiae: quod autem supersit supervacaneum id dicitur. *Festus*.

Taenias, Graecam vocem, sic interpretatur Verrius, ut dicat ornamentum esse laneum capitis honorati. At sic (*a*) apud Caecilium in Androgyno: *Sepulcrum plenum taeniarum, ita ut solet*. Et alias: *Dum taeniam, qui vulnus vinciret, petit*. Ennius in Alexandro: *Volans de caelo cum corona, & taeniis*. Attius in Neoptolemo: *Deos* (*b*) *ornare est satius, quam urbem taeniis*. *Festus*.

Talionis mentionem fieri in XII. (*c*) ait Verrius hoc modo, SI MEMBRUM RAPSERIT (*d*), NI CUM EO PACIT, TALIO ESTO, neque id, quid significet indicat: puto quia notum est. Permittit enim lex parem vindictam. *Festus*.

Taminia, uva silvestris generis: videtur Verrio dicta, quae tam mira sit, quam minium. *Festus*.

Tarquinias scalas, quas Rex Tarquinius Superbus fecerit, abominandi eius nominis gratia ita appellatas esse, ait, vulgo existimari, Verrius. *Festus*.

Tartarino cum dixit Ennius, horrendo, & terribili Verrius vult accipi, a Tartaro, qui locus apud inferos. *Festus*.

Tauras, vaccas steriles appellabant, ait Verrius, quae non magis pariant, quam tauri. *Festus*.

Tentipellium. Titinium, ait Verrius, existimare id medicamentum esse, quo rugae extenduntur; cum dicat:

. . . . *Tentipellium*
Inducis, rugae in ore extenduntur tuae.

Festus.

Terentum, in Campo Martio locum, Verrius ait ab eo dicendum (*e*) fuisse, quod terra ibi per ludos Saeculares Ditis patris ita leviter teratur ab equis quadrigariis, ut eorum levis mobilitas aequiparet motus rapidos velocis lunae. *Festus*.

Tesca Verrius ait loca augurio designata, quo termino finis in terra Auguri. *Festus*.

Tonsillam esse Verrius palum dolatum in acumen, & cuspide praeferratum ait; existimatque (*f*) configi in littore navis religandae caussa. Pacuvius in Medio: *Accessi ad eam, & tonsillam pegi lato in littore*. Accius in Phinidis: *Tacete, & tonsillas littore in laeto* (*g*) *edite*. *Festus*.

Tumul-

(*a*) Haec a Festo addita puto ad reprehensionem Verrii. In ed. mendose: *ut sit*.

(*b*) In ed. *Decorare*. Correxit *Deos ornare* Fruterius *Verisimilium* lib. 2. cap. 5., & puto verissime.

(*c*) Hoc est, *Tabulis*.

(*d*) Lege: *rupsit*, seu *rupit* ex Gellio lib. 20. cap. 1.

(*e*) F. *dictum*.

(*f*) In ed. *ut existimat, quem*.

(*g*) Aut si mavis: *laevo*, aut *lato*.

Tumultuarii milites dicuntur lecti ob subitum timorem; unde etiam tumultum dici ait Verrius, quia non aliunde is oriatur, quam ab Italicis, & Gallicis hominibus, qui imminent Italiae. Itaque nullum tumultum praeterquam Gallicum, aut domesticum nominabant (*i*). *Festus*.

Turrhenos, Etruscos appellari solitos, ait Verrius, a Turrheno Duce Lydorum, a cuius gentis praecipua crudelitate etiam tyrannos dictos. *Festus*.

Vacerram Verrius, & alii complures vocari dicunt stipitem, ad quem equos solebant religare. *Festus*.

Vineae, ut Verrius praecipit, quod vini feraces sint. *Festus*.

Verrio Flacco videtur eamdem esse apud nos *V* litteram, quae apud Graecos *Υ*, namque his exemplis argumentatur: quod illi dicunt κύμινον, nos *cuminum*, quam illi κυπάρισσον, nos *cupressum*, illi κυβερνήτην, nos *gubernatorem*, necnon ex eiusmodi Theseus, Menoeceus, Peleus, & similibus adfirmat. *Velius Longus de Orthographia*.

X, & Z Verrio Flacco placet mutas esse; quoniam a mutis incipiant, una a *C*, altera a *P*. Quod si aliquos movet, quod in semivocalem desinant: *Sciant*, inquit, *Z litteram sic scribi ab iis, qui putant illam ex* C, *&* D *constare, ut sine dubio muta finiatur*. *Velius Longus ibid.*

(*a*) Maiores nempe Romanorum. Vid. Ciceronem Philip. 8.



FASTI



Vin. Brenna inv. e delin. *Joan. Mª Cassini Som.co fc.*

MONITUM.

COMPLURES, variaeque diversis in locis, diversisque temporibus ex veterum aedificiorum ruderibus effossae sunt marmoreae tabulae Fastis sacris Populi Romani inscriptae, singulae profecto diffractae, & intercisae; sed quae in unum veluti corpus compositae integrum, atque perfectum Calendarium Romanum conficere possunt. En itaque illud duodecim in tabulis per totidem anni menses distributum. Marmorum inter se apte conlatorum series haec est.

I. Tabula marmorea superne fracta, prae ceteris tamen minus manca, Romae reperta, quae facta est celebris postquam litteratis hominibus patere coepit in aedibus Maffaeiorum ad Agrippinam, & idcirco Calendarium ex ea expressum *Maffaeiorum* appellavi, quo nomine primitus fuit typis editum. Georgius Fabricius in suis *Antiquitatum* libris hisce notis illud distinguit (*a*): *Calendarium Romanum editum initio a Carolo Sigonio, renovatum a Raphaele Cyllenio, expositum a Paullo Manutio.* Arias Montanus anno MDLXXIII. contemplatus est hanc tabulam *in Capitolii recens restituti muro affixam*, ut ipse scribit in epistola, quam praemisit eiusdem editioni, quae prodiit, eo curante, typis Plantinianis Antuerpiae an. MDLXXIV. cum quibusdam Petri Ciacconii Toletani, quem Arias Thsaconium nominat, brevibus notis vix variantibus a notulis Manutianis. Verum Franciscus Blanchinius certiores nos facit, repertam esse hanc tabulam anno MDCCIV. mense Iunio in palatio Farnesiano ad campum Florae, tutissimo in loco repositam una cum aliis antiquis inscriptionibus; & eius mensuram adiicit notans eam latam pedes 3. altam d. $\frac{1}{2}$. An, & ubi etiamnunc supersit nosse curavi, sed frustra. In Cod. ms. Vat 6034. nitidissimum huius Tabulae visitur schema, cum hac nota: *Exscripsi ex Pyrrhi Ligori Neapolitani pictoris exemplo, quod ipse sumpserat diligentissime; & ex ipso loco contuli cum scriptura Benedicti Aegii, qui ex ipso quoque saxo. Ego deinde ex ipso saxo. Est autem Calendarium urbanum repertum 1547. Fasti sunt. Est quidem pulcherrima haec tabula marmorea, & subtilis, in hortis Iacobi Benzonae Civis Romani, via, qua itur in S. Marci, & Capitolium, sed amisso titulo: lacera quidem parte superiore, ut nos expressimus: longa* P. II. S, *lata vero* P. III. *dig.* I. *gr.* II., *& est eo loci affixa parieti: spissa plus minus digitum semis. Frustula tituli amissa, non contuli; ea exscripsit Pyrrhus ipse ex ipsis frustis, quae fuerant penes quemdam Hieronymum. Sunt autem illa Aprilis, & Maii; Augusti, & Septembris; Novembris, & Decembris, quae nos apparere non posse pictura indicavimus. Alia frusta ipsi tabulae assuta, nullo tamen ordine, sunt. Haec omnia, & ipsas etiam lacunas, quae aliquot locis erant, ut potuimus, & imitati*

(*a*) In libro, cui titulus: *De Calendario, & Cyclo Caesaris, & de Paschali Canone S. Hippolyti Martyris Dissertationes duae.* Dissert. I. cap. 2.

ſumus, & reſtituimus. Quod tabula pertenuis eſt, & candidiſſimi marmoris, ſupra, multis locis, corrupta eſt, & media parte, & infra rupta; fragmenta tamen coniuncta, aptataque loco ſuo ſunt. Maioribus litteris quae ſcripta ſunt, antiquiora videntur; minores enim characteres maioribus ineptiores multo. Sed ex utraque ſcriptura, quantum ipſae litterarum formae indicant, cognoſci poteſt vel ipſa Antonini aetate, vel paullo poſt, nec multo, hoc marmor fuiſſe ſcriptum. Ego vero deprehendi ſaxis, & aere minutiores characteres magnis multo inconditiores fere exprimi, quod nulla in his proportionis ratio haberi conſuevit. Hanc tabulam nunc habet Hieronymus Maffaeus Romanus, Epiſcopus, a ſecretis Cardinalis Farneſi. Itaque hinc primi innoteſcunt adeo inſignis marmoris poſſeſſores. Quiſquis tamen eius notae auctor fuerit, de aetate marmoris minus recte ſenſit. Nullus eſt dubitandi locus fuiſſe in hoc marmore inſcriptos Faſtos ſaltem ſub Tiberio, cum nulla in eis mentio fiat honorum, qui delati ſunt ex S. C. poſterioribus Principibus. Quinetiam ſi quis malit vetuſtius eſſe, & poſterius inſculpta fuiſſe, quae in eo occurrunt de Auguſto & Tiberio minutioribus litteris inſcripta, non abnuam.

II. Fragmenta marmorearum tabularum, quibus inciſi fuerunt, & publice expoſiti Praeneſte Faſti a Verrio Flacco Grammatico ordinati. Sunt autem reliquiae quatuor ſolum tabularum ex duodecim, quarum ſingulis menſis unus deſcriptus habebatur: praetereaque exhibent ſolummodo aliquam partem dierum menſium Ianuarii, Martii, Aprilis, & Decembris. De his iam plura in Praefatione.

III. Fragmentum marmoreum dies Faſtos duorum menſium, Auguſti nimirum, & Septembris exhibens, & maiori ex parte mancos. Iacobus Mazochius, qui illud cum aliis Calendariis, & Opuſculis excudit primus Romae an. MDIX., adnotat, quod viſebatur *in domo D. Laelii de la Valle*; deinceps tamen iterum iterumque editum eſt ſub nomine *Capranicorum*. Nunc exſtat, dimidiatum tamen inferius, apud eruditiſſimum virum Caietanum Marinium unum ex duobus Pontificiorum Archivorum Cuſtodibus, cui Roma debet ſibi illud reſtitutum eſſe; neſcio enim quo fato Mutinae exſulabat.

IV. Fragmenta marmorea e ruderibus veteris Amiterni in Sabinis eruta, quae nunc Aquilae in Aprutio adſervantur apud nobilem gentem Alferiam Ariſchiae & oppidi S. Victorini Dominam, praeter eorum fruſtum caſu repertum an. MDCCIII. ad portam ipſius urbis Aquilae orientalem, quod in Aedibus publicis conlocatum eſt. Haec fragmenta ſtatim ac in apricum prodierunt muro Eccleſiae oppidi S. Victorini, quod in colle ſitum V. circiter mille paſſibus ab Aquila diſtat, affixa ſunt; ſed an. MDLXXV. Laurentius Alferius oppidi Toparcha Aquilam transferri curavit; qua occaſione factum puto, ut fruſtum, cuius memini, diſperderetur. Quinetiam alia quoque fruſta tunc periiſſe exemplum eorum, antequam transferrentur deſcriptum, comprobat, quod mihi conſulendum tradidit cl. v. Vitus Iuvenatius. Atque utinam hoc ſaltem repertum eſſet non dilaceratum & mancum! Verum huius etiam pars quaedam ſolum ſupereſt, duos menſes continens, ex qua plures dies in meis tabulis ſupplevi, qui in marmore nunc deſunt. Eos animadvertes, ſi tabulas cum ſpecimine marmoris conferas, quod hic exhibeo;

& quod,


Specimen Kalendarii Amiternini
Pedes Parisienses

& quod, conlatis consiliis, & studiis, eruditissimi viri Antonius Antinorius Archiepiscopus Acheruntinus, & Venantius Lupacchinius Medicus Aquilanus, duo reip. Litterariae lumina heu nimis cito iam extincta! & laudatus Vitus Iuvenatius nunc Romae Bibliothecae Principum Altierorum Praefectus exactissime delineari curarunt. Volitat per manus eruditorum de hoc Calendario Amiternino libellus Neapoli typis Ludovici Cavalli an. MDCLXXX. a Domno Purpurino a Faventia Ordinis Caelestinorum Monacho editus, & Francisco S. R. E. Cardinali Barberino dedicatus, cui titulus: *Ad Calendarium Romanum Amiterni effossum minuscula commentaria*: recuditque eum in suis ad Romanas, Graecasque, Graevii, ac Gronovii antiquitates supplementis Tom III. Albertus Henricus de Sallengre. Verum Purpurinus non semel minus exacte textum Fastorum refert, in quo etiam magis peccat Ludovicus Antonius Muratorius, qui eum iterum edere censuit in novo antiquarum Inscriptionum Thesauro Tab. C. pag. CCCV. Marangonius (*a*) ex Massonii Dialogo *de origine urbis Aquilanae* has exhibet reliquias cuiusdam inscriptionis Amiterninae, in qua eorum Magistratuum nomina, qui huius Calendarii, sub Tiberio certe ordinati, dedicationem curaverant, inscripta fuisse videntur:

. . . . ED. POSVI
. . . . . . Q. FVFIVS . Q. F. VOL
T. F. CLV. L. VOLVSIVS . L. F. QVI . FAD
. . . . NDO . IN . PRAEFECTVRA . . .
. . . .
. . . . T . AEDIFICIORVM . AMITER
. . . . IBVS . . . QVE . . . MENSIBVS
. . . . . . QVEI . . . .

V. Tabula marmorea an. MDCCXIII. inter veteris Antii rudera, atque adeo Theatri, quod in Antio olim fuit, & cuius schema Franciscus Blanchinius delineatum edidit (*b*), effossa, quae posteriores sex anni menses complectitur, quorum tamen singulis deest decas dierum postrema. Nunc affixa conspicitur in Museo Capitolino, & eius in aere specimen exhibent laudatus Blanchinius (*c*), & Iosephus Roccus Vulpius (*d*), quorum uterque notis etiam pluribus illustrarunt, sed primus egregio viro dignis, alter minimi sane pretii. Recudit eam Muratorius quoque in suo Inscriptionum Thesauro, & novissime suis cum notis cl. v. Eugenius Guascus Tom. II. *Antiquarum Inscriptionum Musei Capitolini*. Ex iis, quae praesefert superior tabulae pars, certo constat fuisse eam incisam cura Collegii Libertorum, Vernarumque domus Augustae in Antiatino secessu degentium; ibi enim nomina, & munia electorum ex eis quotannis, ut Magistri essent, seu Promagistri Collegii ad curam, & impensam ludorum, intersita leguntur inter plura Consulum paria, quibus plures sibi subsequentes anni designantur. Quoniam vero ultimo in loco notatur Consulatus Ti. Claudii Augusti, & Ser. Corne-

(*a*) In notis ad *Acta S. Victorini Ep. Amiternini, & Mart.* pag. 58.

(*b*) In libro inscripto: *Iscrizioni sepolcrali de' Liberti, Servi, ed Uffiziali della casa di Augusto &c.* fig. VII.

(*c*) In Prolegomenis ad Tom. II. Anastasii Bibliothecarii *de vitis Romanorum Pontificum* pag. CCXXII. nec non in altero praelaudato eius libro fig. VI.

(*d*) In Opere, cui titulus: *Vetus Latium profanum &c.* To. III., nec non in libello singulari inscripto *Tabula Antiatina* Romae 1726.

Cornelii Orphiti; eo anno hanc tabulam dedicatam fuisse puto, quo iam Imp. Claudius Agrippinam, ut aiunt, minorem desponsaverat; & hinc intelligitur qua de re huius Augustae natalis in hoc Calendario Antiatino indictus reperiatur VIII. Id. Novembr.

VI. Fragmenta duo marmorea, quae dies aliquot duorum mensium Maii, & Iunii inscriptos habebant, & olim exstabant in *S. Martino in Montibus*, teste Mazochio, qui primus edidit an. MDIX. Qua de re corrigas oportet Gruterum, aliosque Scriptores, qui notant haec fragmenta exstasse ad S. Martinae in Exquiliis, ubi sita profecto est aedes S. Martini, & nulla umquam aedes exstitit S. Martinae, quae aedem de suo nomine dictam semper habuit in radicibus Capitolii ad carcerem Mamertinum. Haec fragmenta in subiectis tabulis sub nomine *Calendarii Exquilini* recensui.

VII. Fragmentum marmoris affabre incisum, in quo decem solum dies notantur Februarii, & Martii, & quod una cum aliis quibusdam inscriptis lapidibus, a palatio Farnesiano ad campum Florae in palatium Farnesianum Transtyberinum nuper translatis, adservatur. Nemo usque modo, quod noverim, eius meminit.

VIII. Fragmentum marmoreum longum uncias XX. latum uncias VI. effossum Romae ad montem Pincium, seu mavis sub Colle hortulorum. Fastorum sacrorum, & civilium partem complectitur quatuor mensium Iulii, Augusti, Septembris, & Octobris, cuius tamen nihil aliud superest praeter litteras, ut aiunt, nundinales, & quae diei rationem indicant. Ex Smetio, & Pighio Gruterus in suo Inscriptionum Thesauro, & alii ex Grutero proferunt, sed, ut videtur, non bene descriptum fuit.

IX. Marmor in agro Venusino repertum, quod Mazochius edidit notans exstare *apud Ill. Ducem Calabriae*. Continet menses duos Maium, & Iunium. Muratorius in suo Inscript. Thesauro huius Calendarii Romani bimestre iterum edidit ex schedis Ambrosianis.

X. Frustum marmoris, quod dum haec scribebam, cl. v. D. Henricus Sanclementius Monasterii SS. Andreae, & Gregorii in monte Caelio Abbas Romae casu deprehendit apud lapicidam inter lapides ad secandum paratos, & opportune ab interitu vindicavit. Neque enim solum incisas in eo notas statim descripsit, & mihi humanissime exhibuit, sed etiam apud eruditum virum Antiquitatum Romanarum Praefectum Iohan. Baptistam Viscontium strenue egit, ut redimeretur, & in novo Vaticano Museo affigeretur. Unde autem in officinam suam olim translatum fuisset ignorare se lapicida constanter asseruit. Continet hoc marmor aliquot solum Martii, & Aprilis dies.

XI. Marmorei Calendarii fragmentum e ruinis Monasterii SS. Salvatoris apud Allifas in Samnio erutum an. MDCCL. Primo a Iosepho Antoninio (*a*) publicatum est, deinde vero a Ioh. Francisco Trutta (*b*), qui illud Neapolim translatum in viridario gentis suae sito in vico, quem vocant *Capodichino*, muro affigi, ut facile eruditis praesto esset, curavit. Eius specimen aere incisum hi Scriptores exhibent, sed aliud quoque diligentissime delineatum mihi

(*a*) Ad calcem epistolae Matthaei Aegyptii ad Langletium ex Gallica lingua in Italicam versae, & Neapoli editae an. 1750.

(*b*) *Dissertazioni Istoriche delle antichità Alifane* Differt. IV.

mihi communicavit Illmus, ac Rmus nunc S. Ecclesiae Panormitanae Archiepiscopus, & tunc Episcopus Allifanus D. Franciscus Sanseverinius, quem L. M. nomino tum grati animi ergo, tum etiam magis ad perpetuam veteris meae erga eum observantiae memoriam. Ex iisdem ruinis una simul duo alia in apricum prodierunt fragmenta similis omnino marmoris, similique litterarum forma scalpta, ac sunt marmor, & litterae Calendarii, in quibus decem & octo Italiae populi sic nominantur:

BENEVENTANIS	ATINATIBVS
NVCERINIS	INTERAMNATIBVS
NVCERINIS APVLIS	TELESINIS
SVESSANIS	SEPINATIBVS
CALENIS	PVTEOLANIS
SVESSVLANIS	ATELLANIS
SINVESSANIS	CVMANIS
CALATINIS	NOLANIS

ALLIFANIS
CEREATIS

Laudatus Trutta suspicatur haec esse nomina populorum, quibus hoc Calendarium commune fuit, & eis missum ab Augusto fuisse, aliisque urbibus, quo Colonias deduxerat, Svetonio teste (*a*), duodetriginta. Enimvero plura Coloniis suis Augustum indulsisse idem Svetonius narrat; & licet hoc praetereat, nemini tamen videri potest absurdum, quod Augustus voluerit, ut quaeque Colonia ab eo deducta apud se haberet sacrum P. R. Calendarium: ut, qua posset ratione, eosdem ritus imitaretur, & aliquo pacto eo levaretur incommodo, quod inter cetera Tullius (*b*) exaggeraverat, ne populus Romanus in colonias deduci se permitteret.

Raphael Fabrettus (*c*) marmor Urbini repertum in lucem protulit, in quo haec leguntur:

APOLLINI . LATON
AD . THEATR. MARC
FELICITATI . IN . CAM
MART. IOVI . STATOR
IVN. REG. AD . CIR. FLAM

& sibi plaudens putat esse fragmentum Calendarii, quo utebantur Municipes Urbinates; at nullam profecto Calendarii speciem praesefert. Animadvertas volo, aedes, quae in eo notantur, secundum alphabeti litteras notari, non ad dierum rationem, quibus dedicatae fuerunt. Itaque nullus datus est hic huiusmodi marmori locus; uti etiam neque marmori, quod veteris Calendarii fragmentum nominat Muratorius (*d*), in quo quaedam solummodo inscripta sunt Consulum paria, & inter ea duo nomina fortassis Magistrorum alicuius collegii.

Prae-

(*a*) In Aug. cap. 46.
(*b*) *De lege Agraria* II. 27.
(*c*) *Inscript.* cap. VI. pag. 455.
(*d*) *Inscript.* pag. CCCV.

Praeterea a proposito alienum censui, ut Calendario Rustico uterer, quod publici iuris fecit Fulvius Ursinus: non eam certe ob caussam, quod illud, etsi minus perite, & sequiore aetate compositum esse non abnuo, cum Iulio Pontedera (*a*) suppostititium existimem contra veteris marmoris in palatio Farnesiano ad campum Florae adhuc exstantis, scalpturaeque eius fidem; sed quia solummodo peculiaria aliqua rusticorum festa, operaque, & ne quo die quidem, sed quo mense celebrari, & agi oporteret, indicit.

Demum operae pretium esse sentio aliquid dicere, cur etiam Fastos illos praetermiserim, quos Iacobus Mazochius edidit sub hoc titulo: *Fasti sex priorum mensium ex antiquo marmore invento per Thamyram sub Capitolinis ruinis, cuius marmoris altera pars reliquos etiam sex menses sine Fastis continebat*; & quos Georgius Fabricius ex eodem Mazochio in suis Antiquitatibus recudit. Scilicet manifesto suppositos eos arbitror, quod praesensisse mihi videntur etiam Gruterus, aliique antiquarum inscriptionum Collectores, veterisque Calendarii Romanorum enarratores, apud quos nulla est eorum mentio. Et profecto Mazochius locum, ubi marmor adservaretur, nullatenus indicat; etsi alia huius generis marmora describens hoc diligenter adnotare numquam omittit. Praeterea illi ipsi Fasti se produnt confictos; solummodo enim dies notant, quos Ovidius describit. Fraudis auctor Thamyras unus fuit ex sociis celebris illius Academiae Romanae, quam Pomponius Laetus instituit, & in qua hoc opus, & hic labor fuit praecipuus, ut quisque Latinos veteres Scriptores tum in scribendo, tum in loquendo aequiparare potius quam imitari satageret; nec inanis est suspicio, quod quaedam vetus Latium sonantia confinxerint, ut sibi invicem veluti per iocum illuderent. Quoniam vero ipsis etiam placuit ficta sibi nomina imponere, nescio quis latuerit sub Thamyrae nomine, sub quo eum semper commemoratum inveni. Novi tamen nobilem Romanum fuisse ex Cod. Vat. 2836. olim Angeli Colocii, ubi Thamyrae exstat Oratio in Laurea Laurentii Bonincontri Miniatensis, & Aelii Ragusei, quae in marginali nota dicitur *Oratio Thamyrae nobilis Romani*, & in qua auctor Pomponium laudat, & praeceptorem suum appellat. Praeterea quod Thamyras curaverit, ut Pontani opus *de Magnanimitate* ederetur, testatur Petri Summontii epistola: & quod in poëtica facultate potens fuerit testis est Ioh. Baptista Pius Boniensis, a quo *lib. III. Eleg.* appellatur:

Pierii Thamyras gloria prima Chori.

Habetur quoque impressa eius ad Divum Iulium II. Pont. Max. ecloga, sed sine anni, & typorum nota in 4., necnon epigrammatium in libro inscripto *Corcyriana*; quo in libro, edito an. MDXXIV., Francisci Arsillii Senogalliensis libellus inseritur ad Paullum Iovium *de Poëtis Urbanis*, inter quos Thamyras ita commemoratur, ut videatur iam tum e vivis excessisse:

At modo quis Thamyrae citharam non noscit, amatque?
Aurea cui nitido pectore vena fuit.

(*a*) Vid. eius *Antiquitatum Latinarum, Graecarumque enarrationes &c.* pag. 393.

IANUA-

IANUARIUS

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIORVM*]	[*PRAENESTINO*]			
				--- VR . IN . LATIO --- T. LIBO. QVOD --- .
A K. IAN. F.	A	K. IAN.	F.	---- LAPIO . VEDIOVI . IN . INSVLA . HAE . ET ----- AE . CALENDAE. APPELLANTVR . QVIA ------ MVS . IS . DIES . EST . QVOS . PONTIFEX. MINOR . QVO --- MENSE . AD . NONAS . SIN ----
B F	B	IIII	F	---- TOLIO . IN . CVRIA . CALA ---- S - NO ---- QVIA . EO . DIE . MAG. INEVNT. QVOD . COEPIT ----- C - A - DCI
C C	C	III	C	--- LANTVR QVOD . IIS . LICET . FARI . APVD ----- VERBIS . LEGE . AGI. NON . POTEST . IDEM ----- TRIDIE . OMNIS . CALENDAS . QVOD . IIS ---
D C	D	PR.	C	AL-- QVEM . LEGI --- LEGE . AGI . NON --- VS. COIRE . CONVOCARE . COGI . POTEST
E NON. F.	E	NON.	F	
F F	F	VIII	F	--- DIE --- -- CAVSSA --
G C	G	VII	C	IMP. CAESAR . AVGVST --- HIRTIO . ET . PANSA --- VII. VIR. EPVL. CREATVS ---
H C	H	VI	C	SIGNVM . IVSTITIAE . AVGVS ---- ET . SILIO . COS.
A AGON.	A	V	AGON.	AGONIA ----- AVT . QVIA ---
B EN	B	IIII	EN	HAEC . NOTA . SIGNI --- PRO . INPONEBATVR --- QVAM . HOSTIA . INMO --- NEFAS . FIT . ITAQVE . IA --- LICERE . AGI . TI. CAESA ----
C CAR. NP	C	III	KARM.	FVTVRA . OB . QVAM . CAVS --- OMINE . MORTICINO
D C	D	PR.	C	AB . ROMVLO . ET . IANVM --- AVGVSTVS . TI. CAESAR ---
E EID. NP	E	EID.	NP	LVD --- ID . IS --- NOS . AI ---
F EN DIES VITIOS ... EX S. C.	F	XIX	EN	CORONA . QVER --- AVGVSTI . ONER --- P. R. RES --- VITIOSVS . EX . S. C. --- EANDEM . CAVSSAM --- NIS . CALENDAS ---
G CAR	G	XIIX	KAR. NP	FERIAE . CA --- NTI . OB . EANDEM . CAVSSAM --- III. IDVS . HERCVLES. DICITVR INSTITVIS --- SI . FIDENAS . EO . DIE CEPISSIT
H C	H	XVII	C	IMP. CAESAR --- PPELL --- VS . IPSO . VII. ET . AGRIP --- CONCORDIAE . AV -- -- A EST. P. DOLABELLA C. SILANO . COS --- TI. CAESAR . EX. PA --- AVIT
A C	A	XVI	C	PONTIFICES ---- VIR. EPVLONVM . VICTVMAS . IN --- --- NT ---- AM . DEDICAVIT . TI. CAESAR ---- F --------- AVG. PATR. DEDICAVIT ------
B C	B	XV	C	
C C	C	XIIII	C	
D C	D	XIII	C	
E C	E	XII	C	
F C	F	XI	C	
G C	G	X	C	
H C	H	VIIII	C	
A C	A	VIII	C	
B C	B	VII	C	
C C	C	VI	C	AED ---- LLVCIS . DEDICA ---
D C	D	V	C	
E F	E	IIII	F	FERIAE ---- IMP. CAES ---- MA --- MARINA ---- DIVVS . CAESAR . ADD --- AVGERETVR . A ---
F N	F	III	NP	FERIAE --- EX . S. C. QVO --- DIE . ARA . PACIS . AVGVSTA --- MARTIO ---- DEDICATA - ST - DRVSO . ET . CRISPINO . C -----
G C	G	PR.	C	
	XXXI.			

FEBRUARIUS

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIORUM*]	[*PRAENESTINO*]	[*FARNESIANO* [
H K. FEB. N.		
A N		
B N		
C		
D NON.	D NON. N CONCORDIAE IN ARCE FERIAE EX S. C. QVOD EO DIE IMPERATOR CAESAR PONTIFEX MAXIMVS TRIB. POTEST. XI. COS. XIII. A S.P.Q. ROMANO PATER PATRIAE APPELLATVS	
E N		
F N		
G N		
H N		
A N		
B N		
C N		
D EID. NP		
E N		
F LVPER. NP		F ... PER. NP
G EN		G ...
H QVIR. NP		H ... QVIR. NP QVIRINO IN COLLE
A C		A C
B C		B C
C C		C C
D FERAL.		D FERAL. DIS INFERIS
E C		
F TER. NP		
G REGIF. N		
H C		
A EN		
B EQ. NP		
C C		

MARTIUS

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIOR.*]	[*PRAENESTINO*]	[*FARNESIANO*]	[*VATICANO*]
	MARTIVS AB LATINORVM — LANDI ITAQVE APVD ALBANOS ET PLEROSQVE POPVLOS LATII MOS IDEM FVIT ANTE— CONDITAM ROMAM. VT AVTEM ALII CREDVNT QVOD EI SACRA FIVNT HOC MENSE		
D K. MAR.	D K. MAR. N FERIAE MARTI IVNONI LVCINAE EXQVILIIS QVOD EO DIE AEDIS EI --- TA EST PER MATRONAS QVAM VOVERAT ALB --- VEL VXOR SI PVERVM — OVE-IPS		
E F	E VI. F		
F C	F V. C		
G C	G IIII. C		
H C	H III. C		
A NP HOC DIE CAESAR PONTIF. MAXIM. FACT. EST	A PR. NP F --- IMP. CAESAR AVGVST. PONT. ---- NIO ET VALGIO COS. II. VIRI OB --- POPVLVS CORONATVS FERIATVS		
B NON. F	B NON. --- OVI ARCIS VEDIOVIS INTER DVOS LVCOS		
C F	C VIII. F		
D C	D VII. C		
E C	E VI. C FERIAE EX S.C.Q. --- TI. CAESAR PONTIFEX MAX. FAC EST DRVSO ET NORBANO		E ---AXIM. EST FACTVS ---O ET NORBANO COS
F C	F		F
G C	G		G
H EN	H		H
A EQ. NP	A		A ... VIR. N. FERIAE MARTI
B EID. NP	B	B EIDI... ANNAE PE---	B ... NP FERIAE ANNAE PERENNAE VIA FLAM. AD LAPIDEM PRIMVM
C F	C	C F	C
D LIB. NP	D	D LIBER. LIBERO IN CA --CAESAR HI ---	D AGON. NP
E C	E	E C	E
F QVIN. N	F Q. N. — IN LATIO POST --- NARENTVR ARTIFICVM DIES -- AEDIS IN AVENTINO EO DIE EST --- ACIVNT IN COMITIO SALTV --- TIFICIBVS ET TRIB. CELER	F QVIN. MINERV---	F VINQ. NP FERIAE MARTI
G C	G	G C	G
H C	H	H C	H
A N	A XI.	A N	A
B TVBIL. NP	B X. NP --- ARTI HIC DIES APPELLATVR ITA QVOD IN ATRIO SVTORIO TVBI LVSTRANTVR QVIBVS IN SACRIS VTVNTVR. LVTATIVS QVIDEM CLAVAM EAM AIT ESSE IN RVINA PALA --- INCENSI A GALLIS REPERTAM QVA ROMVLVS VRBEM INAVGVRAVERIT	B TVBI....	B ... BILVST. NP
C Q. REX C. F.	C VIIII... C. F HVNC DIEM PLERIQVE PERPERAM INTERPRETANTES PVTANT APPELLARI QVOD EO DIE EX COMITIO FVGERIT --- AM NEQVE TARQVINIVS ABIIT EX COMITIO --- T ALIO QVOQVE MENSE EADEM ---- VNT --- IGNIFICANT Q--- A FIERI INDIC ---		C ... R. C. F.
D C	D VIII.		
E C	E VII.		
F NP HOC DIE CAESAR ALEXAND. RECEPIT	F		
G C	G		
H C	H		
A C	A C		
B C	B PR. C LVNAE IN AVE ----		
	XXXI.		

APRI-

APRILIS

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIOR.*]	[*PRAENESTINO*]	[*VATICANO*]
	--- VINIRI . QVOD . EA . CVM ---- AE . REGIS ---- VM . A . QVO . P. R. ORTVS. E ----- ISE . QVIA ---- FRVGES . FLORES . ANIMALIAQVE . AC . MARIA . ET . TERRAE . APERIVNTVR ---	
C K. APR.	C k. APR. F FREQVENTER . MVLIERES . SVPPLICANT --- . FORTVNAE . VIRILI . HVMILIORES . ETIAM --- . IN . BALINIIS . QVOD . IN . IIS . EA . PARTE . CORPO --- VTIQVE . VIRI .	
D C	D IIII F NVDANTVR . QVA . FEMINARVM --- GRATIA . DESIDERATVR	
E C	E III C	
F C LVDI MATR. MAG.	F PR. C LVDI . M. D. M. I. MEGALENSIA . VOCANTVR . QVOD . EA . DEA . MIGALE . APPELLATVR . NOBILIVM . MVTITATIONES . CENARVM . SOLITAE . SVNT . FREQVENTER . FIERI . QVOD . MATER . MAGNA . EX . LIBRIS . SIBVLLINIS . ARCESSITA . LOCVM . MVTAVIT . EX . PHRYGI . ROMAM	
G NON. LVD.	G NON. N LVDI . FORTVNAE . PVBLICAE . CITERIO --- IN . COLLE	
H NP. LVDI	H VIII NP LVDI . E. Q. E. D. C. CAESAR . C. F. IN . AFRICA . REGEM ---	
A N LVDI	A	
B N LVDI	B	B VI.
C N LVDI	C	C V. N
D N LVDI IN CIRC.	D	D IIII. N LVD
E N	E N --- VM . MAXIMV --- FORTVNAE . PRIMIG --- VTRO . EORVM . DIE ------ ORACLVM . PATET --- IIVIRI . VITVLVM . I ---	E III. N
F N LVD. CERERI	F PR. N LVDI . IN . CIRCO . M. D. M. I. IN . PAL --- QVOD . EO . DIE . AEDIS . E --- DEDICATA . EST	F PR. N LVDI CERIAL
G EID. NP LVDI	G EID.	G EID. . . .
H N LVDI	H XIIX N ---- FRVCTVS ---	H XIIX. N
A FORD. NP LVD	A XVII FORD	A XVII. FORD.
B N LVDI	B XVI N LVDI CO---	B XVI. N
C N LVDI	C XV N LV..	C XV. N
D N LVDI	D XIIII N LV..	D XI.
E CER. N LVD IN CIR.	E XIII CER	E - - - - -
F N	F XII N	
G PAR. NP	G XI PAL	
H N	H X N EST --- DAE . Q--- IGNES . TRA --- PRINCIPIO . A --- REDIGITVR ---	
A VIN. NP	A VIIII VIN. F. IO --- M --- DE --- CONSECRATVM --- RENTVR . AB . RVTVLIS . QVIA . MEZENTIVS . REX . ETRV -- VM --- PACISCEBATVR . SI . SVBSIDIO . VINISSIT . OMNIVM . ANNORVM .	
B C	B VIII C VINI . FRVCTVM . SIG . DIVO . AVGVSTO . PATRI . AD . THEATRVM . MAR --- IVLIA . AVGVSTA . ET . TI . AVGVSTVS . DEDICARVNT . TI . CAESAR . TOGAM . VIRILEM SVMPSIT . IMP . CAESARE . VII . M . AGRIPP --- III . COS .	
C ROB. NP	C VII ROB. NP FERIAE . ROBIGO . VIA . CLAVDIA . AD . MILLIARIVM . V . NE . ROBIGO . FRVMINTIS . NOCEAT . SACRIFICIV - ET . LVDI . CVRSORIBVS . MAIORIBVS . MINORIBVSQ. . FIVNT . FESTVS . EST . PVERORVM .	
D F	D VI F LINONIORVM - QVIA . PROXIMVS . SVPERIOR . MERETRICVM . EST - HVNC . DIEM . DIVVS . CAESAR . ADDIDIT ---	
E C	E V C	
F NP LVD. FLOR.	F IIII NP LVDI . FLORAE . FERIAE . EX . S. C. QVOD . EO . DI --- . ET --- VESTAE . IN . DOMV . IMP . CAESARIS AVGV --- NTIF . MA --- DEDICATA . ST . QVIRINIO . ET . VALGIO . COS --- EODEM . DIE . AEDIS . FLORAE . QVAE . REBVS . FLORESCENDIS . PRAEEST . DEDICATA . EST .	
G C LVDI	G III C LVDI PROPTER . STERILITATEM . FRVCVM ---	
H C LVDI	H PR. C LVDI	
	X X X.	

MAIVS

M A I U S

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIORVM*]	[*AMITERNINO*]	[*EXQVILINO*]	[*VENVSINO*]
A K. MAI.			A K. MAI. F LVD. LAR.
B F COMP.			B VI. F LVD.
C			C V C LVD. IN CIRCO
D EN			D IV. C FLORAE
E C			E III. C
F C			F PR C
G NON. N			G NON. F VERGILI EXORI
H F			H VIII. F
A LEM. N			A VII. LEM. N
B C			B VI. C
C LEM. N			C V. LEM. N
D NP LVD. MART. IN CIRC.			D IV. C
E LEM. N			E III. LEM. N
F C			F PR. C MARTI INVICT
G EID. NP			G EID. N FER. IOVI
H F			H XVII. F MERCVR. MAIAE
A C			A XVI. C
B C			B XV. C SOL IN GEMIN.
C C			C XIV. C
D C		D C	D XIII. C
E AGON. NP		E AGO. NP	E XII. AG. VEDIOVI
F N		F N	F XI. N
G TVB. NP	. . . R . . . . ANO	G TVBIL. NP	G X. TVB. N FER. VOLCA
H Q. REX. C. F		H Q. R. C. F.	H IX. Q. R. C. F
A C	. . . RI . . PVBL. IN. .	A G FORTVN. PVBLIC. PR. IN COLL.	A VIII. C FORTVN. PRIM. IN COL.
B C	. . . D EO DIE CAESAR INVICTVS EST ---	B C	B VII. C
C C		C C	C VI. C
D C	. . . OD EO DIE . . .	D C	D V. C
E C		E C	E IIII. C
F C		F C	F III. C
G C		G C	G PR. C
		XXXI.	XXXI.

IUNIUS

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIOR.*]	[*AMITERNINO*]	[*EXQVILINO*]	[*VENVSINO*]
H K. IVN. N MART CAR. MONET			H K. IVN. IVNONI. N. MONET
A F			A IV. F
B C			B III BELLON. IN CIRC. FLAM.
C C			C PR. HERC. MAGN. CVSTO DIO FIDIO IN COLLE
D NON.			D NON. N
E N			E VIII. N
F N			F VII. N
G N MENTI IN CAPIT			G VI. N MENTI IN CAPITOL.
H VEST. N FER VESTAE			H V. VEST. N VESTAE
A N			A IV. N MART. MILIT
B MATR. N			B III. MATR. N
C N			C PR. N
D EID. NP			D EID. FERIAE . IOVI
E N			E XIIX. N
F Q. ST. D. F.			F XVII. Q. S. D. F.
G C			G XVI. C
H C			H XV. C
A C	A XIV. C	A C	A XIV. C
B C	B XIII. C MINERVAE IN AVENTINO	B C MINERVAE IN AVENTINO	B XIII. SOL IN CANCRO
C C	C XII. C SVMMANO AD CIRC MAXIM	C C SVMMAN AD CIRC MAX	C XII. C SVMMAN. AD CIRC. MAX.
D C	D XI. C	D C	D XI. C
E C	E X. C	E C	E X. C
F C	F IX. C	F	F IX. C
G C	G VIII. C FORTI FORTVNAE TRANSTIBER AD MILLIAR	G C FORT. FORT. ET AD XIIII ET	G VIII. C FORTIS FORTVNAE
H C	H VII. C PRIM ET SEXT	H C	H VII. C
A C	A VI. NP FER EX S --- ---OD EO DIE -AVGVS- FILIV- ALII ---	A C	A VI. C SOLSTITIVM CONFECT
B C	B C	B C	B V. C
C C		C C	C IV. C
D F		D F	D III. C QVIRINO IN COLLE
E C		E C	E PR. C
		XXX.	XXX.

IULIUS

IULIUS

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIOR.*]	[*AMITERNINO*]	[*ANTIATINO*]	[*PINCIANO*]	[*ALLIFANO*]
F K. IVL. N	F K. IVL. N	K. IVL. N FELICIT. IN CAP.		
G N	G VI. N	VI. N		
H N	H V. N	V. N		
A NP	FER. EX S.C. Q. E.D. ARA PACIS A IV. NP AVG. IN CAMP. MAR. CONSTITV- TA EST NERONE ET VARO COS	IV. NP — CIS AV- GVST.CON- STITVIT		
B POPLIF. NP	B III. POPLIF. NP	III. . . .		
C N LVDI APOLLIN	FERIAE IOVI C PR. N LVDI APOLLIN. COMMIT	PRID. N LVDI APOLLINI COMM. H-S. CCCXXC		
D NON. N LVDI	D NON. N LVD	NON. N LVDI		
E N LVDI	E VIII. N LVDI	VIII. N LVDI		
F N LVDI	F VII. N LVDI	VII. N LVDI		
G C LVDI	G VI. C LVDI	VI. C LVDI		
H C LVDI	H V. C LVDI	V. C LVDI		
A NP LVDI	A IV. NP LVDI FER. QVOD ... DIE C. CAESAR EST NATVS	IIII. NP LVDI DIVI IVL. NA- TALIS		
B C LVD. IN CIRC	B III. C LVDI - - - CIRCO	III. C IN CIRCO		
C C MERK.	C PR. C	PR. C		
D EID. NP MERK	D EID. NP MERK	EID. NP MERCATVS DIES V		
E F MERK	E XVII F MERK	XVII. F		
F C MERK	F XVI. C MERK	XVI. C		
G C MERK	G XV. C MERK. DIES ALLIENSIS	C DIES ALL- AR		
H LVCAR. NP	H XIV. LVCAR. NP			
A C MERK LVD. VICT. CAESAR	A XIII. C MERK LVDI VICTOR. CAES. DIVI IVL. COMMIT			
B LVCAR. LVD	B XII. LVCAR. NP			
C C LVDI			C C LVDI CONC.	
D NEPT. LVDI			D NEP. N LVDI FER NEPT	D ... NP LVDI - - - AE NEPTVNO
E N LVDI			E N LVDI	. . . .
F FVRR. NP LVD			F FVR. N LVDI FER FVRR	F ... R NP LVDI — AE FVRRINAE
G C LVDI			G C LVDI	. . . .
H C IN CIRC			H C LVDI IN CIRCO	. . . .
A C IN CIRC			A C LVDI IN CIRCO	. . . .
B C IN CIRC			B C LVDI IN CIRCO	. . . .
C C IN CIRC			C C LVDI IN CIRCO FORT HVIVSQVE DIEI	C ... CIRCO FORTVNAI. HVIVSC - - - - - - - - N CAMPO
D C			D C	D . . .
			XXXI.	

AUGU-

AUGUSTUS

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIORUM*]	[*CAPRANICORUM*]	[*AMITERNINO*]	[*ANTIATINO*]	[*PINCIANO*]	[*ALLIFANO*]
E K. AVG.	E. K. AVGVST. SPEI . AD . FORVM . HOLITORIVM NATAL. TI. CLAVDI GERMANICI	E. K. AVG. NP FERIAE EX S. C. Q. E. D. IMP. CAESAR DIVI F. REMPVBLIC. TRISTISSIM... PERICVLO LIBERAT	E. K. AVG. NP TI. CLAV... SPEI AVG. ALEXAND. RECEPIT		
F N FER. HOC DIE C. CAESAR HISP. VICIT	F IIII. N FERIAE. QVOD. HOC. DIE. IMP. CAESAR HISPANIAM. CITERIOREM. VICIT	F IV. NP FER. .. VOD EO DIE C. CAES. C. F. IN HISPAN. CITER. ET QVOD IN PONTO EOD. DIE REGEM PHARNACEM DEVICIT	F IIII. N DIVVS IVL. HISP. VIC.		
G C	G III. C	G III. C	G III. C		
H C	H PR. C	H PR. C	H PR. C		
A NON. F.	A NONAE C SALVTI . IN . COLLE . QVIRINALE SACRIFICIVM . PVBLICVM	A NON. F SALVTI IN COLLE	A NON. NP SALVTI IN COLLE		
B F	B VIII. F	B VIII. F	B VIII. NP		
C C	C VII. C	C VII. C	C VII. C		
D C	D VI. C SOL . INDIGITIS . IN. COLLE. QVIRINALE SACRIFICIVM . PVBLICVM	D VI. C	D VI. C		
E NP HOC DIE CAESAR HISPALI VIC	E V. NP	E V. NP SOLI INDIGITI IN COLLE QVIRI NALE FER. Q. EO D. C. CAES. C. F. PHARSALI. DEVICIT	E V. NP DIVVS . IVL. PHARS. VICIT		
F C	F IIII. NP FERIAE. ARAE. OPIS. ET. CERERIS . IN VICO. IVGARIO. CONSTITVTAE. SVNT	F IV. NP FERIAE QVOD EO DIE ARAE CERERI MATRI ET OPI AVGVSTAE EX VOTO SVSCEPTO CONSTITVTAE SVNT CRETICO ET LONG. COS.	F IV. NP FERIAE CERERI ET OPI. AVG.		
G C	G III. C	G III. C	G III. C		
H C	H PR. C HERCVLI. MAGNO . CVSTODI IN . CIRCO . FLAMIN.	H PR. C HERCVLI INVICTO AD CIRCVM MAXIM. VENERI VICTRICI HON. VIRTVT. FELICITATI IN THEATRO MARMOREO	H PR. C		
A EID. NP	A EIDVS DIANAE . IN . AVENTINO . ET VORTVMNO. IN. LORETO. MAIORE	A EID. NP FER. IOVI DIANAE VORTVMNO IN AVENTINO CASTORI POLLVCI. IN CIRCO FLAMINIO	A EID. NP DIANAE IN AVENT.		
B F	B XIX. F	B XIX. F	B XIX. F AVGVSTI TRIVMP.		
C C	C XIIX. C	C XIIX. C	C XIIX. C		
D C	D XVII. C	D XVII. C	D XVII. C		
E PORT. NP	E XVI. PORTVNO AD. PONTEM . AEMILIANO AD. THEATRVM. MARCELLI	E XVI. PORT. NP FER. PORTVNO PORTVN. AD PONTEM AEMILIVM	E XVI. POR. NP FER. PORTVN.		
F C	F XV. C	F XV. C DIVO IVLIO AD FORVM	F XV. C AEDIS . DIVI . IVL. DED.		
G VIN. F. P.	G XIIII. C VIN. NP VENERI. AD. CIRCVM MAX. MVM	G XIV. VIN. F. P. DIES TRISTISSI	G XIV. VIN. F AVGVSTVS EXCESS.		
H C	H XIII. C		H XIII. C INFER. L. CAESARIS		
A CONS. NP	A XII. CONS. NP CONSO. IN. AVENTINO SACRIFICIVM			A CONS	
B EN	B XI. F. N.			B EN	B
C VOLC. NP	C X. VOLCAN. NP VOLCANO. IN. CIRCO FLAMINIO			C VOLC. N. VOLCANO	C X
D C	D IX. C			D C LVNAE IN GRAECOST.	D IX C
E OPIC. NP	E VIII. OPIC. NP OPI. IN. CAPITOLIO			E	E IIX OP.. OPICON ---
F C	F VII. C			F OPICON	F VII C
G VOLT. NP	G VI. VOLT. NP VOLTVRN. FLAMINI. SACRIFICIVM			G C VOLTVRN	G VI. VOLT....
H NP H. D. ARA VICTORIAE IN CVRIA DEDIC. EST	H V. F			H C	H V C
A F	A IIII.			A F	A
B F	B III.			B F	
C C	C PR. ... XXI. NAT. C. CAESARIS. GERMANICI			C C D. XXXI.	

SEPTEM-

SEPTEMBER

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIOR.*]	[*AMITERNINO*]	[*CAPRANIC.*]	[*ANTIATIN.*]	[*PINCIANO*]
D K. SEPT. N HOC DIE FER. NEF.	D. K. SEPT. F IOVI TONANTI IN CAPITOLIO FER. EX S. C. QVOD EO DIE IMP. CAES. DIVI F.	D.K.SEPTEMB	D K. SEPT. FERIAE IOVI	
E N	E IV. NP AVGVSTVS APVD ACTIVM VICIT SE ET IITIO COS- FER.ET SVPPLICATIONES	E IIII. NP ACT..	E IV. N	
F NP	F III. NP APVD OMNIA PVLVINARIA QVOD EO DIE CAES. DIVI F. VICIT IN SICILIA CENSORIN.	F III. NP FERIAE	F NP	
G C LVDI ROMANI	. . . C ET CALVIS. COS. LVDI ROMANI MAGNI COMMIT	G PRID. C LVD	G PR. C COMM. DCCLX	
H NON. F. LVDI	H NON. F LVDI	H NONAE	H NON. F LVDI	
A F LVDI	H VIII. F LVDI	A VIII. F ...	A VIII. F LVDI	
B C	B VII. C LVDI	B VII. C ...	B VII. C LVDI	
C C LVDI	C VI. C LVDI	C VI. C ...	C VI. C LVDI	
D C LVDI	D V. C LVDI	D V. C ...	D V. C LVDI	
E C LVDI	E IIII. C LVDI FER. EX S.C.Q. E.D. NEFARIA CONSILIA	E IV. C ...	E IV. C LVD	
F C LVDI	F III. C LVDI QVAE DE SALVTE TI. CAES. LIBERORVMQ. EIVS	F III. C ...	F III. C LVD	
G N LVDI	G PR. N LVDI ET ALIORVM PRINCIPVM CIVITATIS DE Q. R. P. INITA	G PR. N ...	G PR. C LVD	
H EID. NP	H EID. NP AB M. LIBONE ERANT IN SENATV CONVICTA SVNT	H EIDVS IOVI..	H ID. NP EPVLI	
A F EQVOR. PROB.	A XIIX. F EQVOR. PROB.	A XIIX. F EQVO..	A XIIX. F INFER. DR--- EQVOR...	
B N LVD. ROM. IN CIRC.	B XVII. N LVD. ROM. IN CIRC.	B XVII. C IVDI.	B XVII. C IN CIR--	
C C IN CIRC.	C XVI. C LVD. IN CIRC.	C XVI. C LVDI.	C XVI. C IN CIRC...	
D C IN CIRC.	D XV. NP LVD. IN CIRC. FER. EX S.C.Q. E.D. DIVO AVGVSTO HONORES CELESTES A SENATV DECRETI SEX. APVL. SEX. POMP. COS.	D XV. C LVDI.	D XV. NP IN CIRC--	
E C IN CIRC.	E XIV. C LVD. IN CIRC.	E XIV. C LVDI.		
F C IN CIRC.	F XIII. C LVD. IN CIRC.	F XIII. C LVDI.		
G C MERK.		G XII. C MERCA.		
H C MERK.		H XI. C MERCA.		
A C MERK.		A X. C MERCA.		A C MERC
B NP MER. H. D. AVGVSTI NATALIS LVDI CIRC.		B XIIII. C N NATA.		B F MERC. LVD. EX S.C. QVOD IS DIES IMP.
C C		C VIII. C FERIAE		C C CAESAR NATALIS EST
D C		D VII. C VENER		D C
E C		E VI. C ...		E C VENERI GENETRICI IN FORO CAESAR
F C		F V. C ...		F C
G C		G IIII.		G C
H F		H III.		H F
A C		A PR.		. . . . .
				X X X.

OCTO-

OCTOBER

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIORUM*]	[*AMITERNINO*]	[*ANTIATINO*]
B K. OCT. N	B K. OCT. N FIDEI IN CAPITOLIO	
C F	C VI. F	
D C	D V. C	
E C	E IV. C IEIVNIVM CERERIS	
F C	F III. C LVDI DIVO AVGVSTO ET FORT. REDVCI COMMITT	F .... LVDI
G C	G PR. C LVDI	G PR. N LVDI
H NON. F	H NON. F LVDI	H NON. F LVDI
A F	A VIII. F LVDI	A VIII. C LVDI AVG. AED. APOLL. DEDICAVIT
B C	B VII. C GENIO PVBLIC. FAVSTAE FELICITATI VENER. VICTR. IN CAPITOL. APOL. IN PAL. LVDI	B VII. C INFER. GERMANIC.
C C	C VI. C LVDI	C ......
D MED. NP	D V. MED. NP LVDI FER. IOVI	D ......
E AVGVST. NP	E IV. AVG. NP LVD. IN CIRC. FER. EX S. C. Q. E. D. IMP. CAES. AVG. EX TRANSMARIN. PROVINC. VRBEM INTRAVIT ARAQ. FORT. REDVCI CONSTIT	E .... N IN CIRCO
F FONT. NP	F FONT. NP FERIAE FONTI	F ..... F
G EN	G PR. EN	G ... NP
H EID. NP	H EID. NP	H .... F VERN. DIES FEST.
A F	A XVII. F	A C
B C	B C	B C
C C	C C IANO AD THEATRVM MARCELLI	C ... NP DIVVS AVG. TOG. ---RILEM SVM
D ARM. NP	D XIV. ARM. NP	
E C	E XIII. C	
F C	F C	
G C		
H C		
A C		
B C		
C C		
D C LVDI VICT.		
E C LVDI		
F C LVDI		
G C LVDI		
H C LVDI		

NOVEMBER

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIORVM*]	[*AMITERNINO*]	[*ANTIATINO*]
A K. NOV.	A K. NOV. F	A K. NOV. F IN CIRCO
B F	B IV. F	B IIII. F
C F	C III. C	C III. C
D	D PR. C	D PR. C LVDI PLEB. COM. HS. DC
E NON. F	E NON. F	E NON. F LVD.
F F LVDI	F VIII. F LVDI	F VIII. F LVD. AGRIPP. IVL. NAT.
G C LVDI	G VII. C LVDI	G VII. C LVD.
H C LVDI	H VI. C LVDI	H VI. C LVDI
A C LVDI	A V. C LVDI	A V. C LVDI
B C LVDI	B IV. C LVDI	B IV. C LVDI
C C LVDI	C III. C 7VDI	C III. C LVDI
D C LVDI	D PR. C LVDI	D PR. C LVDI
E EID. NP EPVL. INDICT	E EID. NP LVDI	E ID. NP EPVLVM INDICITVR
F F EQVOR. PROB.	F XIIX. F EQVOR ... BATIO	F XIIX. F EQVOR. PROB.
G C LVD. PLEB. IN CIRC.	G XVII. C LVDI IN CIRCO	G XVII. C IN CIRCO
H C IN CIRC	H XVI. C LVDI IN CIRCO	H XVI. C LVDI IN CIRC. TI. AVG. NATAL.
A C IN CIRC	A XV. C ... DI IN CIRCO	A XV. C IN CIRC. SOL IN SAGITT.
B C MERK	B XIV. C .. ERK	B XIV. C MERCATVS
C C MERK	C XIII. C .... RK	
D C MERK	D	
E G		
F C		
G C		
H C		
A C		
B C		
C C		
D C		
E F		
F C		

DECEMBER

EX CALENDARIIS MARMOREIS

[*MAFFAEIORVM*]	[*PRAENESTINO*]	[*AMITERNINO*]	[*ANTIATINO*]
G K. DEC. N	G	G K. DEC. NP NEPTVNO PIETATI AD CIRC. FLAMIN.	G K. DEC.
H	H	H IV. N	H IV. N
A	A	A III. N	A III. N
B	B	B PR. C	B PR. F
C NON. F.	C	C NON. F	C NON. F
D	D	D VIII. F	D VIII. F
E	E	E VII. C	E VII. C
F C	F VI. C	F VI. C TIBERINO IN INSVLA	F VI. C
G C	G V. C	G V. C	G V. C
H C	H IIII. C TR	H IV. C	H IV. C
A AGON. NP	A III. AG	A III. AG. IN. NP	A III. AG. NP
B EN	B PR. EN	B PR. EN CONSO IN AVENTIN.	B PR. F
C EID. NP	C EID.	C EID. NP	C ID. NP LEC...
D F	D XIX. F	D XIX. F	D XIX. F
E CONS. NP	E XIIX. CONS. NP FERIAE CONSO.	E XIIX. CONS. NP FER. CONSO.	E XIIX. CON.
F C	F XVII. C EQVI. ET --- IN CARINIS. AEDI. QVOD IN EIVS TV---- ET LECTISTERNIVM ELEC--- QVE REX EQVO ---- MANCEPS PRAESTAT	F XVII. C ARA FORTVNAE REDVCI DEDIC·EST	F XVII.
G SAT. FERIAE SATVRN.	G XVI.	C XVI. SAT. NP FER. SATVRNO SATVRN. AD FOR.	
H C	H	H XV. C	
A OPAL. NP	A	A XIV. OPAL. NP FER. OPI. OPI AD FORVM	
B C	B	B XIII. C	
C DIV. NP	C .... FERIAE DIVAE ANGERONIAE CVI SACRIFICIVM IN ARA VOLVPIAE		
D C	D .... ---RINIS IN PORT.		
E LAR. NP	E --- OVI ACCAE LARENTIN. HANC ALII REMI ET RO ---- MERETRICEM. HERCVLIS. SCORTVM --- VNT PARENTARI ET PVBLICE QVOD P. R. HE---- MAGNAE. PECVNIAE. QVAM ACCEPE------ TO TARVILII AMATORIS SVI		
F C	F		
G C	G VIII.		
H C	H VII.		
A C	A VI. C		
B C	B V. C		
C F	C IIII. F		
D F	D III. F		
E C	E PR. C		
	XXXI.		

NOTAE

NOTAE SELECTAE
AD SUPERIORES TABULAS.

NOTAE
AD TABULAM IANUARII.

Dies 1. Neque inutile, neque iniucundum fore puto si superiores tabulas quibusdam aut necessariis, aut novis, aut certe non obviis exornem animadversionibus, quae mihi disponenti illas, & inter se conferenti venerunt in mentem. Itaque primum animadverto, octo litteras, quae in singulis Calendariis a primo ad ultimum anni diem perpetuo recurrunt, doctissimo viro Francisco Blanchinio, contra communem opinionem, visas esse potius respicere ad Cycli Lunaris rationes, quam ad Nundinas unoquoque nono die habendas. Quinetiam contendit Nundinas haberi solitas non unoquoque nono die, sed postridie unumquemque nonum diem. Consule eius Differt. *de Calendario, & Cyclo Caesaris* Romae editam anno MDCCIII., non ut ei fidem praestes, sed ut ingenium eius, & eruditionem mirere.

D. 30. Hic dies Ianuarii in Calendario Maffaeiorum notatur N *nefastus*, in Praenestino ℕᴾ *nefastus ex parte*. Huiusmodi varietates in pluribus etiam aliorum mensium diebus habent marmorea Calendaria, quia diversis temporibus insculpta; praetereaque dubitare fas est, quod interdum eorum descriptores dormitaverint. Novi placuisse quibusdam has varietates repetere a diversitate locorum, in quibus haec Calendaria reperta sunt, sed confidenter dico: placuisse inscitissime. Unumquodque enim ex hactenus repertis marmoreis Calendariis urbanos Populi Romani sacros fastos manifesto exhibet; hos vero diversis in locis marmore insculptos, & publice expositos fuisse censeo, tum ut Romani in Colonias deducti avitam originis suae superstitionem memoria retinerent, & qua possent ratione imitarentur, tum etiam potissimum ut late per Italiam innotesceret, ac servaretur anni circulus a Iul. Caesare constitutus.

NOTAE
AD TABULAM FEBRUARII.

D. 5. Notam huic diei appositam in fragmento Calendarii Praenestini illustravi in Praefatione. Addam modo dedicatam fuisse eo die aedem Concordiae in Arce Tarpeia, quam, teste Livio lib. XXII. & XXIII., voverat L. Manlius Praetor, & dedicarunt M. & C. Attilii. Erant Romae etiam aliae aedes Concordiae, propterea que haec a loco distinguitur.

D. 15. LVPER. hoc est, *Lupercalia*, *dicta*, *quod in Lupercali Luperci sacra faciant*, docente Varrone *de LL.* lib. V. Festum erat Pani, qui in Latio ab arcendis lupis Lupercus dicebatur, consecratum.

D. 17. QVIR. hoc est *Quirinalia*. Ab Ovidio Fast. II. v. 475. haec dies appellatur dies *dicta Quirino*, hoc est dedicata; agebatur enim in ea festum, cui etiam nomen *Feriae Stultorum*, ad aedem Quirini, cuius situm in Calendario Farnesiano ita designatur: QVIRINO IN COLLE, quia nempe iam aliud in urbe exstabat Quirini templum a Rufo, & Victore *templum novum Quirini* appellatum, quod Augustus in Reg. VII. aedificavit, & septuaginta sex columnis exornavit, dedicavitque A. U. C. 728. teste Dione lib. LIV. §. 19. Verum in ipso etiam colle Quirinali duae iam fuisse videntur Quirini aedes: antiquissima, *Sacellum*, & *Fanum* etiam dicta, positaque proxime ad portam Collinam, auctore Festo, & altera a Lucio Papirio dedicata, teste Livio lib. X., quam Nardinus censet exstitisse in colle Quirinali in ea parte, quae eminet valli, quae adiacet inter Quirinalem, & Exquilinum.

D. 21. FERAL. *Feralia*, sic dicta, docente Varrone *de LL.* lib. V., *ab inferis*, *&* *ferendo*, *quod ferunt tunc epulas ad sepulcrum*, *quibus ius ibi parentare*. In Calendario Farnesiano additur: DIS INFERIS, nempe *Manibus*, ut Festus, & Ovidius Fast. II. v. 570. loquuntur.

D. 23. TER. *Terminalia*, *quod is dies*, ut scribit Varro lib. V. *de LL.*, *anni extremus constitutus*, nempe a Romulo: & quod eo die Deo Termino sacra faciebant, in cuius tutela fines agrorum esse putabant.

D. 24. REGIF. *Regifugium*; quia eo die Rex Tarquinius Romae fugerit. Vid. superius adnotata pag. 35. & 36. Carolus Neapolis falso censuit Macrobium Tarquinii fugam retulisse ad Calendas Iunias. Macrobius *Sat.* lib. I. c. 12. tradit Iunium Brutum Calendis Iuniis Carnae Deae in Caelio monte voti reum fecisse, pulso Tarquinio, non quia eo die Tarquinius fugerit, sed quia tunc, cum P. R. res bene cessisset, iam nulla amplius erat Tarquinio spes regni, ita ut eo die ipse Brutus annua Consul iura ceperit.

D. 27.

D. 27. EQ. *Equiria*, auctore Varrone *de LL.* lib. V., *ab equorum cursu, eo enim die currunt equi in campo Martio*.

NOTAE

AD TABULAM MARTII.

D. 14. EQ. *Equiria*. In Calendario Vaticano additur: FERIAE MARTI; & dies notatur N., sed in Maffaeiano notatur NP. Vid. pag. 20.

D. 15. Annae Perennae festum agebatur hoc die, & in Calendario Vaticano additur: VIA FLAMINIA AD LAPIDEM PRIMVM, quae verba certam faciunt eruditorum coniecturam, quod Lucus Annae Perennae, quem *pomiferum nemus* vocat Martialis IV. 64. 16., situs esset ad pontem Milvium.

D. 17. LIB. *Liberalia, dicta quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes liberi. Hedera coronatae anus cum libeis & foculo pro emptore sacrificant; & in libreis Saliorum, quorum cognomen Agonensium, forsitan hic dies ideo appellatur potius Agonia*. Sic Varro lib. V. *de LL.*, sed in editis libris mendose legitur, *Sacerdotes Liberi*, hoc est *Bacchi*: & inde, *sacrificantes. In libreis &c.* Itaque, me iudice, tradit Varro quod eo die liberi erant omnes sacerdotes ab operando sacra, quia victimae non immolabantur, sed eorum loco vetulae bibaculae in publico cum foculo, & libis mellitis populum ad sua liba vocabant dicendo: *Ago ne?* hoc est, mitto ne in ignem ad sacrificium *libi partem* a te empti? Hanc meam huius loci Varronis emendationem, & interpretationem alius eiusdem Varronis locus comprobat, ubi docet, quod Dies Agonales ita appellabantur ab hac sacerdotis sacrificantis formula: *Ago ne?* Et hinc etiam intelliges, cur in Calendario Vaticano pro nota LIB. exstet haec alia AGON. hoc est *Agonia*, seu *Agonalia*. Vid. adnotata pag. 7. Porro quia in Calendario Farnesiano additur: LIBERO IN CA....., ubi supplendum esse videtur, *in campo Martio*, quo forte concurrebant anus liba sacrificantes, ecce nunc intelligitur illud quoque, quod docet Masurius Sabinus apud Macrobium *Sat.* lib. I. cap.4: *Liberalium dies a pontificibus Agonium Martiale appellatur*. Masurium, si cum Varrone conferas, facile senties Pontifices appellare, quos Varro Salios dicit, & rem narrare non aliter ac Varro enarrat ex libris Saliorum, quorum cognomen Agonensium, & qui ab aliis Agonales, Quirinales, Collini cognominantur. Qua de re si quaeras cur Liberalia a Saliis, seu a Pontificibus dicta sint *Agonium Martiale*: Respondeo, quia praecipue in campo Martio liba mellita sacrificabantur. Gutberlethus *de Saliis* cap.21. docet, Liberalium diem *Agonium Martiale* a Saliis fuisse denominatum in honorem Martis; sed eum diem Baccho quoque sacrum fuisse habitum, & dictum *Liberalia*, quia Liber, seu Bacchus, & Mars idem numen erant, teste Macrobio *Sat.* lib.I. c.19. Sic ille; at sententiam meam confidenter censeo probabiliorem. Demum animadvertas velim, Calendarium Farnesianum addere: CAESAR HI .... Forte hoc die Iul. Caesar Cn. Pompeium Magni F. in Hispania vicit. Dio lib. XLIII. §. 42. & 44. nobis est testis, quod huius victoriae nuncius Romam venit proximo mense pridie Paliliorum, & quod eam Senatus Fastis perscripsit.

D. 19. QVIN., seu, ut in Calendario Vaticano, QVINQ., hoc est *Quinquatres*, seu *Quinquatria*. In Calendario Farnesiano additur: MINERV... lege, *Minervae natalis*. In Vaticano vero additur: FERIAE MARTI. Vid. superius adnotata pag. 30.

D. 23. TVBIL. *Tubilustrium*. Vide pag.32.

D. 24. Q. REX C. F. Vide adnotata pag.34.

D.27. Huic diei in Calendario Maffaeiorum adiecta haec est nota: HOC DIE CAESAR ALEXAND. RECEPIT. Cum Iul. Caesar Pharsalico praelio Cn. Pompeium fudisset, persecutus est eum fugientem Alexandriam, sed occisum deprehendit; & quia sibi quoque insidias tendi sensit, contra Ptolemaeum Regem arma movit, & diu vario marte pugnavit: attamen eum tandem fregit, & occidit, & tunc victor recepit hoc die Alexandriam. Porro Caesar regia hac urbe recepta deinde Cleopatrae, fratrique eius minori regnum Aegypti permisit, & una cum eadem Cleopatra per Nilum ratibus subvectus totam regionem lustravit; neque Aegyptum reliquit, donec omnibus ibi rebus compositis, exercitum contra Regem Pharnacem duxit. Appianus Iulium Caesarem in his novem menses insumpsisse tradit, & quidem diligenter. Cum enim Caesar Alexandriam adventaverit, Pompeio recenter interempto, & huius caedes contigerit pridie Calendas Octobres, venit igitur Alexandriam mense Octobri. Cum autem Pharnacem, quem, ut vidit, vicit, die II. Augusti vicerit, ut in Calendario Amiternino adnotatum eo die invenitur; novem menses in Aegypto Caesar absumpsit, quo venerat mense Octobri, & unde abiit mense Iulio.

NOTAE

AD TABULAM APRILIS.

D. 2. In Calendario Maffaeiorum hic dies dicitur *Comitialis*, in Praenestino *Fastus*, quae tamen levis est varietas: dies enim Comitiales, si quando illis Comitia non habebantur, quod non raro contingebat, Fasti quoque erant. Praeterea, etsi ante legem Clodiam omnibus diebus Fastis cum populo agi non licebat,

cebat, sed solum Comitialibus, postea vero omnibus Fastis leges fieri licuit.

D. 23. In Calendario Maffaeiano hic dies dicitur NP, in Praenestino F, quia fortassis progressu temporis aliquod sacrificium eo die fieri solitum exsoleverat.

NOTAE
AD TABULAM MAII.

D. 1. Litterae COMP. in Calendario Maffaeiorum ad hunc pertinent diem, ut constat ex Calendario Venusino, ubi hoc die notatur: LVD. LAR. *Ludi Larales*, seu *Laribus*; & ex Ovidio *Fast.* lib. V., qui Calendis Maiis aram *Praestitibus Laribus* fuisse constitutam memorat. Itaque, etsi Varro lib. V. *de LL.* inter Ferias annales, quae quotannis concipiebantur, Compitalia recenset, attamen praeter haec Compitalia conceptiva alios etiam fuisse status dies Compitalitios ex his Calendariis constat indicentibus dedicatum Laribus Praestitibus hunc Calendarum Maii diem, & Laribus Permarinis diem XI. Calendas Ianuarias. Ad haec adnotare iuvat, quod Imp. Caesar Augustus, Svetonio teste *in Aug.* cap. 31., *Compitalitiis Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus, & aestivis. Vernis*, hisce nimirum, ut puto, Calendis Maiis, *aestivis* vero V. Calendas Iulias, quo

. . . . . Lares delubra tulerunt
Hic, ubi fit docta multa corona manu,

ut Ovidius cecinit *Fast.* lib. VI. v. 791., & forte indicare voluit, eo die Augustum AEDEM LARVM IN SVMMA SACRA VIA dedicasse, quod ipse Augustus a se factum esse testatur in monumento Ancyrano Tab. IV. Vid. quae adnotata sunt p. 79.

D. 4. In Calendario Maffaeiorum hic dies dicitur EN, in Venusino C. Praeterea in Venusino additur: FLORAE, sed haereo, an descriptor marmoris eam vocem suo loco adposuerit. Vid. adnotata pag. 67.

D. 7. In Calendario Maffaeiorum hic dies dicitur N, in Venusino F.

D. 9. LEM. *Lemuria*, festum, quod per triduum agebatur, sed intra sex dies. Primitus *Remuria* dictum est. Eius originem, & ritus late Ovidius describit *Fast.* lib. V.

D. 12. In Calendario Maffaeiorum hic dies notatur NP, in Venusino C. Praeterea in Calendario Maffaeiorum indicuntur: LVD. MART. IN CIRC. *Ludi Marti in Circo*, quos quidem indicat etiam Ovidius hoc die canens *Fast.* V. v. 597:

Solemnes Ludos Circi celebrate, Quirites,
Non visa est fortem scena decere Deum.

Porro arguitur ex eodem Ovidio hos ludos constitutos fuisse, quod eo die Augustus templum Marti Ultori a se conditum in foro suo dedicaverit. Inter *publica* Augusti *opera* Svetonius cap. 29. *forum cum aede Martis Ultoris* enumerat, & Augustus ipse in marmore Ancyrano: *Ultoris*, inquit, *templum, forumque Augustum . . . in solo magnam partem a privatis emto feci*. Voverat illud Augustus, ut Ovidius v. 569., & Svetonius *loc. cit.* testantur, bello Philippensi pro ultione paterna suscepto: attamen, ut narrat Dio lib. LIV. §. 8., postquam a Parthorum Rege Phraate signa recepit A. U. DCCXXXIV. decerni illud iussit, ac perfecit, ut ibidem ea signa militaria suspenderentur; quod quidem Augustus ipse exsequutus est, teste eodem laudato marmore Ancyrano. Certant eruditi, utrum Ovidius indicet duo Marti templa condita esse ab Augusto, unum Marti Ultori, aliud Marti Bisultori, unum in foro ipsius Augusti, alterum in Capitolio; sunt enim qui ex Dione *loc. cit.* colligunt, Augustum, receptis a Parthorum Rege signis, decerni iussisse templum Marti Ultori in Capitolio ad imitationem Iovis Feretrii, in quo ea signa suspenderentur. Verum ubi in editis Ovidii *Fast.* lib. V. v. 595. legitur:

Rite Deo, templumque datum, nomenque BISULTOR;

meliores mss. Codd. habent, *bis ulto*; & plane constat, Dionis textum esse vitiatum a librario, qui verba ἐν τῷ Καπιτωλίῳ, quae ad templum Iovis Feretrii pertinent, ad templum Martis Ultoris oscitanter traiecit. Quod si in quibusdam nummis templum Martis Ultoris cum sex columnis, ac militaribus signis visitur, & in aliis cum columnis quatuor, & ipso Marte signa gerente, hoc ad diversas eiusdem templi facies referendum esse Massonus in vita Ovidii probabiliter coniicit, non vero, ut alii, ad duo templa, unum in Foro Augusti, aliud in Capitolio, illud Marti Ultori, hoc Marti Bisultori dedicatum.

D. 14. In Calendario Venusino haec exstat nota: MARTI INVICTO; & ex ea innotescere mihi videtur dies, quo S.P.Q.R. statuam ex aere *Marti invicto* dedicavit pro salute Imp. Augusti, cui subiectum titulum ex basi marmorea in foro Caesaris effossa edidit Grut. pag. LVIII. num. 1. En illum:

DEO . INVICTO
MARTI
SACRVM
PRO . SALVTE . D. N
IMP. AVGVSTI . DIVI
IVLI . FIL
PONT. MAX. TRIB. POT
VII. COS. IIII. IMP . . . .
P. P
FELICI . FVNDAT
PACIS
REPVB. CONSERVAT
S. P. Q. R
STATVAM . EX . AERE
. . . . OCAI . . . .
. . . .

R In

In penultimo versu lego *dedicavit*, & in ultimo fortassis insculptus fuerat dedicationis dies, quem modo ex Calendario Venusino suppleri posse censeo. Alium votivum titulum MARTI INVICTO dedicatum prope Bagnerias in Vasconia descripsit Bimardus, & misit Muratorio, qui eum edidit pag. XLIII. num. 7.

D. 15. In Calendario Maffaeiano hic dies dicitur NP, in Venusino autem N. Praeterea Venusinum hanc notam addit: FERIAE IOVI, quam apponit etiam ad diem Iduum mensis Iunii. Scilicet: *Omnes Idus Iovis ferias observandas sanxit antiquitas*. Macrob. *Sat.* lib. I. cap. 15. Vid. adnotata pag. 11.

D. 16. In Calendario Venusino exstat haec nota: MERCVR. MAIAE, nempe *Natalis*, ut diserte notat Calendarium Vindobonense: XVII. Kal. Iun. N̄ MERCVRI. Martialis tamen natum esse dicit Mercurium ipsis Idibus:

Maiae Mercurium creastis Idus.

Verumenimvero, si Ovidium v. 669. audis, fuit Iduum Maii dies Mercurio festa, non ob eam caussam, quod esset dies eius natalitius, sed quia illi hisce Idibus templa

.... posuere patres spectantia Circum.

Et profecto ad annum post Romam conditam CCLVIII. haec Livius lib. II. tradit: *Eodem anno Signia Colonia, quam Rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum iterum deducta est: Romae tribus una & viginti factae; aedes Mercurii dedicata est Idibus Maiis.* Idipsum testatur Festus. Itaque, an descriptores Calendarii Venusini suo loco posuerint MERCVR. MAIAE, dubitare fas est.

D. 21. *Agonia* hoc die unanimiter notant nostra Calendaria, quibus adstipulatur Ovidius v. 721., sed sacra fuisse haec *Agonia* VEDIOVI notat solummodo Calendarium Venusinum.

D. 23. Hic dies in Calendario Maffaeiorum NP, in Venusino N dicitur. Praeterea Calendarium Maffaeianum, & pariter Exquilinum notant hoc die solummodo *Tubilustria*, Venusinum vero addit, fuisse Ferias VOLCANO dedicatas; quod ex superstitibus quatuor litteris coniicio notatum etiam fuisse in Calendario Amiternino. Ovidius de his Feriis v. 725. sic habet:

Proxima Vulcani lux est, Tubilustria dicunt:
Lustrantur purae, quas facit ille, tubae.

Vid. adnotata pag. 32.

D. 24. Notatur hic dies quatuor notis: Q. R. C. F., de quibus plura dicta sunt pag. 34.

D. 25. Litteras superstites in fragmento Amiternino ita suppleas oportet: F*ortunae* PRI*migeniae* PVBL*icae* IN C*olle*. Fragmentum Exquilinum habet: PVBL*icae* PR*imigeniae*, & Venusinum solummodo epithetum PRIM*igeniae*. Ovidius meminisse videtur dedicationis aedis Fortunae Publicae in Colle Quirinali tum Non. Aprilibus, tum VIII. Kal. Iunias; & Carolus Neapolis censuit, Nonis Aprilibus dedicatam fuisse aedem Fortunae, quae tantum *Publica* cognominabatur, & VIII. Kal. Iunias Fortunae *Primigeniae*, quae etiam dicebatur *publica*. Itaque duas aedes fuisse censet, utramque in colle Quirinali. Ast ego animadvertens, Ovidium Nonis Aprilibus *sacratam* fuisse aedem Fortunae Publicae dicere, & VIII. Kal. Iunias *datam*, suspicor utroque in loco de una eademque aede locutum esse, VIII. Kal. Iunias *data*, hoc est *vota*; & Nonis Aprilis *sacrata*, hoc est *dedicata*. Suspicionis caussam praebet Livius, qui lib. XXIX. narrat, vovisse aedem Fortunae Primigeniae Consulem P. Sempronium A. U. C. 549., & lib. XXXIV. eam tamen dedicasse post annos decem Q. Martium Rallam Duumvirum ad idipsum creatum. Porro Hermannus Samuel Reimarus *in notis ad Dionem* iure Ricquium castigat, qui in libro *de Capitolio* cap. 43. coniecerat Dionem lib. XLII. §. 26. fanum Fortunae Publicae memorantem loqui de fano Fortunae Obsequentis, sed ipse etiam Reimarus minus recte litteras PR Calendarii Exquilini explicat *Populi Romani*, non autem *Primigeniae*. Calendarium Amiterninum, & Venusinum eius interpretationem manifesto refellunt.

D. 26. Inter reliquos honores decretos Iul. Caesari post devictum in Hispania Cn. Pompeium Magni F. hunc etiam recenset Dio lib. XLIII. §. 45., quod *Caesaris imaginem cum inscriptione*: Θεῷ ἀνικήτῳ, *DEO INVICTO in fano Quirini posuerunt*. Superstites in Calendario Amiternino litteras ad hunc Iulio Caesari delatum honorem spectare crediderim. Novi equidem, quod etiam Ti. Caesar, cum Illyricum debellasset, *censuerunt quidam ut Pannonicus, alii ut INVICTUS, nonnulli ut Pius cognominaretur*, sed de cognomine Augustum intercessisse narrat Svetonius *in Tib.* cap. 17. Demum in mentem quoque venit, quod teste Tacito *Annal.* lib. II. cap. 41. *C. Coelio, L. Pomponio Coss. Germanicus Caesar a. d.* VII. *Kal. Iunias triumphavit de Cheruscis, Chattisque, & Angrivariis &c.* Sed huic historiae, quomodo aptari possint superstites in Calendario Amiternino litterae, non video.

D. 29. Dio lib. LIV. §. 18. haec narrat: *C. Furnio, C. Silano Coss. iterum natus est Agrippae filius, cui Lucio nomen factum. Hunc & fratrem eius Caium Augustus, quo tutior esset ab insidiis, non exspectans dum virilem aetatem attingerent, statim adoptavit, & heredes Imperii fecit: Ludosque, qui Virtuti, & Honori celebrabantur, in eos dies, quibus hodie aguntur, transtulit.* Ricciolius cum animadverterit, quod in Calendario Vindobonensi IV. Calendas Iunias notabantur LVDI HONOR ET VIRTVS, eo igitur die natum

natum esse Lucium statuit. Proposita a Ricciolio Dionis cum Vindobonensi Calendario conlatio placuit Norisio ad *Cenotaphia Pisana* Diss. II. cap. I., ita tamen, ut malit eo die contigisse Caii, & Lucii adoptionem, quam, praeter Lucii natalem, & profecto quam proxime, Dio memorat. Adde quod Augusti sanctio de transferendis Ludis Honori, & Virtuti sacris multo magis convenit diei adoptionis Caii, & Lucii, quam diei Lucii privati tunc hominis natalitio. Itaque cum in Fragmento Calendarii Amiternini ad diem IV. (non autem V. ut nostra tabula ex typographi oscitantia indicare videtur) Calendas Iunias hae supersint litterae . . . OD EO DIE, quae certo aliquod indicant domesticum Caesareae familiae festum, nullus dubito quin indicent *Ludos Honori, & Virtuti sacros* in hunc diem ab Augusto translatos, quod eo die Caium, & Lucium Caesares nepotes suos adoptaverit, & imperii heredes fecerit. Cave a typographico, quod apud Norisium *loc. cit.* irrepsit, mendo; perperam enim pro IV. *Cal. Iunias* legitur III. *Cal. Maii*.

NOTAE
AD TABULAM IUNII.

D. I. Descriptores Calendarii Venusini oscitanter appinxisse videntur litteram N mediam inter voces IVNONI MONETAE; ipsa enim Iuno a Romanis cognominata est *Moneta*, cuius cognominis aliam adfert caussam Cicero *de Divin.* lib.I. 45. aliam Suidas. Ubi vero quis malit credere in ipso marmore litteram N ita interpositam fuisse, tunc necesse est dicere, quod vox IVNONI indicat Iunium a IVNONE, & eius Calendas IVNONIAS fuisse appellatas. In Calendario Maffaeiorum hae Calendae tum Monetae, tum etiam Marti, & Carnae dicuntur sacrae, quia scilicet eo die, praeter aedem Monetae in arce, dedicatae fuerunt aedes Marti extra portam Capenam, & aedes Divae Carnae, quae vitalibus humanis praeesse putabatur, a Bruto in Caelio monte.

D. 3. Calendarium Venusinum diem & locum aedis Bellonae notat. Vovit eam, ac fecit Appius Claudius. In regione IX. eam collocat Publius Victor *versus portam Carmentalem*.

D. 4. Cave typographicum mendum. Ad hunc diem in Calendario Venusino pertinent solum hae litterae, HERC. MAGN. CVSTO; reliquae vero ad diem posterum. Aedem Herculis Custodis in Circo Flaminio fuisse testantur etiam Rufus, & Victor.

D. 5. Ad hunc igitur diem respiciunt in Calendario Venusino voces, DIO FIDIO IN COLLE. Si Ovidium audis v.217., Dium Fidium

..... veteres donarunt aede Sabini,
Inque Quirinali constituere iugo.

Sed Dionysius eam aedem ab ultimo Tarquinio exstructam fuisse tradit, dedicatam vero An. U. C. CCXXCVIIII. a Consule Spurio Postumio, cui ex S. C. concessum fuit, ut ei nomen suum inscriberet.

D. 8. Aedem Menti in Capitolio ab Attilio Praetore votam, T. Octacilius Crassus dedicavit. Vid. Livium lib. XXXII. & XXXIII.

D. 9. VEST. *Vestalia*. Varro *de L.L.* lib.V: *Dies Vestalia, ut virgines Vestales Vestae sacrificent*.

D. 10. Cognomen *Militis* Marti tribuit Calendarium Venusinum, nec memini hoc alibi me legisse. Fortassis ita vocabatur Mars, cui ara, & templum erat in campo Martio, ubi iuventus Romana ad cuiuscumque generis militiam instituebatur. Dubitabam quoque, an *Mars Miles* idem sonet ac *Mars Gradivus*, hoc enim nomine Mars dicebatur, docente Servio *Aen.* lib.I. vers.296. *cum saevit*; & Festus, alias licet memoret cognominis Gradivi caussas, hanc tamen primam adfert: *Gradivus Mars appellatus est a gradiendo in bella ultro, citroque*.

D. 11. MATR. *Matralia*, Deae Matris Matutae festum. Eius templum Romae in foro Boario primitus dedicavit Servius Tullius, refecit M. Furius Camillus, restaurarunt A.U.C. DXLI. Triumviri ad id creati.

D. 13. Calendarium Venusinum notat, FERIAE IOVI, & haereo an quia omnes Idus Iovi sacrae, an vero quia, ut testatur Ovidius v. 650., Iuniis

Idibus INVICTO sunt data templa IOVI.

Templum Iovis cognomine *Invicti* Romae fuisse indicat etiam Tullius *de Legibus* lib.II. §.11.

D. 15. *Dies, qui vocatur* Q. S. D. F., *Quando Stercus Delatum, Fas; ab eo appellatus, quod eo die ex aede Vestae stercus everritur, & per Capitolinum clivum in locum defertur certum*. Sic Varro *de L. L.* lib.V. In editis tamen eius libris notae illae Q. S. D. F. desiderantur librariorum negligentia. Ovidius de hoc die ita cecinit lib.VI. vers. 713:

Haec est illa dies, qua tu purgamina Vestae,
Tibri, per Etruscas in mare mittis aquas.

Igitur *stercus* dictum est quicquid humo stratum everrebatur ex aede Vestae, ut fieret pura. Deferebatur autem, ut scribit Varro, per *Capitolinum clivum in locum certum*, quem Festus, v. *stercus*, appellat *angiportum medium fere clivi Capitolini*; & addit, *qui locus clauditur porta stercoraria: tantae sanctitatis* (illud nempe *stercus*) *maiores nostri esse iudicaverunt*. Praeterea apud eumdem Festum, v. *quando*, legitur, quod *stercus ex aede Vestae in alvum Capitolinum deferebatur*, ubi Fulvius Ursinus pro *alvum* legendum censet *clivum*, nam *clivi* tum Varro meminit, tum ipse Festus v. *stercus*. At mihi magis arridet lectio vulgaris, & puto *alvum*,

R 2 seu

ſeu *alveum Capitolinum* dici foſſam, ſeu *cloacam* in clivo Capitolino ad id exſtructam, ut aedis Veſtae purgamina reciperet, atque ita excavatam uſque ad aquas, quae in profundo ſunt, ut eadem purgamina ſenſim in mare Tibris deferret ſecundum Ovidii teſtimonium *verſ. cit.*, nec non *v.*228. Ne quid autem aliud in illam cloacam immitteretur in angiporto ſita erat, & eius os claudebatur.

D.19. Calendarium Amiterninum, & Exquilinum notant: MINERVAE IN AVENTINO; & quidem teſte etiam Ovidio *Faſt.* VI. verſ. 728. hoc die

Coepit Aventinâ Pallas in arce coli.

At Verrius dedicationem templi Minervae in Aventino memorat die XIX. Martii, cui Feſtus concinit v. *Quinquatres*. Vide adnotata pag.30. Apud Grut. pag. XXIX. exſtat titulus deſcriptus ex lapide Tiburtino inter rudera Aventini reperto teſtificans eum lapidem a Q. Caecilio Metello Pont. Max. coniectum fuiſſe in fundamenta Porticus Minervae Aventinenſis. Notantur in eo Coſs. L. Cornelius Sylla, & Q. Caecilius Metellus ſignantes annum ab Urbe condita DCLXXIII. al. LXXIV.

D. 20. Calendaria Amiterninum, Exquilinum, & Venuſinum concorditer notant: SVMMANO AD CIRC. MAXIM. Concinunt Sextus Rufus, & P. Victor *Aedem Ditis* Reg. XI. conſtituentes, & diſerte Victor in Circo Maximo. Scilicet Ditis, ſeu Plutonis cognomen erat *Summanus*. Ovidius *Faſt.* lib.VI. locum reticet, quo Summani templum ſitum erat, ſed tempus monet, quo dedicatum fuit, ita enim verſ. 731. canit:

Reddita, quiſquis is eſt, Summano templa feruntur
Tum, cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.

At enim cur *reddita*? Explicat mihi Varro *de L. L.* lib. IV. *Aedes*, inquit, *Sabinorum linguam olent, quae Tatii Regis voto ſunt Romae dedicatae; nam, ut Annales dicunt, vovit Opi, Floraeque, Diovi, Saturnoque, Soli, Lunaeque, Volcano, SUMMANOQUE; itemque Larundae, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianae, Cloacinaeque*. In editis pro *aedes* male legitur *ea res*: & ex hoc Varronis loco ſic emendato arguo, votas a Rege Tatio *aedes* progreſſu temporis ſecundum Haruſpicum reſponſa, aut Pontificum placita dedicatas fuiſſe, & idcirco, cum erigebantur, & dedicabantur, conſueviſſe eas dicere *redditas*, quia iam *votas*.

D. 24. Varro *de L. L.* lib. V. *Dies*, inquit, *Fortis Fortunae appellatus ab Servio Tullio Rege, quod is fanum Fortis Fortunae ſecundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Iunio menſe*. Locum fani diligentius indicat Ovidius dicens v. 776. fuiſſe illud poſitum *in Tiberis ripa*, & v. 784. *dubiae propinquum Deae*; neque enim generice *dubiam Deam* hic nominat Fortunam, ſed Fortunam ita cognominatam, cui erat in Aventino aedes, & vicus ab ea appellatus *Fortunae Dubiae*, ut conſtat ex P. Victore. Calendarium autem Amiterninum etiam quid amplius teſtatur; notat enim Fortis Fortunae fanum fuiſſe Tranſtiberim, unde conſtat fuiſſe in ripa Tiberis contra Aventinum. Demum ex eodem Calendario Amiternino intelligitur, deſcriptores Calendarii Exquilini perperam legiſſe: FORT. FORT. ET AD XIIII. ET ... Ne dubites inſculptum fuiſſe: FORT. FORT. TR. AD MILL. I. ET ... ſupple VI.

D. 26. In exemplo fragmenti Calendarii Amiternini, quod mihi ab erudito viro communicatum eſt, appoſitae erant ad diem VI. Cal. Iulias litterae, quas exhibet tabula, ſed reſtituere, ac ſupplere ſic eas oportet: FER. EX S. C. *quo*D EO DIE C*aeſar* AVGVS*tus* FILIV*m* ADOP*tavit ſibi Ti. Caeſarem*. Facem mihi praefert Velleius Paterculus lib. II. *Hiſtor. Rom.* cap. 103. ubi narrat, quod Caeſar Auguſtus, poſt Lucii, ac Caii Caeſarum obitum, Tiberio *Tribunitiae poteſtatis conſortionem conſtituit, & eum Aelio Cato, & Sentio Coſs. V. Calend. Iul. poſt Urbem conditam annis DCCLVI. adoptavit*. Praeterea poſt haec Paterculus *laetitiam illius diei, concurſumque civitatis, & vota pene inſerentium caelo manus*, exaggerat, ex quo etiam colliges haud mirum eſſe, quod is dies Faſtis inſcriptus fuerit, & annuo ſacrificio auctus, ob cuius certe cauſſam notatur in Calendario Amiternino NP. Verumenimvero ſicuti mancas in Calendario Amiternino, evaneſcenteſque litteras Paterculus ſupplet, ſic mutuo Calendarium Amiterninum Paterculi editiones emendat, quae habent *V. Cal. Iul.* reſtituere enim oportet *VI. Cal. Iul.*, cum fidendum profecto ſit magis inſcalptis in marmore litteris, quam calamo exaratis in libris.

D. 29. In Calendario Venuſino ad hunc diem notatur: QVIRINO IN COLLE. Ovidius ſic concinit v. 796:

Tot reſtant de menſe dies, quot nomina Parcis,
Cum data ſunt trabeae templa, Quirine, tuae.

Itaque eadem verba: QVIRINO IN COLLE, quae in Calendario Farneſiano ad diem XVII. Februarii notantur, non indicant diem anniverſarium dedicationis primae aedis Quirino dicatae, ſed quod ad aedem Quirini *Quirinalia* agebantur. Et ſane quod prima, quae facta eſt aedes Quirino, uti Deo, hoc die dedicata fuerit bene convenit cum hiſtoria, quae Romuli raptum contigiſſe narrat Nonis Quintilibus veteris illius anni. Deinde vero Iulius Proculus narravit, quod Romam veniens ab Alba Romulum ad Deos evehi viderat; & cum populus, natura ſua ſuperſtitioſus, hoc ſibi perſuaſiſſet, tunc Romulo ſub Quirini nomine templum dedica-

tum

tum fuisse videtur hoc die. Duas exstitisse aedes Quirini in colle, superius adnotavi; quamobrem in incerto est quam Dio lib.XLI. §.14. exustam dicat an. 705. aut paullo ante, & de qua idem Dio lib.XLIII. §.45. loquatur narrans an.708. positam fuisse post Hispaniensem victoriam Iulii Caesaris imaginem in aede Quirini cum titulo: *Deo invicto*. Exustam tamen quantocyus, secundum P.R. eius aetatis magnificentiam, fuisse instauratam crediderim, & in ea Caesaris imaginem fuisse positam.

NOTAE

AD TABULAM IULII.

D. 1. Calendarium Antiatinum notat: FELICITATI IN CAPITOLIO. Alia Felicitatis aedes sita erat in campo Martio, ut constat ex veteri marmore apud Fabrettum *Inscript.* pag. 455. ex quo superius quoque eius memini p.103., & alia etiam fuit in theatro Pompeiano, ut constat ex Calendario Amiternino ad diem 12.Augusti. Aedem Capitolinam post bellum Hispaniense, teste Dione *in Fragmentis* num. LXXXI. condidit Lucullus, quem *inter Romanos primum aedem huic Deae constituisse* animadvertit S. Augustinus *de Civ. Dei* lib.IV. cap.23. Sita autem erat non in summo Capitolio, sed ad radices in parietinis Curiae Hostiliae adversus Rostra, & secus viam triumphalem; quod facile intelliges si conferas, quae narrant de Iulio Caesare Dio lib. XLIII. §. 21., & Svetonius in *Iul.* cap.37. Memorant illam etiam Cicero *in Verrem* or. VI., Strabo lib.VIII., & Plinius *in Hist. nat.* pluries; & a Dione lib. XLIV. §.5. discimus instauratam fuisse a Lepido, dum esset Magister Equitum.

D. 4. Calendaria Amiterninum, & Antiatinum notant constitutam esse ab Augusto hoc die *Aram Pacis*, & Calendarium Amiterninum designat etiam quo loco, & quo anno. Vid. superius adnotata pag. 18.

D. 5. POPLIF. *Pupulifugia*. Hic dies facile dignoscitur ita appellatus a fuga populi; sed quo tempore ea fuga contigerit, & ob quam caussam, ignorabant etiam veteres; aliam enim caussam allegat Varro lib.V. *de LL.*, aliam Piso apud Macrobium *Sat.* lib.III. cap.2., & aliam Dionysius *Antiquit.* lib.II. Hoc die erant FERIAE IOVI, teste Calendario Amiternino. Vid. inferius adnotata ad diem huius mensis XII.

D. 6. Calendaria Maffaeiorum, Amiterninum, & Antiatinum, in quibus superest huius diei descriptio, concorditer notant hoc die initium Ludorum Apollinarium, unde arguitur, vel progressu temporis postpositos fuisse, vel mendose legi apud Livium lib. XXVI., quod P. Licinius Varus Praetor Urbanus A.U.C. DXLVI. cum iussus fuerit Ludos Apollinares, qui ex fatidicis Marcii cuiusdam carminibus, bello Punico secundo, victoriae obtinendae caussa voti, celebrabantur quotannis Praetorum arbitrio, in statum diem vovere, *primus ita vovit, fecitque ante diem* III. *Nonas Quintiles*. Fortassis emendare oportet IV. *Nonas*. Manutius ex epistolis prima, & quarta libri XVI. Epistolarum Ciceronis ad Atticum coniectatus est, hos Ludos aliquando incoepisse ipsis Nonis Iuliis, sed falso. In eis epistolis Cicero loquitur non de horum Ludorum vel primo, vel altero die, sed de appellatione data huius mensis Nonis a L. Antonio in edicto editionis Ludorum Apollinarium illius anni, iussu, & nomine M. Bruti absentis, ad quem eos edere spectabat, quia Praetor tunc erat; imprudens enim L. Antonius eas Nonas appellaverat Iulias, non Quintiles, proximis licet Idibus Martiis ipse Brutus Iulium Caesarem, ut tyrannum, interfecisset. Itaque cum huius rei notitiam ab Attico Cicero accepisset iens ad Brutum in Nesidem insulam Campaniae, statim respondit quid ipse stomachatus sentiret; deinde vero scripsit in *epist.* 4. quod M. Brutus mirifice conturbatus est, ubi eam rem adeo sibi turpem intellexit, & quod illico statuerat L. Antonio scribere, ut venationem, quae *postridie Ludos Apollinares futura erat*, *proscriberet* III. *Idus Quintiles*.

D. 7. Calendaria Maffaeiorum, Amiterninum, & Antiatinum hoc die, & aliis quinque diebus subsequentibus, notam adponunt: LVDI; ex quo liquet, Ludos Apollinares per septem continuos dies durasse: incipiebant enim pridie Nonas, & complebantur IV. Idus Quintiles, quem fuisse eorum ultimum diem diserte nos docet Cicero appellans *loc. cit.* diem III. Idus Quintiles diem postriduanum Ludorum Apollinarium. Eos Ludos per plures dies durasse iam noverant eruditi, sed incerti de eorumdem dierum numero.

D. 12. In Calendariis Amiternino, & Antiatino notatur hoc die *Iulii Caesaris natalis*; & sane hic mensis *in honorem Iulii Caesaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio M. filio Consule, Iulius appellatus est, quod hoc mense a. d.* IV. *Idus Quintiles Iulius procreatus sit*; quae sunt ipsa Macrobii verba *Sat.* lib.I. c.12. Porro narrat Dio lib.XLIV. §.4., quod Senatus Iulio Caesari inter reliquos honores hunc decrevit, ut publica sacra fierent natali eius die; & lib. XLVII. §.18. addit, Triumviros coegisse omnes, ut Iulii Caesaris natalem laureati, & hilares celebrarent, ac quoniam eo die Apollinares Ludi agebantur, interdictumque erat Sibyllino oraculo, ne tunc alius Deus praeter Apollinem coleretur, mandasse, ut natalitia Caesaris peragerentur *pridie eius diei*, ut habent Dionis interpre-

terpretes, quos tamen eius verba perperam interpretatos esse nostra haec Calendaria ostendunt; testantur enim, quod Ludi Apollinares fiebant etiam *pridie eius diei*. Itaque interpretari oportet *pridie eorum*, scilicet, *Ludorum Apollinarium*; nimirum III. Nonas Iulias, quo die nostra Calendaria, ut animadvertimus, notant: FERIAE IOVI, fortassis ob hanc caussam. Dionis textus is est: Καὶ (συνέβαινε γὰρ ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ καὶ τὰ Ἀπολλώνια γίγνεσθαι) ἐψηφίσαντο, τῇ προτεραίᾳ τὰ γενέσια ἀγάλλεσθαι. *Ac, quoniam die Caesaris natali Apollinares Ludi fiebant, pridie eorum natalitia Caesaris peragi iusserunt*.

D. 13. Calendaria Maffaeiorum, Amiterninum, & Antiatinum, quae concorditer superioribus diebus habent solummodo vocem LVDI, concorditer hoc die addunt LVDI IN CIRCO ad significandum, hos ludos fuisse ab Apollinaribus distinctos. Ex *loc. cit.* Ciceronis ep. 4. lib. XVI. *ad Atticum* discimus, quod dedit hoc die M. Brutus, tunc Praetor, venationem. Forte ita consueverat, ut Diana coleretur post Apollinem.

D. 15. In Calendariis Maffaeiorum, & Amiternino hic dies, & quatuor etiam dies subsequentes hac nota distinguuntur, MERK., qua in Calendario Maffaeiorum notatur etiam proximus superior dies; haereo tamen utrum ex fide marmoris, an vero ex oscitantia descriptorum; etenim in Amiternino quinque solum dies sic notantur; & in Calendario Antiatino ad hunc Iduum diem legitur: MERCATVS QVINQVE DIES. Porro ex hac ipsa Calendarii Antiatini nota omnis etiam tollitur dubitatio de interpretatione vocis MERK. Calendarium Antiatinum non modo ad hunc diem, sed etiam ad diem XVIII. Novembris integram exhibet vocem MERCATVS; praetereaque in Calendario Capranicorum ad dies XX. XXI. XXII. & XXIII. Septembris animadvertas velim insculptum esse MERCA., & in Pinciano die XXII. & XXIII. Septembris MERC.

D. 18. In Calendariis Amiternino, & Antiatino haec exstat nota: DIES ALLIENSIS. Grammatici dubitarunt, an scribere oporteat ALIENSIS, an ALLIENSIS. Certam habes scribendi rationem in marmoribus insculptam. Cui autem non dicta pugna, qua Romani a Gallis ad Alliam caesi sunt? Contigit illa hoc die, quo olim tercenti etiam Fabii ad Cremeram caesi ad unum fuerant; & idcirco hic dies religiosus, ater, & infaustus habebatur. Audi Livium lib. VI. ad A. U. CCCLVI. *Diem*, inquit, *a. d.* XV. *Kal. Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Alliam cum exitio Urbis foede pugnatum, a posteriori clade ALLIENSEM nuncuparunt, insignemque rei nulli publice privatimque faciendae fecerunt*. Vid. Norisium ad *Cenot. Pisan.* Diss. III. cap. 3.

D. 19. LVCAR. *Lucaria festa*, inquit Festus, *in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit, pro eo quod victi a Gallis, fugientes e praelio ibi se occultaverunt*. Iosephus Scaliger quemdam Varronis locum lib. V. *de LL.* sic corrigit, ut videatur ibi Varro loqui de hoc ipso Lucariorum festo; at mihi cum locum sic potius emendare placet: *Luci item a luce, quod eis, quia non lucent, cultus institutus*; & fortassis Varronem tacito nomine sequitur Servius, ubi *Aen.* lib. I. v. 445. haec habet: *Lucus dicitur quod non luceat, non quod sint ibi lumina caussa religionis, ut quidam volunt*. Macrobius *Saturn.* lib. I. cap. 4. notat Masurium Sabinum scripsisse: *Eam noctem, deincepsque insequentem diem, qui est Lucarium*, pro *Lucariorum*.

D. 20. In Calendario Maffaeiorum legitur: LVD. VICT. CAESAR., in Calendario Amiternino: LVD. VICTOR. CAESAR. DIVI IVLI COMMIT. En dies, si bene sentio, de quo loquitur Dio lib. XLV. §. 7: Τόν τε γὰρ μῆνα τὸν Ἰούλιον ὁμοίως ἐκάλεσαν, καὶ ἱερομηνίαις τισὶν ἐπινικίοις ἰδίαν ἡμέραν· ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἐβουθύτησαν. *Quippe & mensis eius natalis simili de caussa Iulius nominatus, & in supplicationibus ob victorias celebrandis die peculiari, sacra eius nomine facta sunt*.

D. 21. Calendaria Maffaeiorum, & Amiterninum indicunt iterum LVCARIA, & in primo etiam additur: LVDI.

D. 22. In Calendario Pinciano: LVDI CONC. Forte COMM.

D. 23. NEPT. *Neptunalia*. In Calendario Maffaeiorum indicuntur solum LVDI, in Calendariis Pinciano, & Allifano etiam FERIAE NEPTVNO.

D. 25. FVRR. *Furrinalia*. Hic dies in Calendariis Maffaeiorum, & Allifano notatur NP, in Pinciano N.; sed hoc Calendarium Pincianum ad nos pervenisse oscitanter descriptum indubium est. In Calendario Maffaeiorum indicuntur solum LVDI, in Allifano, & Pinciano etiam FERIAE FVRRINAE. Conveniunt autem in scriptura nominis eius Deae per duplicem RR.

D. 30. Ex fractura marmoris videtur factum, quod descriptores Allifani Calendarii dimidiatam litteram Q converterint in litteram C. In Calendario Exquilino eius editores legerunt HVIVSQVE, quam lectionem Marius Victorinus comprobat in libro *de Orthographia*; ubi haec docet: *Et HUIUSCE, & HUIUSQUE recte scribuntur, sed suo loco utraque. Nam ab hocce, & ab hacce fit, HUIUSCE; HUIUSQUE autem alius significat*, idest, *uniuscuiusque*. Vid. Brissonium lib. I. *de Formulis*. Fortunae *huiusque diei*, quae nimirum praevalet in omnes dies, meminit Tullius lib. II. *de Legibus* §. 11., & Plinius *Hist.* lib. XXXIV. cap. 8. Eius aedem Victor collocat in Reg. X.

NO-

NOTAE
AD TABULAM AUGUSTI.

D. 1. Calendaria Capranicorum, & Antiatinum indicare videntur, dedicatam fuisse hoc die aedem SPEI, quam praeterea Calendarium Capranicorum positam dicit AD FORVM HOLITORIVM, ubi eam collocat Livius lib.XXI., & quae a Collatino consecrata primum fuit, teste Cicerone *de Leg.* lib. II. Verum, teste Dione lib. L. §. 11., cum paullo ante bellum Actiacum arsisset, instaurata est a Germanico, qui, ut loquitur Tacitus *Annal.* lib. II. §. 49., eam etiam *sacravit*, & fortassis hoc ipso die. Praeterea eadem haec duo Calendaria hoc die natalem notant TI. CLAVDII, cui Calendarium Capranicorum addit *Germanici* cognomen, etsi illud Claudius non adsumpsit, nisi postquam maior eius frater Germanicus in familiam Iuliam adoptatus fuit. Hoc ei obvenit, quia Senatus non solum patri eius Druso, sed etiam Drusi posteris ob Germaniam devictam illud decreverat. Natus est Ti. Claudius, ut certos nos facit Svetonius in eius *Vita* cap. 2., Iulio Antonio, & Q. Fabio Maximo Coss., qui A.U. designant DCCXLIII., & hoc die ob natalem eius equestria exhiberi consuevisse certamina, discimus ex Dione lib. I., quae tamen instituta fuisse videntur, postquam ille adeptus est Imperium. Itaque obiter animadvertam, hinc argui posse, quod non modo Calendarium Antiatinum, sed etiam Capranicorum multo recentius insculpta fuerint Calendariis Maffaeiorum, & Amiternino, ubi nulla nec aedis Spei a Germanico sacratae, nec natalis Ti. Claudii mentio est. Porro Calendarium Amiterninum hanc aliam exhibet notam: FERIAE EX S. C. Q. E. D. IMP. CAESAR DIVI F. REMPVBLICAM TRISTISSIMO PERICVLO LIBERAT; & Antiatinum, praeter natalem Ti. Claudii, & aedis Spei dedicationem, notat: AVG. ALEXAND. RECEPIT. Hae duae notae unam eamdemque Augusti victoriam, ut puto, respiciunt. M. Antonius apud Actium victus una cum Cleopatra confugit Alexandriam; & regiam hanc urbem proximo anno obsedit Augustus, & illa *brevi potitus est*, ut Svetonius loquitur *in Aug.* cap. 17. Id accidisse hoc die diserte testatur Orosius *Hist.* lib. VI. cap. 19. ubi ait: *Kalendis Sextilibus prima luce cum Antonius ad portum descenderet, subito universae naves ad Caesarem transfierunt*; & inde prosequitur Orosius dicere, hinc factum esse, ut Antonius trepidus in regiam se cum paucis receperit, & imminente Caesare, turbataque civitate, se se ferro transverberaverit: Caesar vero Alexandria victor potitus est. En igitur quomodo hoc die *Augustus Alexandriam recepit*, ut notat Calendarium Antiatinum, & quomodo, ut loquitur Calendarium Amiterninum, *Rempublicam tristissimo periculo liberavit*. Liberavit, quia adegit M. Antonium ut se interficeret. Ad intelligendam horum Calendarii Amiternini verborum vim praestitit mihi opem C. Velleius Paterculus, qui lib. II. cap. 85. de bello Actiaco sic loquitur: *Advenit maximi discriminis dies, quo Caesar Antoniusque productis classibus, pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicaverunt*. Concinit Pacatus *in Paneg.* XII. 33. *Tanta erat*, inquit, *dissimilitudo caussarum, ut ab illis* (h. e. Antonianis) *fuerit Romani Imperii appetita captivitas, ab his* (h. e. Caesarianis) *repetita libertas*. Qua de re nemo non videt in tristissimo plane periculo versatam tunc esse Rempublicam, a quo eam Caesar liberavit. Et quidem inter varias caussas, ob quas hic mensis Sextilis ante vocatus, Senatui placuit, ut Augustus appellaretur, hae duae fuerunt praecipuae: quod *Aegyptus hoc mense in potestatem Populi Romani redacta sit* (en nota: AVG. ALEXANDRIAM RECEPIT): & quod *finis bellis civilibus impositus sit* (en nota: AVGVSTVS REMPVBLICAM TRISTISSIMO PERICVLO LIBERAT). Senatusconsultum de hac re, statim ac Caesar absolutissimam hanc obtinuit adversus M. Antonium victoriam, latum Macrobius recitat *Saturn.* lib. I. cap. 13.

D. 2. Calendarium Amiterninum duas eodem die, etsi non eodem anno, partas a Iul. Caesare victorias, alteram in Hispania citeriore, alteram in Ponto de Rege Pharnace, adnotat; reliqua vero Calendaria memorant solummodo primam. Caussam quaeris? Suspicor, quia nec ipse quidem Caesar pluris alteram fecit; cum enim Pharnacem quatuor, quibus in conspectum venit, horis una profligaverit acie, hanc victoriam nullius pretii habuisse videtur; nam ex ea potius occasionem rapuit irridendi *Pompeii felicitatem, cui praecipua militiae laus de tam imbelli genere hostium contigisset, ita ut Magnus habitus fuerit, & cognominatus*. V. Appianum *de B. C.* lib. II., Svetonium *in Iul.* cap. 35. Verumenimvero factum bene est, quod saltem Calendarium Amiterninum huius etiam victoriae diem designaverit. Hinc historia Appiani illustratur, ut superius adnotavi pag. 118. Quod vero ad primam pertinet Hispaniensem Iul. Caesaris victoriam, en qua ratione Orosius Hispanus *Histor.* lib. I. cap. 2. fines Hispaniae citerioris describit: *Hispaniam citeriorem ab Oriente incipientem, Pyrenaei saltus a parte Septentrionis usque ad Catabros, Asturesque deducunt, atque inde per Vallaeos, & Oretanos, quos ab occasu habet, posita in nostri maris littore Carthago determinat*.

D. 5. Hic dies in Calendariis Maffaeiorum, & Amiternino dicitur F., in Calendario Capranicorum C., in Antiatino NP. In primo nulla

nulla est nota, in reliquis tribus: SALVTI IN COLLE; praetereaque Calendarium Capranicorum addit: SACRIFICIVM PVBLICVM. Aedem Salutis in Colle Quirinali iuxta portam, quae ab ea Salutaris dicta est, Consul vovit, Censor locavit, Dictator dedicavit A. U. CDLXII. C. Iunius Bubulcus, teste Livio lib. X. At cur *sacrificium publicum*? Quia pro universo populo offerebatur, cum singuli hominum sanitate corporis frui indigeant. Vox *publicus* immutata est ab antiqua voce *poplicus*, quae a voce *poplus* pro *populus* exorta est.

D. 8. Nota, quae huic diei apposita est in Calendario Capranicorum, ad posterum diem spectat. Lapicida in eo quoque peccavit, quod insculpserit SOLI INDIGITIS pro INDIGITI. Demum hic quoque indicitur SACRIFICIVM PVBLICVM, ob eamdem rationem, quam exposui paullo superius D. 5.

D. 9. In Calendario Amiternino hic dies dedicatus dicitur SOLI INDIGITI IN COLLE QVIRINALE, & feriatus ob victoriam Iul. Caesaris Pharsalicam. Quod pertinet ad primam notam animadvertere oportet, complures de origine, & vi vocis INDIGITI sententias referre Servium ad v. 794. lib. XII. *Aen.*, & eam Latinos scriptores vario sensu usurpasse. Hic tamen, ut sentio, usurpatur eo sensu, quod omnes Solis indigent: aut indicat eam Solis virtutem, cuius, secundum anni tempora, indigebat praecipue P. R., ut ei aer salubris foret, & ager fertilis. Praeterea *Sol* poterat dici *indiges* eadem ratione, qua a Minutio eleganter dictus est in Octavio *terris omnibus sparsus*: qui *praesens ubique interest, & miscetur omnibus*. Hic autem dies non solum in Calendario Amiternino, sed etiam in Maffaeiano, Capranicorum, & Antiatino notatur NP., nempe ob SACRIFICIVM PVBLICVM, quod expresse indicit Calendarium Capranicorum. Demum fuisse aedem Solis in Colle Quirinali, quae etiam cuidam vico nomen praestabat, constat ex Rufo; & topographiae veteris Romae enarratores coniiciunt in declivitate Collis sitam fuisse. Iamvero quod pertinet ad victoriam Pharsalicam, quam hoc die contigisse Calendaria Amiterninum, & Antiatinum declarant; puto equidem, quod idem declaratum foret etiam in Calendario Maffaeiorum, sed primi descriptores legerunt: HOC DIE CAESAR HISPALI VICIT, pro PHARSALIA VICIT, non animadvertentes de Hispaniensi Iul. Caesaris victoria contra Cn. Pompeium Magni F. ceptisque ab eo Corduba, Hispali, aliisque urbibus Hispanis nunciatum fuisse Romae, teste Dione lib. XLIII. §. 42. mense Aprili pridie Paliliorum. Hinc autem insuper colliges; falso creditum quod cautum fuerit, ut hic dies, quem *cruentissimum Romani nominis diem* Paterculus lib. II. cap. 52. appellat, a posteris ignoraretur. Haec opinio apud eruditos diu invaluit, quia perperam interpretabantur hos Lucani versus lib. VII. v. 407:

. . . . Pharsalia tanti
Caussa mali. Cedant feralia nomina Cannae,
Et damnata diu Romanis Allia Fastis.
Tempora signavit leviorum Roma malorum,
Hunc voluit nescire diem . . . .

Quamobrem plures docti viri eum diem inquirere studuerunt, & praecipue Ioh. Baptista Bellus edita *de Pharsalici conflictus mense & die Diatriba*, a Graevio *Roman. Antiquit.* Tom. VIII. recusa, & cl. Henricus Norisius, qui adeo diligenter, acuteque veterum Latinorumque Scriptorum de Pharsalico conflictu testimonia perpendit, atque inter se contulit, ut eum diem quamproxime circumscripserit, *Epoch. Syromacedonum* Diss. III. cap. 5. pag. 163. At vero liquet modo dies certus huius conflictus, praetereaque verborum Lucani liquet sensus & vis, qui hoc unum exaggerare intendit, quod Roma *hunc voluit nescire diem*, ut vitiosum, infaustum, & atrum, quia ille in Fastis non a Pompeianorum clade signatus est, sed a victoria Caesaris.

D. 10. Hic dies in Calendario Maffaeiorum notatur C., in reliquis certe recentioribus NP. Constitutae sunt eo die arae Cereri, & Opi, ut notat Calendarium Capranicorum, *in vico iugario*, in quo eas collocat etiam P. Victor. Amiterninum vero Calendarium tempus insuper indicat, quo constitutae illae sunt arae, Consules nominans Creticum, & Longum, seu Longinum. Quoniam vero Q. Caecilius Metellus Creticus A. U. DCCLIX. al. LX. cum A. Licinio Nerva Sillano Consul processit, videtur quod Longus, seu Longinus esset hoc mense Consul Licinio suffectus; & quod P. Cornelius Lentulus Scipio, & T. Quinctius Crispinus Valerianus, qui ex duabus antiquis inscriptionibus Augusti Trib. Potest. XXX. notatis Consules hoc anno suffecti dignoscuntur, Magistratum inierint non Kal. Iuliis, ut sine caussa confidenter statuitur in editis Fastorum Consularium Catalogis, sed alio mense, & post hanc decimam mensis Augusti diem. Caussam vero constituendi eas aras dedit fortassis annonae penuria, qua tunc Roma laborabat; etenim hoc anno, teste Dione lib. LV. §. 31., Augustus ob bella, & famem vehementer conturbatus, cuidam mulieri vaticinanti fidem se praestare simulans, ludos magnos vovit, aliaque peregit ad consolandam plebem, inter quae adnumerandum esse coniicio, quod Cereri, & Opi aras EX VOTO SVSCEPTO constituit.

D. 12. Calendarium Amiterninum indicat anniversarium diem dedicationis aedis HERCVLIS INVICTI AD CIRCVM MAX. Calendarium vero Capranicorum aedis Herculis MAGNI CV-

STODIS

STODIS IN CIRCO FLAMINIO. Praeterea Amiterninum notat eodem die seu aedes, seu aras dedicatas fuisse VENERI VICTRICI, HONORI, VIRTVTI, FELICITATI IN THEATRO MARMOREO, quam notam praecipue expendere hic iuvat. Itaque theatrum marmoreum est theatrum Pompeii, qui primus Romae stabile, & perpetuum theatrum ex lapide, non ex ligneis tabulis, ut mos erat, exstruxit; & sane tantae amplitudinis, ut octoginta millia spectatorum sedentium complecteretur, & tantae stabilitatis, ut Theodoricus ad Symmachum scripserit (Cassiod. *Var.* lib.IV. cap.51.): *Montes facilius cedere putarentur, quam soliditas illa quateretur, quando & moles ipsa sic tota de cautibus fuit, ut, praeter artem additam, & ipsa quoque naturalis esse crederetur*. Ex hac autem nota Calendarii Amiternini nunc primum Svetonius recte intelligi potest, qui *in Cl.* cap.21. scribit: *Ludos Pompeiani theatri, quod ambustum restituerat, e tribunali posito in orchestra commisit, cum prius ad superiores aedes supplicasset*. Nonnulli coniecerunt has aedes fuisse duo templa Veneri dicata theatro Pompeiano superposita, unum Veneri Victrici, alterum Victoriae, & meditati sunt idipsum innuisse Plutarchum in Pompeii vita, quia narrat, Pompeium theatro superposuisse ἱερὰ Ἀφροδίτης νικηφόρυ. Addunt Tironem Tullium Ciceronis libertum hoc etiam confirmare in epistola, quam recitat Gellius lib.x. c.1., quia scribit, Pompeium dedicasse aedem *Victoriae*, *cuius gradus vicem theatri essent*. Nugae. Pompeius non modo aedem Veneris Victricis theatro suo superpositam, sed totum ipsum theatrum appellavit templum Veneris, quemadmodum luculenter Tertullianus in lib. *de Spectaculis* cap. 10. nos docet ipsa citans Pompeii verba, quibus usus fuerat in edicto, quo ad theatri sui dedicationem populum vocavit: *Veritus quandoque memoriae suae censoriam animadversionem, Veneris aedem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit, cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum*. At vero, praeter templum Veneris, alias quoque minores aedes ad ornatum amplissimi theatri additas fuisse, nunc constat ex Calendario Amiternino, & hae sunt *superiores aedes*, ad quas, teste Svetonio, Claudius supplicavit. Quis eas fecerit, haud possum adserere, notare tamen iuvat in tabulis Ancyranis Augustum de se ita loqui: CAPITOLIVM ET POMPEIVM THEATRVM VTRVMQVE OPVS IMPENSA GRANDI REFECI SINE VLLA INSCRIPTIONE NOMINIS MEI.

D. 13. Calendarium Capranicorum haud adversatur Amiternino, quia Vortumni aedem in Loreto minore collocat, quam Amiterninum, non secus ac aedem Dianae, collocat in Aventino. Loretum, seu Lauretum in Aventino erat. Calendarium Antiatinum solummodo Dianae in Aventino aedem, Amiterninum vero praeter aedes Dianae, & Vortumni, quas memorat etiam Calendarium Capranicorum, addit CASTORI POLLVCI IN CIRCO FLAMINIO. Huius aedis meminit Vitruvius lib.IV. cap.7. Aliud templum Castoris, & Pollucis fuit in foro.

D. 14. Solum in Calendario Antiatino haec legitur nota: AVGVSTI TRIVMP. Inter caussas, ob quas hic mensis datus est honori Augusti, haec quoque in Senatusconsulto adducitur, quod IMP. CAESAR AVGVSTVS MENSE SEXTILI TRIVMPHOS TRES IN VRBEM INTVLIT; nempe Dalmaticum, Actiacum, & Alexandrinum, & quidem, Svetonio teste *in Aug.* cap.22., *continuo triduo omnes*. Igitur huius tridui primum, aut, si mavis, extremum diem designat Calendarium Antiatinum. In primo, si Servium audis ad illud Virgilii *Aeneid.* lib. VIII. v. 714:

At Caesar triplici invectus Romana triumpho
Moenia:

triumphavit exercitus, qui Antonium vicerat navali praelio: secundo qui Dalmatas vicerat: tertio ipse Caesar cum Alexandrino invectus est triumpho. Svetonius tamen *loc.cit.*, & Dio lib.LI. §.21., nec non Auctor epitomes Livii Dalmaticum triumphum Actiaco praeponunt. Porro notanda est in marmore Antiatino scriptura vocis: TRIVMP. Audi Ciceronem *in Oratore ad M. Brutum* §.48: *Ego ipse cum scirem ita maiores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali, adspiratione uterentur, loquebar sic*, ut pulcros, Cetegos, TRIVMPOS, Kartaginem *dicerem; aliquando, idque sero, convicio aurium cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi*. Itaque secundum usum loquendi populo concessum eam vocem scripserunt vernae Antiates domus Augustae. At vero non secundum usum, sed scienter ad ostentandam antiquitatem sic insculptam esse puto etiam in marmore nuper effosso, dum excavarentur fundamenta Sacrarii, quod se, & Vaticano templo dignum D. N. PIUS VI. aedificari iusserat, & iam ad fastigium evehi conspicitur. Hoc marmor continet *Acta Fratrum Arvalium sub Imp. M. Aur. Antonino Elagabalo*, & inter varios antea ignotos antiquissimi huius collegii ritus hunc praecipua animadversione dignum tradit, quod SACERDOTES CLVSI, SVCCINCTI, LIBELLIS ACCEPTIS, CARMEN DESCINDENTES, TRIPODIAVERVNT in canticum ex quinque constans versiculis, singulis ter iteratis, quod explicit repetita quinquies voce TRIVMPE. Totum hoc canticum haud refero, quia dubia est eius lectio non modo ob litterarum rudem implexamque formam, sed etiam quia plures in eo insertae videntur voces primaevae aetatis linguae Romanae. Primus ter iteratus versiculus is est: ENOS LASES IVVATE; forte: *En nos Lases iuva-*

iuvate, olim enim *Lases* dicebantur, qui postea Lares, teste Terentio Scauro *de Orthographia*. Hunc autem, & quatuor subsequentes versiculos ter iteratos musice alternatim cantatos fuisse crediderim, claudentem vero totum canticum vocem TRIVMPE repetitam quinquies concorditer a choro universo. Rem adnotavi ob novitatem, ut spero, placituram, adiiciam modo plane ridiculam. Etiam in nummo non obvio gentis Papiae, quem cudi curavit *Lucius* PAPIVS CELSVS IIIVIR. legitur vox TRIVMPVS pone caput laureatum cum tropaeo ad collum; sed eam, aliorum quoque in nummis exstantium vocum Atreus, Harduinus minutatim concidens sic legendam confinxit in notis ad Plinium Tom. I. pag. 412: TRaiani Imperatoris Victoria Maxima Peperit Vrbi Securitatem. Quis temperet a risu?

D. 17. PORT. *Portunalia dicta a Portuno, cui eo die Aedes in portu Tiberino facta, & Feriae institutae*. Sic Varro *de LL.* lib. V. Calendaria Amiterninum, & Capranicorum locum notant, ubi Portunalia agebantur, nempe AD PONTEM AEMILIVM, quem tamen Calendarium Capranicorum appellat AEMILIANVM vocem adhibens ab Aemilio recte productam, sed in marmore lapicida insculpsit AEMILIANO. Porro hoc idem Calendarium, secundum primos eius editores (nam superstes frustum marmoris in his vocibus deficit: AEMILIANO AD) adiicit: AD THEATRVM MARCELLI, ex quo additamento etiam magis distincte intelligitur *Portunalia* agi consuevisse cis Tiberim, & cis Tiberim fuisse portum Tiberinum, ubi Portuni aedes facta est, & hunc portum ponti Aemilio fuisse proximum, ac demum haud multum distasse a theatro Marcelli caput cistiberinum pontis Aemilii, qui infra Aventinum ad portam Portuensem, olim Navalem dictam, transmittebat. Quis e gente Aemilia huic ponti nomen dederit, ignoratur; primitus *pons Sublicius* a lignis, ex quibus erat compactus, appellabatur. Praeterea notes velim, vocem *Portunus*, a qua *Portunalia*, in Codicibus scriptam etiam reperiri *Portumnus*, sed rectius ex fide nostrorum marmorum, scribi debere *Portunus*: & sic quoque in urna fictili sepulcrali incisam legit vocem *Portunalia* cl. Lupius, ut testatur in suis *Animadversionibus in Severae Martyris Epitaphium* pag. 91. Subit etiam Ciceronem dicere *de nat. Deor.* lib. II. §. 26: *Datum est Neptuno maritimum omne regnum, nomenque productum, ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando, paulum primis litteris immutatis*. Grammaticus sequioris saeculi, qui Calendarium Vindobonense consarcinavit, pro vetere Latina voce *Portunalia*, barbaram vocem *Tiberinalia* ad hunc diem adposuit, quia nimirum Portunaliorum festum ad Tiberim agebatur.

D. 18. Adverte ex Calendariis Amiternino, & Antiatino dedicatam fuisse hoc die aedem Iulio Caesari ad forum, in eo scilicet loco, quo eius corpus crematum fuerat, & quo, statim a funere, plebs statuerat columnam cum inscriptione: PARENTI PATRIAE. Hunc titulum Dolabella Consul haud diu post evertit; mansit tamen ara, apud quam longo tempore sacrificare, vota suscipere, & iurare plebs perseveravit.

D. 19. VIN. *Vinalia*. Vide adnotata p. 58. & seq. Manca in Calendario Amiternino nota: DIES TRISTISSI .... quo tenderet, explicat nota: AVGVSTVS EXCESSIT, quam habet Calendarium Antiatinum. Id autem comprobat auctoritas Svetonii *in Aug.* cap. 100. scribentis: *Obiit in cubiculo eodem, quo pater Octavius, duobus Sextis Pompeio, & Apuleio Coss., XIV. Kal. Septembris, hora diei nona, septuagesimo & sexto aetatis anno, diebus quinque & triginta minus*.

D. 20. Ex Calendario Antiatino habemus certum diem Lucii Caesaris emortualem, & elucet quam feliciter Norisius coniectando asseruerit, adversus Saliani, & Ricciolii opinionem, qui eum diem ad mensem Decembrem protrahebant, incidisse aliquo ex diebus inter decimum sextum, & vigesimum primum Augusti interceptis. Consule eruditissimi viri in *Cenotaphia Pisana* Caii, & Lucii Caesarum luculentissimas Dissertationes.

D. 21. CONS. *Consualia*. Calendarium Capranicorum adiicit: CONSO IN AVENTINO SACRIFICIVM, quam notam Tertullianus illustrat in libro *de Spectaculis* cap. 5., ubi testatur, quod *sacrificabant apud aram Consi XII. Kalendas Septembres Flamen Quirinalis, & Virgines*. Vid. adnotata pag. 76.

D. 22. In editionibus Calendarii Capranicorum notatur hic dies F. N., quod manifestum est mendum nescio, an lapicidae, an vero primi descriptoris. Lege EN, ut in Calendariis Maffaeiorum, & Pinciano.

D. 23. VOLC. *Volcanalia, dicta*, docente Varrone *de LL.* lib. V., *a Volcano, quod ei tunc Feriae, & quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit*. Calendarium Capranicorum addit: VOLCANO IN CIRCO FLAMINIO, ubi Volcani aedem collocat etiam P. Victor. Alterius Aedis Volcani in campo Martio positae meminit Livius lib. XXIV. Area altari instructa, a Rege Tatio olim dedicata, cui nomen *Volcanale*, erat supra Comitium, teste Festo.

D. 24. In Calendario Pinciano: LVNAE IN GRAECOSTASI. Audi Varronem *de LL.* lib. IV: *Sub dextra huius* (h. e. Curiae Hostiliae) *a Comitio*

mitio locus substructus, ubi nationum subsisterent legati, qui ad Senatum essent missi. Is Graecostasis appellatur a parte, ut multa. A parte, nempe a regione, cum enim esset locus, ubi subsistebant nationum legati ad Senatum missi, dictus est Graecorum statio a Magnae Graeciae populis, quibus cum solis diu Roma dimicavit. Porro dicitur locus *substructus* ob eamdem caussam, ut puto, qua dicitur *sub dextra* Curiae. Scilicet is locus exspatiabatur in area ante gradus, per quos, ut constat ex Livio lib. I. §. 48., & ex Cicerone lib. II. ep. 1. *ad Q. fratrem*, ascendebatur ad Curiam. Aedem ibi fuisse Lunae dicatam loci amplitudinem demonstrat; & nescio, an quis alius vetus auctor huius aedis meminerit.

D. 25. OPIC. *Opiconsiva*; dies *a Dea Opiconsiva, cuius in regia sacrarium, quod ideo factum, ut eo, praeter Virgines Vestales, & sacerdotem publicum, introeat nemo*. Sic Varro *de LL.* lib. V. Macrobius vero lib. III. cap. 9. animadvertit, Romanos ignotum voluisse nomen Numinis, in cuius tutela erat urbs, sed vetusta persequentes alios hunc Deum nominasse, alios alium, & sibi videri eorum fidem firmiorem, qui Opem Consiviam illud Numen fuisse dixerunt. Ops erat Terra, & dicta est a *conserendo* Consiva, seu Consivia, Festo auctore in v. *opima*; & Macrobius lib. I. cap. 9. nos docet, Ianum quoque dictum esse *Consivium a conserendo, idest a propagine generis humani, quae Iano auctore conseritur*. Calendarium Capranicorum adiicit: OPI IN CAPITOLIO. Huius aedis meminit Livius lib. XXXIX. §. 22. Demum ex auctoritate horum marmorum disce, libros minus recte hunc diem nominare, *Opeconsiva*, sed legendum esse *Opiconsiva*. In Calendario Exquilino nota OPICON apposita est ad posterum diem ex oscitantia, ut puto, descriptoris.

D. 27. VOLT. *Volturnalia*. In Calendario Capranicorum: VOLTVRN. FLAMINI SACRIFICIVM. Forte *Volturnalis flaminis sacrificium*. Varro *de LL.* lib. VI. inter Flamines in versibus Numae memoratos, quorum cognominum origines latebant, quia obscura erat origo Deorum, a quibus videbantur cognominati, *Volturnalem* recenset. Apud Mazochium, qui primus huius Calendarii fragmentum edidit, legitur: VOLTVRNO FLVMINI SACRIFICIVM. Cum deperditum sit marmor nihil certi statuo, sed Volturnum Campaniae flumen fuisse Romae cultum ab aetate Regis Numae nec probabile est, nec verisimile; etsi hoc quoque flumen circum habitantes populi coluerunt, ut vetus lapis apud Pratillum *de via Appia* lib. II. cap. 12. testatur, cuius fidem ex caussis plane futilibus infirmare contendit Trutta *in Antiquitatibus Allifanis* Dissert. IV. Itaque meditabar, an quis suspicari posset, cultum Romae a Regis Numae aetate Volturnum fuisse potius orientalem ventum huius nominis, & sacrificasse ei quotannis hoc die Flaminem ab eo dictum Volturnalem, ne agro Romano noceret. Romanos Volturnum vocasse ventum ab Oriente hiberno spirantem docet Gellius *Noct. Attic.* lib. II. cap. 22.

D. 28. In Calendario Maffaeiorum legitur adnotatum: HOC DIE ARA VICTORIAE IN CVRIA DEDICATA EST. Memorat hanc dedicationem Dio lib. LI. §. 22. ad annum U. C. DCCXXV. nominans tamen, non *aram*, sed τὸ ἄγαλμα *imaginem* VICTORIAE; & hanc Tarento olim in Urbem advectam fuisse narrat, tunc vero in Curia Iulia ab Augusto positam spoliis Aegyptiis decoratam, ut ostenderet ex victoriis Actiaca, & Alexandrina adeptum se esse monarchicum imperium. Huius imaginis Victoriae meminit Svetonius *in Aug.* cap. 101., & exstabat adhuc non modo Dionis aevo, sed etiam post tempora longa; de illa enim loquuntur S. Ambrosius, & Prudentius contra Symmachum.

D. 31. Calendarium Capranicorum notat hoc die natalem C. Caesaris Caligulae: NAT. C. CAESARIS GERMANICI. Concinit Svetonius *in Cal.* cap. 8: *Caius Caesar natus est pridie Kal. Septembres, patre suo, & C. Fonteio Capitone Consulibus*. Germanicus, & C. Fonteius Consulatum gesserunt A. U. DLXIV. al. LXV.

NOTAE

AD TABULAM SEPTEMBRIS.

D. 1. Calendarium Antiatinum habet: FERIAE IOVI; & Amiterninum enucleate: IOVI TONANTI IN CAPITOLIO. Scilicet, ut videtur, hoc die Augustus *Tonanti Iovi aedem consecravit, liberatus periculo, quum in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam eius fulgur perstrinxisset, servumque praelucentem exanimasset*. Ita Svetonius *in Aug.* cap. 29., quod etiam testantur Tabulae Ancyranae. Hanc aedem non in summitate, sed *in Clivo Capitolino* sitam fuisse P. Victor nos docet.

D. 2. Ad hunc diem pertinet nota Calendarii Amiternini: FERIAE EX S. C. QVOD EO DIE IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS APVD ACTIVM VICIT SE ET TITIO COS. Perperam autem Purpurinus solicitat Fastos, quia in hac Calendarii Amiternini nota Augusti in Consulatu eius tertio collega dicitur M. Titius, non M. Messalla. Annus U. C. DCCXXII. al. XXIII. recte in Fastis ab Augusto, & M. Messalla signa-

tur,

tur, sed Messallae ex Calendis Maiis suffectus fuit *M. Titius*, & idcirco bellum Actiacum, quod confectum est IV. Non. Septembres, in Calendario Amiternino dicitur confectum AVG. ET TITIO COS. Puto autem etiam notam appositam in Calendario Maffaeiorum: HOC DIE FER. NEP. ad hunc diem pertinere, cum enim navali praelio apud Actium M. Antonium Augustus vicerit, idcirco institutae videntur Feriae Neptuno, cui *imperium pelagi, saevumque tridentem sorte datum*.

D. 3. Calendarium Amiterninum notat annuam supplicationem, quia Caesar Augustus hoc die vicit in Sicilia Calvisio, & Censorino Coss., qui signant A. U. DCCXIV. al. XV. At bellum Siculum, quod contra Sextum Pompeium Magni F. Augustus gessit, annos septem circiter traxit, & confecit A. DCCXVII. al. XVIII., quo etiam ob eamdem caussam ovans ingressus est Urbem Idibus Novembris, ut Fasti Capitolini testantur: & post hanc ultimam victoriam statutum esse, ut quo contigerat die supplicatio perennis fieret, tradit Dio lib. XLIX. §.15. Calvisio autem, & Censorino Coss. Caesar Sextum Pompeium in Sicilia prudentia vicit, & ad pacem ineundam adegit; ex qua factum est, ut non fuerint amplius a Pompeio, qui Siciliam occupaverat, commeatus interclusi; & P. R. ab ingravescente fame recrearetur. Vid. Dionem lib. XLVIII. Numquid creditum subsequentis belli felicem exitum hinc evenisse, ita ut vel ultima victoria signari deberet in Fastis a Consulatu Calvisii ac Censorini?

D. 4. Nota Calendarii Amiternini: LVDI ROMANI MAGNI IN CIRCO COMMIT. ad hunc diem spectat, quo etiam alia Calendaria eos ludos indicunt. Pro voce COMMIT. *committuntur*, Purpurinus legebat: C. C. M. MIL., quas notas referens ad usum proiiciendorum missilium, actis ludis, interpretatur: *ducenta missilium millia*. Nugae.

D. 13. De Libonis coniuratione lege Tacitum *Annal.* lib. II., ubi etiam narrat, ex Pompeii Flacci sententia constitutum fuisse, ut Iduum Septembrium die, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur. In Calendariis Amiternino, & Antiatino hic dies notatur NP., quod indicat sacrificium aliquod eo die fieri consuevisse. Exstat apud Gruterum pag. CXVII. num. 3. fragmentum Fratrum Arvalium, in quo eadem, qua Calendarium Amiterninum utitur, phrasi memoratur sacrificium: OB DETECTA NEFARIA CONSILIA CN. LENTVLI GAETVLICI, quem coniurationis suspectum interfici iussit C. Caligula, teste Dione lib. LIX. §. 22. Purpurinus autem inepte huc retulit Interamnensem Inscriptionem de SVBLATO PROVIDENTIA CAESARIS HOSTE PERNICIOSISSIMO P. R.; quae profecto, ut recte sensit Pighius lib. III. *Annal.* pag. 559., Seianum manifesto respicit; in ea enim notatur Cos. Cn. Domitius Aenobarbus abraso alterius Consulis nomine, nempe M. Furii Camilli Scriboniani, quia fortassis sub Claudio defecerat.

D. 14. Cl. v. Eugenius Guasco, autographo marmore cum editis exemplaribus Calendarii Antiatini conlato, animadvertit To. II. Inscript. Musei Capitolini pag. 159. mendose in eis ad hunc diem legi: INFER. DI. cum in marmore insculptum sit, INFER. DR. Hoc quidem iam me etiam monuerat antiquorum monumentorum indagator solertissimus a se compertum fuisse, marmore oculis digitisque diligentissime explorato, Domnus Henricus Sanclementius Cremonensis Abbas Monasterii SS. Andreae & Gregorii in monte Coelio. Itaque en detecti sunt mensis & dies, quibus A. U. DCCXLIV. al. XLV. Drusus, olim Decimus, mox Nero, a Livia ex Tiberio Nerone conceptus, etsi intra mensem tertium, postquam Augusto gravida nupserat, in lucem editus, Imp. Tiberii frater, Imp. Claudii pater, supremum diem morbo obiit in aestivis castris, quae ex eo *scelerata* sunt appellata. Corpus eius ad Urbem devectum, sepultumque est in campo Martio; sed exercitus honorarium ei tumulum excitavit, qui, teste Eutropio lib. VII. cap. 10., apud Moguntiacum adhuc exstabat, dum historiam suam scriberet sub Valentis principatu. Svetonius *in Cl.* cap. 1. excitatum fuisse honorarium illum tumulum dicit, ut circa eum stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent. Statum hunc diem fuisse diem 14. Septembris haud dubito. Vid. Svetonium cit. cap., & sequentibus, Dionem &c.

D. 17. Obiit Augustus XIV. Calendas Septembres, & cum ex Calendario Amiternino innotescat, decretos ei esse hoc die CAELESTES HONORES, & ex Dione lib. LVI. §. 31. decretos esse a Senatu, qui, eius corpore in Urbem illato, postridie est habitus: liquet igitur Augusti funus elatum fuisse die ab obitu eius trigesimo. In eo funere ex S. C., & publico nomine Tiberius Augustum laudavit; quam laudationem recitat Dio *lib. cit.*, & in ea sub finem Tiberius dicit, quod Senatus, post plures Augusto decretos honores, postremo SEMIDEVM, ac IMMORTALEM eum ESSE statuerat. Igitur in eodem illo Senatu editum fuisse constat decretum de Augusto consecrando, ac referendo inter Deos, & divinis honoribus afficiendo. Sic autem est consecratus: Centuriones, ut visum erat Senatui, rogum incenderunt, & dum absumeretur, aquila ex eo emissa sursum evolavit, quasi animam Augusti in caelum ferens. Porro animadvertas velim, aliud esse CAELESTES HONORES, & aliud CAELESTES

RELI-

RELIGIONES decernere. De illis hoc die Augusto decretis Calendarium Amiterninum, de his Tacitus *Annal.* lib. I. §. 1. sic loquitur: *Sepultura more perfecta, templum, & CAELESTES RELIGIONES decernuntur*. Has igitur, cum iam cineres corporis reconditae fuissent in mausoleo, Senatus statuit, ac decrevit, ut publicus, ac perpetuus Augusto haberetur cultus; & distincte eas commemorat Dio *lib. cit.* §. 46.

D. 23. Calendariis natalem Augusti hoc die notantibus concinit Svetonius *in Aug.* cap. 5: *Natus est Augustus, M. Tullio Cicerone, C. Antonio Coss. IX. Calendas Octobris paullo ante solis exortum*. Dio hoc die natum esse Augustum tradit tum lib. LVI. §. 30., tum etiam lib. LV. §. 6., ubi narrat Asinio Gallo, & Marcio Censorino Coss. A. U. DCCXLVI. decretum fuisse, ut natalitio Augusti die perennes ludi essent equestres. Enimvero semper equites Romani, ut testatur Svetonius *in Aug.* cap. 37., celebraverant biduo natalem Augusti, sed sponte. Eodem modo fere quotannis, etsi non erat decretum, aliquis ex Praetoribus eum diem celebrare in Circo consueverat, ut factum est a Druso, qui cum esset Praetor A.U. DCCLXXIII. venationibus eum diem celebravit tum in Circo, tum in variis aliis urbis locis, teste Dione lib. XLIV. §. 34. Praeterea narrat idem Dio lib. LV. §. 6. voluisse aliquos, ut September appellaretur *Augustus*, ex eo quod eo mense Augustus natus esset, sed ipsum Augustum praetulisse honori mensem Sextilem, quod Sextili mense Consul primo factus fuerat, & plures victorias obtinuerat. Senatus postquam Augusto defuncto caelestes decrevisset honores, multiplicesque religiones, statuit hoc quoque, *ut natalitiis eius ludis Consules, quemadmodum Martis fieri solitum, praemia certaminum proponerent*. Dio lib. LVI. §. 46.

D. 25. Calendarium Pincianum, & Capranicorum diem notant, quo Iul. Caesar forum suum, & templum in eo a se conditum VENERI GENITRICI, dedicavit; sed in Pinciano ea nota huic diei, in illo diei proximo superiori apponitur. Factum hoc est A.U. DCCVIII., ut docet Dio lib. XLIII. §. 22., qui etiam adiicit, Caesarem ob eam caussam multa ac varia spectacula edidisse. Plinius lib. II. cap. 25., & Iulius Obsequens *in libello prodigiorum* cap. 128. tradunt, Caesarem Collegium quoque instituisse, a quo perpetuo quotannis ludi fierent Veneri Genitrici; sed cum illi, qui Caesare vivo hos ludos facere in se receperant, mortuo negligerent, Augustus ad captandam populi gratiam, ut Dio animadvertit lib. XLV. §. 6., sumptibus suis fecit; & quia dum fierent accidit, quod stella crinita apparuerit, quae per septem dies affulsit, eam Augustus *animam patris sui esse voluit, eique in Capitolio statuam super caput auream stellam habentem posuit*, ut loquitur Servius in Virg. ecl. IX. v. 47.

NOTAE

AD TABULAM OCTOBRIS.

D. 1. Aedem *Fidei in Capitolio* aedi Iovis O. M. vicinam positam fuisse a maioribus praedicat Cato apud Ciceronem *Offic.* lib. III. cap. 2., & forte a Numa, qui primus Fidei publicae templum sacravit, si audire placet Dionysium *Antiq.* lib. II. Aedem aliam huius Deae in Palatino collocat P. Victor, quae forte aliqua fuit aedicula constituta ad memoriam conservandam traditionis, cuius meminit Agathocles Cyzicenarum rerum conscriptor apud Festum v. *Roma*, quod scilicet Ascanii filia nomine Rhoma prima consecraverit in Palatio templum Fidei.

D. 4. In Calendario Amiternino indicitur IEIVNIVM CERERIS, quod die medio dierum, quibus Themosphoria agebantur, servabant feminae Graecae humi sedentes in templo Cereris, & cui Plutarchus in vita *Demosthenis* adsignat diem XVI. mensis Pyanepsionis, qui nostro Octobri respondisse dicitur. Apud Romanos hic ritus institutus est A. U. DLXII., quo *prodigiorum caussa libros Sibyllinos ex S. C. Decemviri cum adiissent, pronuntiarunt: ieiunium instituendum Cereri esse, & id quinto quoque anno servandum*. Ita Livius lib. XXXVI. §. 37. Fortassis ad indicandum, quod hoc ieiunium non servabatur quotannis, insculptum est in marmore Amiternino grandioribus litteris.

D. 5. Hi ludi Augusto, & Fortunae Reduci dicati agebantur, ut videtur, octiduo, & erant veluti praeparatorii celebrationis festi *Augustalium*, quod inferius notatur D. 12.

D. 8. Nota, quae in Calendario Antiatino, secundum superiores editiones, ad hunc diem est apposita, AVG*ustus* AED*em* APOLL*inis* DEDICAVIT, forte ad posterum diem pertinet, ad quem Calendarium Amiterninum notat: APOL*lini* IN PAL*atio*; nihil tamen certi statuo tum quia hoc loci diffractum est marmor, tum etiam quia fieri potuit, ut Vernae in domo Augusta Antiatina degentes dedicationem Aedis Apollinis in palatio hoc die celebrarent, ut postero die inferias darent Manibus Germanici. Ceterum neque ad hunc, neque ad posterum diem de aede Apollinis Palatini ut agam opus est; de illa enim librum singularem edidit Silvester Lurfenius.

D. 9. Calendarium Antiatinum notat, alias ignotum, emortualem diem Germanici Caesaris, unde sensus, & vis intelligitur verborum Svetonii *in Cal.* cap. 6. scribentis, quod ubi Romae Germanicum *fato functum palam factum est, non sola-*

solatiis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit; duravitque etiam per festos Decembris mensis dies. Scilicet ad tres usque menses duravit de morte Germanici luctus, & Saturnalia licet supervenissent mense Decembri, quibus publice datum erat ius luxuriae, duravit tamen. Quinetiam ita renovatus est iterum, ubi advectae sunt Romam eius ferales reliquiae ab uxore Agrippina, ut iterum Imp. Tiberius edixerit, quod *quia ludorum Megalensium spectaculum suberat; etiam voluptates resumerent*, quae Taciti verba *Annal.* lib. III. §. *6.* aperte indicant defuncti Caesaris reliquias illatas fuisse in Urbem mense Martio, aut Aprili ineunte. Praeterea ubi Svetonius *ibid.* cap. 3. narrat quod, *quo defunctus est* (Germanicus) *die, lapidata sunt templa, subversae Deûm arae, Lares a quibusdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expositi*; ita est intelligendus, ut loquatur de die, quo mors Germanici Romae innotuit, non vero quo contigit, nam ille *annum aetatis agens quartum & trigesimum diutino morbo Antiochiae obiit non sine veneni suspicione, &, ut opinio fuit fraude Tiberii, ministerio & opera Cn. Pisonis*, ut eiusdem Svetonii utar verbis *ibid.* cap. 1. & 2. Obiit autem A. U. DCCLXXI. al. LXXII. Marco Iunio Silano, & L. Norbano Coss., & eius corpus crematum est in foro urbis Antiochiae, teste Tacito lib. II. §. 73. Tulerat iam ex Agrippina M. Agrippae, & Iuliae filia novem liberos, *quorum duo adhuc infantes rapti, unus iam puerascens*, ut Svetonius loquitur *ibid.* cap. 7. Horum infantium Caesarum nuper effossum est in Urbe sepulcrum in via Flaminia, dum locarentur fundamenta ad renovandam, & altius elevandam quamdam domum, quae est ad caput anguli plateae aedis S. Caroli Mediolanensium, versus portam Flaminiam; & quia scitu digna res est, & paucis, praecipue exteris, nota, iuvat eam scripto tradere non sine aliquo commentario. Itaque reperti ibi sunt hi tituli:

TIBERIVS CAESAR
GERMANICI CAESARIS F
HIC CREMATVS EST

C. CAESAR
GERMANICI CAESARIS F
HIC CREMATVS EST

& pariter in tertio lapide legebatur ... AR ... GERMANICI CAESARIS F HIC CREMATVS EST: sed eum fossores fractum effoderunt sine cremati Caesaris nomine. Nec omittam ex iisdem ruderibus alios quoque erutos esse inscriptos lapides, in quorum uno legitur:

LIVILLA.
GERMANICI C.....
HIC SITA EST

& in alio:

TIB. CAESAR
DRVSI CAESARIS F
HIC SITVS EST

nec non effossos esse complures auro obductos clypeos, & hastas, & enses, praeter mirificum vas cinerarium sine ansulis ex onyche nitidissimo, altum palmos p. m. quatuor, & latum p. m. duos, quod tamen erutum est vacuum, quia iam subversum iacebat, & cum operculo diffracto, & ab ore disiuncto. Fortassis hoc vas trium infantium Caesarum cineres olim servabat, & nullo inscriptum fuit titulo, quod illi in caelum rapti haberentur. Insolens illa ac prorsus nova phrasis, qua unusquisque ibi CREMATVS, non situs dicitur, eorum indicat apotheosin, non secus ac phrasis, qua utitur Svetonius, non mortuos eos dicens, sed *raptos*. Vid. si placet, adnotata in Tabulas Tom. IV. *Musei Capitolini*. Verumenimvero videnti mihi hoc vas cavatum ex lapide, quem praecipue cavabant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur, obversata est quoque ante oculos mentis urna illa feralis, in qua cineres, atque reliquias Germanici Caesaris coniugis sui Agrippina recondidit: quacum Romam reditura classem ascendit: quam manu tenens navi egressa est: & quae tandem delata est Augusti tumulo, narrante Tacito *Annal.* lib. II. & III. Arma, quae propius inventa sunt, in hanc suspicionem me iniecerunt; sic enim virorum fortium, & armis insignium, qualis sane Germanicus Caesar fuit, exornabantur sepulcra, vel armis scilicet suis, vel hostium exuviis. Neque eram immemor scripsisse Tacitum, quod Agrippina egressa navi est feralem urnam manu tenens, sed arbitrabar ita esse Tacitum locutum eadem ratione, qua paullo superius eam dixerat ferales reliquias sinu ferentem, cum classem ascendit. Quoniam vero idem Historicus tradit, Germanici reliquias tumulo Augusti illatas fuisse, meditabar, sub eo *tumuli* nomine intelligi posse totum agrum, quem inter Flaminiam viam ripamque Tiberis Augustus dedicavit, ut non modo suiipsius ibi esset sepulcrum, sed etiam cognatorum ac familiarium suorum; hoc enim ex Strabone lib. V. colligitur. Praeterea, quia hoc vas onychinum fossores invenerunt subversum, unde inno-

innotescit alias olim late circum esse factas excavationes ad substruenda tum renovatae nunc domus, tum continentium ei aedium fundamenta; nonne coniicere licet hunc ipsum esse locum, ex quo erutae fuerunt urnae illae duae eiusdem formae, & magnitudinis exstantes modo in Aedibus publicis Capitolinis, in quarum una, ut testantur tituli, OSSA AGRIPPINAE GERMANICI VXORIS; & in altera OSSA NERONIS CAESARIS GERMANICI CAESARIS FILII adservabantur? Enimvero verisimillimum est totam Germanici Caesaris familiam in eadem campi Martii regione sepultam fuisse. Praeterea cum ibidem repertus sit quoque Tiberii Caesaris Drusi Caesaris filii, quem Gemellum cognominarunt, titulus; nec non lapis diffractus, ubi sola haec vox supererat VESPASIANI; nonne oboritur suspicio, quod omnium Caesarum loculi circum exstructi fuerint; & fortassis, quia ibidem primum sepulta fuerint Caii, & Lucii Caesarum ossa? Quod si probare placeat, coniici etiam posset, quod ibidem iam fuerit locus, qui ab eis cognominatus est *Nemus Caesarum*, & cuius meminit Augustus in Tabulis Ancyranis scribens, quod navalis praelii spectaculum exhibuerat, cavato solo in longitudine mille & octingentos pedes, in latitudine mille & ducentos, *in quo loco nunc nemus est Caesarum*. Nec putes haec verba significare, quod totum illud cavatum solum Augustus inde repleverit, sed aliqua tantum ex parte; *nemus* etenim hoc *navali stagno circumpositum* ab Augusto fuisse diserte scribit Tacitus *Annal.* lib. XIV. §. 15. Et sane eo stagno usum esse deinceps Neronem idem Tacitus, & Svetonius *in Ner.* cap. 27. tradunt: quinimmo usus est quoque diu post Imp. Titus, quo Amphitheatrum suum dedicante, ut narrat Dio lib. LXVI. §. 25., inter alia spectacula pugnatum est in nemore Caii, & Lucii, quod Augustus effodi iusserat; primo die facto ludo gladiatorio, & belluarum caede in tabulato supra lacum constructo, qua parte statuas spectat; postridie actis ludis Circensibus: tertio tandem die commissa Naumachia, qua confecta victores in insulam exscenderunt, & murum adorti, qui circa eius loci monumentum τὸ μνημεῖον ductus erat, ceperunt. Hoc monumentum, & eas statuas fuisse Caii, & Lucii Caesarum coniicit Reimarus, sed forte hunc Dionis locum illustrat sequens inscriptio in Museo Albano Romae adservata, & a Muratorio edita pag. CCCCXLIV. num. I.

GERMANICO CAESARI TI
CAESARIS F. DIVI AVGVSTI
N. C. IVLIVS CHIMARVS IDEM
STATVAS ET AEDICVLAM
FECIT SEDES MARMOREAS
POSVIT

Diversae de Caesarum nemore haud me latent eruditorum virorum sententiae, sed in rebus dubiis abundare cuique licet in suo sensu.

D. 11. MED. *Meditrinalia, dies dicta a medendo, quod, ut Flaccus Flamen Martialis dicebat, hoc die solitum vinum novum & vetus libari, & degustari medicamenti caussa.* Sic Varro *de LL.* lib. V.

D. 12. Calendarium Amiterninum mirifice Dionem illustrat, & mutuo illud Dio. Hic narrat lib. LIV. §. 10. Augustum C. Sentio, & Q. Lucretio Coss. A. U. DCCXXXV. rediisse ex Graecia Romam, & ex pluribus ei decretis honoribus hoc unum accepisse: *Fortunae Reduci aram consecrari, diemque sui reditus inter ferias referri, & Augustalia dici*. Igitur is est dies reditus Augusti in Urbem inter Ferias relatus, & consecrationis Arae Fortunae Reducis. Notat tamen Dio *eod. lib.* §. 34. Augustalia ex S.C. acta primum fuisse Q. Tuberone, & P. Fulvio Coss. A.U. DCCXLIII. Druso Praeturam gerente; adiicitque sua etiam aetate ea agi consuevisse. *Augustalia* idem Dio nominat quoque lib. LVI. §. 29. loquens de die natali Augusti, sed opus est dicere, aut forte aliquod mendum in textum Dionis irrepsisse, aut progressu temporis eum quoque natalitium diem *Augustalia* dictum fuisse.

D. 13. FONT. *Fontinalia a Fonte, quod is dies feriae eius. Ideo autem tum & in fontes coronas iaciunt, & puteos coronant*. Varro *ibid.* In editis mendose: *Ab eo autem &c.* Festus, seu potius Paullus, *Fontinalia*, inquit, *fontium sacra, unde & Fontinalis porta*. Crediderim ibi quoque legendum esse *Fonti*, ita ut indicetur *Fons*, unde *porta Fontinalis appellabatur*. Ios. Scaliger coniectatur, hanc portam fuisse portam Capenam, sic dictam a fonte, cuius delubrum iuxta eam fuit; Nardinus tamen portam Fontinalem fuisse alibi sitam arbitratur. Cicero *de nat. Deorum* lib. III. n. 20. scribit, quod *Fontis delubrum Maso ex Corsica dedicavit*, sed reticet quo urbis loco. Hic Maso videtur esse C. Papirius Maso, qui de Corsis primus in Monte Albano A. U. DXXII. triumphavit, ut testantur Tabulae Capitolinae, & Plinius lib. XV., & Valerius Maximus lib. III. Eius meminit etiam Festus. Goltzius nummum, sed incertae fidei, protulit, in cuius aversa parte visitur Mars in bigis hastam dextera tenens, clypeum sinistra, cum inscriptione: C. PAPIRIVS MASO.

D. 15. Ex Calendario Antiatino novum prodit priscae superstitionis Numen, cui nomen VERNANVS, hoc est, Genius seu Lar vernarum tutelaris. In superiore parte marmoreae tabulae legitur: LYSIMACHVS AEDITVVS VERNANI, unde constat fuisse in Antio aedem ei Deo dedicatam. Itaque appositam ad hanc diem XV. Octo-

XV. Octobris in Calendario notam : VERN. DIES FEST. interpretari licet, VERNANI DIES FESTVS; sed neque abnuo legi posse VERNARVM DIES FESTVS, vernarum nempe libertorumque domus Augustae in Antiati secessu degentium, & in quoddam collegium adlectorum, ex quo aliqui eligebantur quotannis, forte ad curam, & ad impensam ludorum, Magistri, seu Promagistri, quorum nomina, & munia in superiore marmoris parte notantur post nomina Consulum cuiuscumque anni. De Deo *Vernano* nulla apud alium veterem Scriptorem mentio est; puto tamen ex hoc Calendarii Antiatini testimonio comprobari posse, quod apposite animadvertit Fabrettus *Inscr.* pag. 296. & 347., pluris aestimatum fuisse in domo nasci, ali, & educari, ita ut liberti etiam post acceptam libertatem vernas se inscribere consueverint, quod complures antiqui lapides testantur, quasi ex honestioris servitii gradu ad libertatem transierint; & idcirco haud mirum est, quod sibi quoque peculiarem Deum finxerint, & Vernanum cognominaverint.

D. 18. Iani templum, quod hic Calendarium Amiterninum positum dicit AD THEATRVM MARCELLI, a Tacito positum dicitur *apud forum Olitorium*; concinunt tamen sibi invicem: iacebat enim forum Olitorium inter theatrum Marcelli, & Tiberim. En Taciti de Tiberio loquentis testimonium *Annal.* lib. II. §. 49: *Iisdem temporibus Deûm aedes vetustate, aut igni abolitas, coeptasque ab Augusto dedicavit; Iano templum, quod apud forum Olitorium C. Duillius struxerat, qui primus rem Romanam prospere mari gessit.* Huius dedicationis haud meminit hoc die Calendarium Antiatinum, sed notat : DIVVS AVG*ustus* TOG*am* VIRILEM SVM*psit*. Sumpsit autem Augustus togam virilem an. aetatis XVI. agens, ut testatur Svetonius *in Aug.* cap. 8., & vulgati textus fidem frustra solicitare contendit Valesius, ut strenue probavit Norisius *ad Cenot. Pis.* Diss. II. cap. 4. Vid. adnotata pag. 63.

D. 19. ARM. *Armilustrium ab eo, quod in armilustro armati sacra faciunt. Nisi locus potius dictus ab his : seu, quod his prius, ab ara loci, & ab ludendo, & lustro, id est, quod circumibant ludentes ancilibus armati.* Sic Varro *ibid.* pro ut eius textum emendandum censeo. Erat autem vicus Armilustri in Regione X. teste Victore, quo cum concinit quidam titulus apud Gruterum pag. CCL.

D. 27. In Calendario Maffaeiorum LVDI VICT. Hanc notam Lipsius traxit ad victoriam Sullanam de Samnitibus, & eorum Duce Telesino ad portam Capenam reportatam, de qua Velleius Paterculus lib. II. cap. 27: *Felicitatem*, inquit, *diei, quo Samnitium, Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum Circensium honoravit memoria, qui sine nomine Sullanae victoriae celebrantur.* Verum paullo superius eam victoriam Carbone, ac Mario Coss. reportatam fuisse Cal. Novembribus tradit Paterculus. Scio equidem, eius libros pluribus mendis foedatos ad nos pervenisse, praecipue vero, ubi numericae occurrunt notae, sed Lipsius coniecturam suam ex eo solum confirmat, quod Cal. Novembribus nulli notati sint ludi in Calendario Romano, quod verum est de Calendario Maffaeiorum; in Antiatino tamen etiam die Calendarum Novembrium legitur : IN CIRCO. Quamobrem libens annuo notam Calendarii Maffaeiorum trahi posse ad victoriam Sullanam, sed ex ea emendare neutiquam audeo Paterculi textum; fortassis enim illius victoriae ludi per plures dies celebrabantur, & incipientes a die 27. Octobris complebantur Cal. Novembribus, quibus *Samnitium, Telesinique exercitus pulsus est*.

NOTAE
AD TABULAM NOVEMBRIS.

D. 1. Calendarium Antiatinum notat : IN CIRCO. Vid. superius adnotata.

D. 4. In Calendario Antiatino, LVDI PLEB*eii* COM*mittuntur* HS. DC. Non solum hoc die, sed alibi quoque in hoc Calendario sestertiorum summa notatur, quae a collegio Vernarum domus Augustae in Antio degentium in ludorum editione impendebatur : sed huiusmodi rem, utpote privati collegii propriam, hic solum exhibere, & adnotare satis esse duxi.

D 6. In Calendario Antiatino notatur : AGRIPPINAE IVLIAE NATALIS, forte Fastis insertus posteaquam Imp. Claudius cum ea, Germanici licet fratris sui filia, incestas nuptias confecit, C. Pompeio, Q. Veranio Cos. A. U. DCCCI. al. II., nisi magis coniicere placeat, huiusce Calendarii auctores, quia erant vernae domus Augustae, Fastis adscripsisse singulorum Principum familiae Iuliae nomina, tunc superstitum ad natalitium diem, defunctorum vero ad emortualem. Ceterum Tacitus quoque *Ann.* lib. XII. §. 1. hanc *Agrippinam* appellat *Iuliam*; & sic eius etiam sorores Drusilla, & Livilla *Iuliae* dictae sunt, quia earum pater Germanicus a Tiberio, iussu Augusti, in familiam Iuliam adoptatus fuerat, & inde C. Iulius Caesar Germanicus appellatus. Itaque Drusilla dicitur Iulia in *Inscript.* apud Gruterum pag. MXXII. n. 4., & Livilla etiam solo Iuliae nomine commemoratur a Tacito *Annal.* lib. VI. §. 15., nec non in veteri titulo apud Graevium in Praef. ad Volumen VII. *Antiquitatum Romanarum*.

D. 13. In Calendario Maffaeiorum, EPVLVM INDICT., nisi forte legere oportuerit INDICI; in Ca-

in Calendario enim Antiatino explicate legitur : EPVLVM INDICITVR. Livius lib. XXV. §.2., & lib. XXVII. §. 36: *Ludi plebeii per biduum instaurati, & Iovis epulum fuit ludorum caussa*.

D. 14. EQVOR. PROB. *Equorum probatio*, ut Calendarium Amiterninum aperte notat. Idem notant Calendaria ad diem 14. Septembris; & puto significare, quod hisce diebus probarentur equi, qui idonei essent ad usum ludorum Circensium.

D. 15. In Calendario Maffaeiorum hoc die indicuntur : LVDI PLEB. IN CIRCO; & quia duobus quoque proxime sequentibus diebus apponitur : IN CIRCO, arguere licet ludos plebeios triduanos fuisse. Eis autem hos dies Critici adsignant ex sola huius Calendarii auctoritate; at in Calendario Antiatino die 4. indicuntur, ut notavimus. Asconius *in Verrem* XI. 10. docet ludos plebeios institutos fuisse pro libertate plebis exactis Regibus, aut pro eiusdem plebis reconciliatione cum Patribus post recessionem in Aventinum. Quia vero agebantur in Circo, idcirco eos Plinius lib. VIII. *Circenses plebeios* nominat.

D. 16. Qui Calendarium Antiatinum hactenus ediderunt, notam ad hunc diem appositam ita exhibent : L. AVG. NATAL. Dubitans de eorum fide marmor consului, & quod suspicabar certus deprehendi, insculptum nimirum esse TI. AVG. Svetonius *in Tib.* cap.5. diserte tradit natum esse Tiberium hoc die : *Natus est Romae in Palatio die XVI. Kalendas Decembris M. Aemilio Lepido iterum, L. Munatio Planco Coss., post bellum Philippense; sic enim in Fastos, actaque publica relatum est*. Concinit Dio lib. LVII. §. 18., & adiicit, quod cum Senatus vellet Novembrem ob eam caussam Tiberium appellare, Tiberius irridens : *Quid*, inquit, *facietis, si tredecim Caesares fiant?* Hoc Svetonius quoque commemorat cap.26., sed in eius textu mendose legitur : *Intercessit, & quo minus in acta sua iuraretur, & ne mensis September Tiberius, October Livius vocarentur*. Certos nos facit Dio legendum esse *November*, non *September*.

D. 18. Hic dies, & duo sequentes in Calendario Maffaeiorum signantur nota MERK., quae hoc eodem die in Calendario Antiatino integra sic legitur : MERCATVS.

NOTAE

AD TABULAM DECEMBRIS.

D. 1. In Calendario Amiternino notantur hoc die aedis Neptuni, & aedis Pietatis ad Circum Flaminium, fortasse dedicationes. Grut. pag. CCCXVIII. n.6. refert titulum : ABASCANTO AVG. LIB. AEDITVO AEDIS NEPTVNI QVAE EST IN CIRCO FLAMINIO, a filiis eius positum. PIETATIS vero duae memorantur aedes. Altera C. Quinctio, & M. Attilio Coss. consecrata est eo in loco, quo deprehensa est filia, matrem in carcere inclusam clam alens uberibus suis; aut, si mavis Festo fidem praestare, quo loco haec pia femina habitaverat, quae mammis suis patrem in carceribus lactavit. Altera vero aedes PIETATIS a Glabrione vota, quo die cum Rege Antiocho ad Thermopylas depugnasset, dedicata est P. Cornelio Lentulo, & M. Baebio Pamphilo Coss. ab Acilio Glabrione filio, quia pater, compos voti factus, Regem Antiochum apud Thermopylas superaverat. Liv. lib. XL. §.34. Val. Max. lib.II. §.1. Huius aedis certe mentio hic est, quam etiam P. Victor, & Rufus memorant. Primam iamdiu collapsam esse constat ex Plinio lib. VII., testatur enim aedificatum fuisse theatrum Marcelli, ubi illa iam fuerat.

D. 8. Calendarium Amiterninum hac nota hunc diem distinguit : TIBERINO IN INSVLA. Quadrat hic Servii nota *ad Aen.* lib. VIII. v.31: *Bene TIBERINUS, quia dixerat DEUS; quia in sacris Tiberinus : in caenolexia Tiberis : in poëmate Tibris vocatur*. Et ad v. 71. idem Grammaticus addit, quod *sic invocabatur in precibus : Adesto, Tiberine, cum tuis undis*. Et sane Horatius Cocles in Tiberim armatus desiliens inducitur a Livio lib.II. §. 10. sic orans : *Tiberine pater, te sancte precor, haec arma, & hunc militem propitio flumine accipias*. Videtur autem Servius *preces* dicere, quas Cicero *de nat. Deor.* lib.III. §.20. Augurum precationem appellat : *In Augurum precatione Tiberinum videmus*. Varro lib. IV. *de LL.* bis memorat *Deum Tiberinum*. Itaque Tiberim, ut alios etiam fluvios, & fontes, divinis honoribus cultum fuisse neminem latere posse arbitror, at aedem, seu aram ei dedicatam exstasse in Insula hinc primum innotescit. Fabrettus *Inscr.* pag. 432. inscriptionem refert iam a Caesare Ripa *in Iconologia*, & postea emendatiorem a Iusto Fontaninio *de Antiquitatibus Hortae* lib. I. cap.8. vulgatam, in qua Ara memoratur Tiberino posita, sed pertinet ad civitatem Hortanam, ubi reperta est. Laudatus Fontaninius de cultu fluminibus, & fontibus praestito, & de eorum simulacris plura congerit, & sub finem adiicit : *Aedem, & iconem Tiberis lepide satis effingit Sidonius in Panegyrico Anthemii v.320*. Sed ne decipiaris scias volo Sidonium *de Oenotria* loquentem dicere :

Pergit caerulei vitreas ad Tibridis aedes.

D. 11. Concorditer Calendaria indicunt hoc die AGONIA, seu mavis dicere AGONALIA.

D. 12. Calendarium Amiterninum cum aliis Calendariis indicit *Consualia* die 15., & praeterea hoc etiam die notat : CONSO IN AVENTINO. Fortassis hic erat anniversarius dies, quo

T seu

ſeu aedes, ſeu ara Conſo dedicata fuerat in Aventino.

D. 13. In editis Calendarii Antiatini exemplaribus ad hunc diem legitur: TECT. Lege LECT*iſternium*.

D. 15. CONS. *Conſualia*. In Calendario Antiatino legitur CON., & Vulpius inepte explicat *Congiarium*. Certo ſignificat *Conſo*. Vid. ſuperius adnotata pag. 75. Praeterea Calendarium Amiterninum hoc die adiicit: ARA FORTVNAE REDVCI DEDIC. EST. Haec nota fortaſſis rem deſignat propriam Amiterninorum, Aquilae enim in aedibus publicis exſtat ara, ſeu baſis, e ruderibus veteris Amiterni effoſſa, in qua is legitur inſcriptus titulus:

T. VINIO RVFO T. TIFSENIO OCT.V.O

Q. ORFIO FVLGINIO C. IEGIO AED

PRAEFECTVRA AMITERNINA PRO REDITV

IMP. CAESARIS AVGV . . . . . .

FORTVNAI . . . .

D. 17. SAT. *Saturnalia, dicta a Saturno, quod eo die Feriae eius, ut poſt diem tertium OPALIA, Opis*. Quae Varronis verba lib. V. *de LL.* haud opus eſt ut quidam cenſent, ſic emendare: *ut poſt, tertio die*. Idem ſonant verba: *poſt tertium diem*. Calendarium Maffaeiorum addit FERIAE SATVRNO, & Amiterninum locum deſignat, SATVRNO AD FORVM. Macrobius *Sat.* lib. I. cap. 10. & 11. docet, Saturnalia primitus, uno tantum die celebrari ſolita: praeterea eum diem fuiſſe XIV. Calendas Ianuarias Saturno pariter, & Opi adſcriptum: deinde eum diem *Opalibus* deputatum eſſe, poſtquam Saturnalibus adſignatus eſt dies XVI. Calendas Ianuarias: hanc immutationem coepiſſe poſtquam C. Caeſar Decembri duos addidit dies: ex ea immutatione factum eſſe, ut, cum vulgus ignoraret certum Saturnaliorum diem, quia nonnulli celebrabant die XVI., ſecundum additos a Caio Caeſare dies, alii vetere more XIV. Calendas Ianuarias, Saturnalia in triduum prorogarentur: Auguſtum edicto ſuo trium dierum ferias Saturnalibus addixiſſe, & hinc Saturnalia a ſexto decimo die coepta in quartum decimum, quo ſolo fieri antea conſueverat deſiiſſe: demum Sigillariorum adiectam celebritatem in ſeptem dies diſcurſum publicum, & laetitiam religionis extendiſſe. Ita Macrobius, ſed eum multis exagitat Iulius Pontedera in ſuis *Antiquitatibus* epiſt. XLI.

D. 19. OPAL. *Opalia dies feſti, quibus ſupplicatur Opi, appellantur, quorum alter . . .* Ita Feſtus, & quae deſunt in eius textu ſupplenda ſic eſſe coniicit Dacerius: *quorum altera pars nefaſta, altera faſta eſt*. At rectius, ſi bene ſentio, ſuppleri debent: *quorum alter IUVENALIS appellatur*. Hoc ſupplementum mihi praeſtat Svetonius *in vita C. Caligulae* cap. 17., ubi de illo narrat: *Ut laetitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adiecit diem Saturnalibus, appellavitque IUVENALEM*. Itaque cum tertius dies Saturnaliorum *Opalibus* deputatus eſſet, Opaliorum dies alter dictus eſt *Iuvenalis*. Novi, Dionem ſcribere lib. LIX. §. 6. Caium iuſſiſſe, ut Saturnalia per dies quinque agerentur, & lib. LX. §. 25. Imp. Claudium Saturnalibus reſtituiſſe quintum diem a Caio additum, ac deinde exemptum; ſed ſcriptor Latinus de Latina re loquens plus habet auctoritatis, & fidei, quam Graecus. Calendarium Amiterninum notat: OPI AD FORVM. Tum aedes Saturni, tum Opis aedes non in Foro, ſed ad Forum dicuntur poſitae, quia poſitae erant in Clivo Capitolino. In aede Saturni erat aerarium Reipublicae, in altera Opis privati cives pecuniam ſuam deponebant, quia utraque vigiliis militum cuſtodiebatur. Cicero *Phil.* II. §. 37. Antonio obiicit ſepties millies ſeſtertium diſſipaſſe, quam ſummam Iul. Caeſar depoſuerat in aede Opis, quae fruſtra Nardinus lib. V. cap. 16. dubitat, an eſſet Capitolina, an illa vici Iugarii. In hoc vico *aram Opi*, non *aedem*, & ſane poſt Ciceronis aetatem, conſtitutam eſſe ſcimus.

D. 21. DIV. *Divalia*. Vid. pag. 78.

D. 23. LAR. *Larentinalia*. Vid. pag. 80.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 11. lin. 47. RES*tituit*. Adde = Supplevi *oneroſas*, at ſi magis placet ſupple *oneratas*, nempe ſeu bellis, ſeu hoſtibus, ſeu militibus. Sic Livius (lib. XXXII. §. 11.) *Saltum Regiis oneratum caſtris*: ſic Paterculus (lib. II. cap. 97.) *onus belli*, & Svetonius (*in Iul.* cap. 54.) *onera bellorum* dixere.

Pag. 41. lin. 12. *conſeſſu*. Adde = Demum eleganter Ovidius (*Amor.* lib. II. eleg. 6.) ſic cecinit:

Pſittacus Eois imitatrix ales ab Indis
Occidit: exſequias ite FREQUENTER *aves*.

Pag. 82. lin. 1. & 2. lege = ubi ſuam in decernendis honoribus nimietatem, ac quaſi prodigentiam excuſare ſatagens: (Lib. ſing. Epiſt. *ad Brutum* ep. 15.) *In eoque*, inquit, &c.

Errata typographica adnotare haud opus eſſe puto. Eruditi, & aequi Lectores facile ea dignoſcere poterunt, & facile excuſare debent. Hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim.

F I N I S.

TABU-

TABULAE AERE INCISAE
QUAE AUT ILLUSTRANTUR
AUT AD ORNATUM APPONUNTUR.

Tabula titulo voluminis adversa imaginem exhibet Imp. Caesaris Augusti, qui Verrium Flaccum apud se in Palatio recepit, delineatam ex signo mirifice sculpto in iaspide chalcedonia bicolori, quod exstat in Museo Vaticano.

Figurae duodecim circumornantes titulum voluminis anni menses repraesentant ex antiqua pictura Calendarii Vindobonensis.

Augustae, cuius Nomini, Maiestatique dicatus est liber, effigies ex aureo elegantissimi operis numismate expressa est; aversa autem, quae hic sufficitur numismati facies, excitatas, & auctas Augustis eius auspiciis, praesidioque, belli, & pacis artes universas designat.

Schema Praefationi praefixum speciem quamdam exprimit montis Praenestini, ad cuius radices effossa sunt fragmenta marmorum, in quibus incisos habemus Fastos a Verrio Flacco ordinatos.

Ad calcem Praefationis adiicitur specimen formae litterarum, quibus iidem Fasti incisi sunt.

Fastis mensium Ianuarii, Martii, Aprilis, & Decembris, quorum tantummodo fragmenta Fastis inscripta supersunt, peculiaris tabula praefigitur, quae eorumdem fragmentorum speciem aliquatenus ob oculos ponit.

Operis paginam 1. exornat nummus Musei Vaticani in aere rubro cusus ex S. C. in honorem Imp. Caesaris Augusti, qui Verrium Flaccum ob eruditionis eius merita in Palatium transire iussit.

Paginam 19. exornat nummus eiusdem Imp. Caesaris Augusti, in cuius aversa parte cusa est imago Caii Caesaris eius ex filia nepotis, quem Verrius Flaccus litteris erudivit.

Pagina 38. depicti sunt nummi duo argentei, alter gentis Caesiae, alter gentis Liciniae, in quibus cusa est imago Vediovis.

Paginam 39. exornat nummus Imp Caesaris Augusti habens in aversa parte alterius eius nepotis Lucii Caesaris imaginem, quem etiam Verrius Flaccus litteras docuit.

Pagina 72. delineati sunt nummi duo argentei, alter Cerealium, alter Floralium institutionem commendantes.

Paginam 73. exornat nummus aereus maximi moduli in Hispania Tarraconensi cusus, dedicatusque Imp. Tiberio Caesari, sub quo Verrius Flaccus decessit.

Paginam 84. claudit imago Divae Angeroniae ex lamella argentea, seu annulari, seu potius, ut de collo suspenderetur, effecta; videtur enim fuisse amuletum ad anginae morbum amoliendum adhibitum. Delineatam edidit cl. Comes Caylus *Recueil d' Antiquité* Tom. III. Planche XLIV. num. 8.

Ad paginam 100. apposita est tabula specimen exhibens superstitum fragmentorum marmorei Calendarii Amiternini.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Marcucci Epiſc. Montiſalti Viceſgerens.

ADPROBATIONES.

Reverendiſſimi P. F. Pii Thomae Schiara Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri iuſſu librum inſcriptum : *Faſtorum Anni Romani a Verrio Flacco ordinatorum reliquiae &c. cura, & ſtudio Petri Franciſci Fogginii*, diligenter legi, nihilque in eo cum decretis Catholicae Religionis, boniſque moribus pugnans comperi. Quare typis edi poſſe cenſeo : neque vero dubito, quin eodem, quo cetera a cl. Auctore vulgata opera, magno plauſu excipiatur, ob rerum, quas continet, gravitatem, & quod plurimum latinis & litteris luminis afferat, & verbis.

Datum Romae in Collegio Apoſtolico Poenitentiariorum S. Mariae Maioris VIII. Idus Octobris MDCCLXXIX.

F. FRANCISCVS MARIA POLLIDORIVS Ord. Praedic.
S. Theol. Mag., & Poenitentiarius Apoſtolicus.

Quos iam Svetonius prodiderat, ordinaſſe, & marmoreo parieti inciſos Praeneſte publicaſſe anni Romani Faſtos Verrium Flaccum libertinum hominem, & Auguſti nepotum praeceptorem, litterati viri quamplures iam in apricum proferri praeoptaverant; nec defuerunt, qui ſe eos iam adſequutos comminiſcerentur, cum Paullo III. Romano Pontifice e terrae ſinu prodierunt in fori ambitu prope Capitolium vetuſta marmora exhibentia annales Pontificum libros, & quinquennales Cenſorum, tum & triumphos a veteribus Populi Romani ducibus relatos, quae nunc habet palatium ipſum Capitolinum, quaeque luculenter illuſtrarunt Sigonius, Panvinius, Pighius, aliique, quos mittimus. Verumtamen aetati noſtrae tantum boni reſervatum eſſe gratulamur, qui ſuperioribus annis laudatos Verrii Flacci Faſtos aliqua ex parte detectos novimus, Praeneſte nempe, ideſt eo loci, ubi olim collocatos fuiſſe eruditis Romanarum antiquitatum ſcrutatoribus indubio teſtimonio innotuerat. Fragmenta igitur quis forte dixerit; ſed quae praeclara, & praeſtantia omnino ſint, & ex quibus plurima, quae hiſtoriam illuſtrent, eruditionem ornent, linguam Latinam, & antiquitatem nova luce perfundant, liceat eruere. Id gnavus quiſque facile per ſe cognoſcere poterit; at faciliori ſane negotio deprehendet quicumque accuratas, & luculentas cl. viri Petri Franciſci Fogginii obſervationes, quibus fragmenta haec cumulavit, ceteraſque ſimul coactas omnium veterum Calendariorum marmoreorum reliquias, & in has ipſas commentaria ab eodem concinnata perlegerit. Nos certe, qui ſingula attente luſtravimus, id ipſum citra aſſentationem omnem recipere poſſumus; tum illud addimus, nihil in hoc volumine, quod orthodoxae religioni, boniſve moribus adverſetur, inveniſſe. Exciderunt ſiquidem prorſus Ethnicorum deliramenta, ut & reprobatione haud nunc egeant, vel ſi quis etiam illam deſideret, ex ipſa Auctoris mente ſanioribus imbuta conſiliis paſſim reprobatio ſe exſeret quamcumulatiſſime. Quare ſi me audit Rm̃us Pater Pius Thomas Schiara Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, ex cuius iuſſu haec legi, nihil erit, quod huius voluminis impreſſionem, publicationemque morari queat.

Datum Romae ex aedibus meis Idibus Octobris CIƆIƆCCLXXIX.

IOHANNES CHRISTOPHORVS AMADVTIVS Profeſſor Linguae Graecae in Archigymnaſio Sapientiae, & Praeſes Typographiae Sacrae Congreg. de Propaganda Fide.

IMPRIMATVR.

Fr. Pius Thomas Schiara Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A

Acca Remi, & Romuli nutrix, *Pag.* 82. Herculis ſcortum, *ibid. & ſeq.*
Accae Larentinae parentalia, 81., & 83.
Accalia. 79. 81.
Actiacum bellum quo die confectum, 129. *& ſeq.*
Aedilitii, 77.
Aemilius, Aemilianus pons, 128.
Aeſculapii templum in inſula Tiberina, 1.
Ageion Deus, 7.
Aghon Deus, 7.
Agolum baculum paſtorale, 6.
Agonia, Agonalia. Harum vocum etymon, 7. *& ſeq.* 120. & 135. Iano dicata, 7. Agonalium repertor Numa Pompilius, 8. Vid. *Septimontia.*
Agonium martiale, Liberalium dies appellatus, 8. & 118.
Agrippinae Iuliae natalis dies, 134.
Alexandria a Iul. Caeſ. recepta, 118. Ab Auguſto, 125.
Allienſis dies, 124.
Amazonius dictus aliquando menſis December, 73.
Amptruare, 31.
Ancilia Martis feſtum, 20. Compluribus diebus continuatum, *ibid.* Arma annalia dicta Ancilia, 21. Deſcriptio eius feſti, *ibid.*
Angeronalia, 78. & *ſeq.*
Angeroniae feriae, 78. Explicatio eius vocis, *ibid.* Antiquiſſimus apud Romanos Angeroniae cultus, *ibid.* Eius imago, 84.
Angiportus, 121.
Anicius Aucherius Baſſus Conſ., VIII.
Anna Perenna, 118.
Annus auctus a Iul. Caeſare, 17.
Annus novus a Calendis Ianuarii coepit anno U. C. DCI., 3. & *ſeq.*
Antevorta, 12.
Apollinares ludi, & eorum initium, 123. Per dies ſeptem agebantur, *ibid.* Diſtincti a ludis in Circo, 124.
Apollinis aedes in Palatio, 69. & 131.
Appianus illuſtratur, 118. & 125.
Aprilis menſis unde appellatus, 39. & *ſeq.*
Aquila tenens unguibus quercum in nummis expreſſa, 12.
Ara Pacis Auguſtae. Vid. *Pax Auguſta.*
Arcadius Aug., & Bautonius Conſs., VII.
Arcanus Iuppiter quare appellatus, 50. & *ſeq.*
Armiluſtrium, 134.
Artificum dies, 29.
Arvalium Fratrum acta, 127. Quorum nonnulla verba proferuntur, *ibid.* & *ſeq.*
Arx Vediovis inter duos lucos, 26. & *ſeq.*
Auguſtalia, 133.
Auguſtus Imp. Vid. *Caeſar Auguſtus.*
Auguſtus menſis ab Imp. Caeſare Aug. cognominatus, 125. 127. & 131.

B

Balinia, 41.
Baſſus Anicius Conſ., VIII. Quinquennalis Praeneſtinus, XIV.
Bautonius, & Arcadius Conſs., VII.
Bellonae aedes, 121.
Blanchinius Franciſcus, 99. 101. & 117.
Bubali generis aetatis gradus quatuor, 52.

C

Caeſar Auguſtus Imp., eius poteſtatis primus dies, 5. Quae fuerit cauſſa honorum eidem decretorum? *ibid.* & *ſeq.* Togam virilem ſumit, 134. Adſcriptus collegio Epulonum, 6. Signum eius iuſtitiae, *ibid.* Auguſto principe Ianus bis clauſus, 10. Ei corona Querna tributa, 11. Quo die ſit ille appellatus Auguſtus? 13. & *ſeq.* Martis Ultoris templum dedicat, 119. Et Opis, ac Cereris aras, 126. Quo die, & quibus Coſs. factus ſit Pontifex Max.? 23. Cur velo interpoſito M. Vipſanium Agrippam vita functum laudavit? 24. Et Octaviam ſororem? 25. Pontificales ludos primus edidit, *ib.* Signum Auguſto dicatum ad Theatrum Marcelli, 61. Auguſtus divinos honores Romae reſpuit, non autem in Coloniis, X. Pater patriae appellatus, XII. & *ſeq.* Et Pater in nummis poſt obitum cuſis, 62. Veſtae aedes in eius Palatio, 69. Auguſti natalis dies biduo celebratus, 131. Dies obitus, 128. & 130. Caeleſtes ei honores decernuntur, & religiones, 130. & *ſeq.* Illius triumphi tres menſe Sextili, 127. Adoptat Ti. Caeſarem, 122. Rempub. triſtiſſimo periculo liberat, 125.
C. Caeſ. Caligulae natalis dies, 129.
C. Iul. Caeſar, quo die Iubam devicit? 46. Alexandriam recipit, 118. Eius natalis dies, 123. Sacra eius nomine celebrata quo menſe? 124. Imago cum inſcriptione: *Deo invicto*, 120. & 123. Victoriae eius duae eodem die celebratae, 125 Victoria Pharſalica, 126. Additi ab eo dies, 17. & 67. Ei aedes dicata, 128. Veneri Genitrici ille templum dicat, 131.
Calabra Curia, 2. Ceteris Curiis maior, 3. In ea ſolum ratio ſacrorum geſta, *ibid.* Quare Calabra appellata? *ibid.* Eiuſdem ſitus, *ibid.*
Calare, calatio, 2.
Calendae unde dictae? 2. Quae vox integra ſcribitur per litteram C, non integra per K, *ibid.*
Calendae Martiae, dictae femineae, & matronales, 22. A Matronis celebratae, *ibid.*
Camena, 9.
Capitolinus mons, 26. & *ſeq.*
Carinae vicus Urbis, 77. Eius ſitus, *ibid.*
Carmena, 9.
Carmenta Dea, 9. & 12. Nominis etymon, 9. Ei dicata ara ad radices Capitolii, *ibid.*
Carmentae Deae duae, 12.
Carmentalia, feriae ſtativae, 8. & 12.
Carmentalis porta Urbis, 9. Dicta Scelerata, *ibid.* & *ſeq.* Carmentalis Flamen, *ibid.* Dies, 12.
Carmentarii, librarii, 9.
Carmentes, Poëtae appellati, 9.
Caſcae Servilii fratres, 68.
Caſmena, 9.
Caſtoris, & Pollucis aedes, 16. & 127.
Caſtra ſcelerata, 130.
Catularia Urbis porta, 65.
Cauſſa, duplici littera ss, 5.
Cdinoius, XIV.

Cecconius Leonardus, I.
Cenae nobiles, 43. & *seq.* Harum mutitationes, *ibid.*
Censorini textus restitutus, 13.
Cepifit, 13.
Cereale libum, 1.
Cereales ludi, 53. Per plures dies agebantur, 54. In honorem Numinis, a quo fertilitas sperabatur, *ibid.* Cereales Aediles, *ibid.* & *seq.*
Cerealia non respondebant Graecorum Eleusiniis, sed Thesmophoriis, 55. In pagis quoque agebantur, 56. Cerealium antiquitas, & religio, *ibid.*
Cereris ara ab Aug. dicata, 126. Ieiunium, 131.
Christiana religio an. Chr. CCCLXXXVI. nondum Praeneste dominabatur, VII.
Cicero illustratur, 73.
Circenses ludi, 53. Quo anno primum constituti? 58. Variis nominibus appellati, *ibid.*
Citerior, huius vocis vis, 45.
Clava Romuli, 33.
Claudia via, 64.
Coepit scribendum cum Verrio, 3. & *seq.*
Collina Urbis porta, 66.
Comitiales dies, 5. & 118.
Comitium, 30. Comitiare, 35.
Compitales Lares, 76. Feriae, 79. Dies, 119.
Concordiae aedes, 14. 16. & 117.
Consiva, 129.
Constantinopolis natalitius dies, 58.
Consualia, 75. Quomodo, & ubi celebrata? 77. & *seq.* 128. 135. & *seq.*
Consulatus in hisce Fastis nominati: Hirtio, & Pansa, 105. Censotino, & Calvisio, 113. Imp. Caesare VII., M. Agrippa III., 105. & 108. Augusto, & Titio, 113. ....., & Silio, 105. Nerone, & Varo, 111. Quirinio, & Valgio, 107. & 108. Druso, & Crispino, 105. Cretico, & Long., 112. P. Dolabella, & C. Silano, 105. Sex. Apuleio, & Sex. Pompeio, 113. Druso, & Norbano, 107.
Consules quibus Calendis Magistratum inierint? 3. A Calendis Ianuarii inire coeperunt anno Urb. Cond. DCI., 4. In Consulibus nominandis qualis ordo servatus, 24.
Consus dicebatur Neptunus Equestris, 75. Ei in Aventino sacrificium, *ibid.* Consi nomen incompertum, *ibid.* Ara illius cum inscriptione, 76. Consus consilio potens, *ibid.*
Coronatus populus, 25. & *seq.*
Cos. non autem Coss. Verrius semper scripsit, 7.
Cumanus ritus, 28.
Curia Calabra, 2.
Cursores ludorum maiores, & minores, 65.
Cyrinus Cos., idem qui a Verrio appellatur Quirinius, 25. & 70.

D

D, Littera in medio lineata sic Ð significat quingenta, 4.
December mensis acceptus Geniis, 73. Dictus aliquando Amazonius, *ibid.* In tutela Vestae, aut Saturni, *ibid.*
Dedicare quid significat? 16.
Diana idem numen ac Luna, 37. Eius in Aventino templum, *ibid.* & 127. Diana Ephesia, 37.
Dies litteris F. N. NP. C. distincti, 4. Quare dies primi post Calendas, Nonas, & Idus nefasti, & atri haberentur? *ibid.* Eius superstitionis Christiani a S. Augustino reprehensi, 5. Dies intercisi, 8. Vitiosus, 12. Dies additi a Iulio Caesare, 17. & 67. Artificum dies, 29.
Dio illustratur, 13. 14. 58. 62. & 123.
Dionysius Halicarn. illustratur, 73.
Divalia, 78. & 136.
Drusi fratris Imp. Tiberii inferiae, 130.
Drusus Caesar, X. Quinquennalis Praenestinus, XIV.
Duumviratus, & sacerdotii dignitates non semper coniunctae, 25.

E

EGnatius Cn., XIV.
En pro *in*, more antiquo, 8.
Epulonum collegium, 6.
Epulum indictum, 134.
Equestres ludi, 46. & *seq.*
Equi, & muli: his celebrata Consualia, 77. Equorum probatio, 135.
Equiria, 118.
Exquiliae. In his Iunonis Lucinae templum, & lucus, 21. Exquilinus Urbis mons duos complectebatur montes, Oppium, & Cispium, 74.

F

F, Littera pro H, 71. & *seq.*
Facul, & faculter pro facile, 32.
Famul pro famulus, 32.
Fasti a Verrio Flacco ordinati, collocatique Praeneste in hemicyclo, I. & XIX. *not. a.* Illorum reliquiae servatae in aedibus Card. Stuppanii, II. Quo in loco repertae? V. Eorum fragmentum ducentis abhinc annis effossum, XII. Quam sumptuose, & perite iidem Fasti incisi, XII. & XV. Quorum scripturae ratio magnae est auctoritatis, XV. Hi Fasti cuius sint generis? IV. Vulgati, Augusto Imp., IX. & *seq.* Labente saeculo Ecclesiae quarto diffractae eorum marmoreae tabulae, XI. & *seq.* Fasti in marmore descripti hactenus reperti spectant omnes ad Populum Romanum, 117.
Fastigium, XIX.
Felicitatis aedes in Capitolio, & in campo Martio, & in theatro Pompeio, 123. & 127.
Feralia, 117.
Feriatus populus, 25. & *seq.*
Festus restituitur, 35. 38. & 63.
Fidei aedes in Capitolio, & in Palatino, 131.
Fidii Dii aedes, 121.
Florae ludi, 67. & *seq.* Quibus diebus celebrari? *ibid.* & 69. Obsceni, *ibid.* Illorum initium, *ibid.* & *seq.* Nummus Floram exhibens servatus in Museo Vaticano, 68. Rursum de horum ludorum initio, & propagatione, *ibid.* Pares hostiae statutae Florae ac Vestae, 69. Aedis Florae dedicatio, 70. & *seq.* Situs, 71. Flora florescendis rebus praeest, *ibid.* Eius cultum a Sabinis accipiunt Romani, *ibid.*
Fontaninius Iustus, 135.
Fontinalia, 133.
Fordicidia, 55. & 57.
Fortuna brevis quaenam dicebatur? 45. Distinctio illius a Fortuna parva, *ibid.*
Fortuna huiusque diei, 124.
Fortuna publica, 45. & 120. Citerior dicta, *ibid.* Primigenia, 46. & *seq.* 48. & 120.
Fortuna virilis, huius aedis situs, 41. Simulacrum, *ibid.*
Fortunae dubiae vicus, & aedes, 122.
Fortunae reducis ara, 136.
Fratrum Arvalium Acta sub Elagabalo, 127.
Frequenter, scilicet magna frequentia, 40. *seq.* & 44.
Furrinalia, 125.

Gara-

G

GAranus Hercules, 13.
Gellius restitutus, 28. 44. & 64.
Germanicus Caes. Quinquennalis Praenestinus, xiv. Eius dies emortualis, 131. Cineres Romam advecti, *ibid.* Sepulcrum, & filiorum, 132.
Giovenazzius Vitus, 40. & 101.
Graecostasis, 129.
Guasco Eugenius, 130.

H

HArduinus reprehenditur, 8. & 128.
Hercules complures, 13. Herculis invicti, & custodis aedes, 121. 126. & *seq.*
Honori, & Virtuti ludi dicati, 120. & *seq.* Et aedes, 127.
Hordicidia, 55.

I

IAna Novella, 2.
Ianual genus libi, 1.
Ianualis porta Urbis dicta a Iano, 11.
Ianuarius mensis a Iano appellatus, 1. Dies Calendarum Ianuarii novus annus dictus, 3.
Ianus Quirinus, Augusto principe, bis clausus, 10. Appellatus etiam Ianus Geminus, *ibid.* Quandonam apertus, & clausus? 11. Consivus, 129. Iani templum ad theatrum Marcelli, 134
Idaea mater Deûm, 43. Eius ad rivulum Almonem lavatio, *ibid.*
Idus, 11. Idulis ovis, *ibid.* Iduare Etrusca lingua est dividere, *ibid.*
Ieiunium Cereris, 131.
Indiges Sol, 126.
Inmolatio victumarum, 15.
Intercisi dies, 8.
Iovi feriae, 120. 123. & 129.
Iugarius vicus, 120. & 136.
Iulia Augusta Augusto signum dedicat, 61. & *seq.* Livia dicebatur, 62.
Iul. Caesar. Vid. *C. Iulius.*
Iuno Lucina. Huius templum in Exquiliis, 21. Lucus, *ibid.* Aedes ei dicata per Matronas, 22. Puerperiis Iuno praeposita, unde varia ei cognomina, *ibid.* Iunonis amiculum ferula, *ibid.*
Iuno Novella, 2. Moneta, 121.
Iupiter unde dictus Arcanus? 50 & *seq.* Iovis templum in insula Tiberina, 1. Simulacrum eius in gremio Fortunae, 47. Vid. *Vediovis.*
Iuvenalis dies, 136.

K

KLittera redundans, 2. Quas notas significaret? *ibid.* & 9.

L

LActantius illustratur, 83.
Larales ludi, 119.
Larentinalia, al. Larentalia, 80. & *seq.* & 136.
Lares Comitio, vel Coilio potentes, 76. Compitales, *ibid.* & 79. Laribus feriae consecratae, 79.
Lares permarini, 79. Quod essent navibus attributi, *ibid.* Compitales, domestici, viales &c. 80. Praestites, 119. Dicti Lases, 127. & *seq.*
Lauretum in Aventino, 127.
Lectisternium, 77. & 135.
Lemuria, 119.
Liberalia, 118.
Liberalium dies Agonium martiale appellatur, 8. & 118.
Libo. Dies, quo Libo se interfecit, festus, 130.
Libum Ianual, 1. Cereale, *ibid.*
Linoniorum puerorum festus dies, 66.
Lithostroton Syllanum Praeneste in palatio servatum Principum Barberiniorum, 49.
Lituus Romuli, 33.
Livius restitutus, 27.
Lucanus illustratur, 126.
Lucaria, 124.
Lucii Caes. emortualis dies, 128. Quo die cum fratre Caio ab Augusto adoptatus, 121.
Lucilius illustratur, 31.
Luna dicta Iana, 2.
Lunae aedes in Aventino, 37. Simile templo Dianae Ephesiae, *ibid.* Commune templum, *ibid.* Lunae aedes in Graecostasi, 128. & *seq.*
Lutatius communium historiarum scriptor, 33.

M

MAcrobius exponitur, 118.
Mamurius faber, 21. Mamuralia, *ibid.*
Manutius reprehensus, 123.
Marcelli Theatrum. Ibi signum Augusto Imp. dicatum, 61. & *seq.*
Marinae naves in campo Martio confligunt, 17. & 133.
Mars. Marti sacra facta a Saliis mense Martio, 20. Ancilia festa, *ibid.* Mars duello potens, 76. Ultor, 119. Miles, 121. Invictus, 119.
Martiales ludi, 20. & 119. An ultimo horum ludorum diei *Mamuralia* tributum nomen? 21.
Martius mensis ab Latinorum Deo Marte dictus, 19. Anni initium apud Romanos, *ibid.* Romuli ratio in nominando Martio, *ibid.* Vid. *Calendae Martiae.*
Mater Deorum. Eius idolum ex Phrygia advectum Romam, 43. Eiusdem lavatio, *ibid.* Mater Magna appellata, 44. Aedes ei dicata, 53.
Matralia, 121.
Matronales feriae, 22. Matronalia, *ibid.*
Matuta Dea, 121.
Meditrinalia, 133.
Megalensia, 42. & 53.
Mentis aedes, 121.
Mercatus dies, 124. & 135.
Mercurii natalis dies, 120.
Meretricum festus dies, 66.
Mezentius Rex Etruscorum vini mercede Rutulis fert auxilium, 60. Victus a Latinis, *ibid.*
Migale, 43.
Minervae festum Quinquatria, 29. Aedes in Aventino, 30. & 122.
Moneta dicta Iuno, 121.
Montanorum feriae, 74.
Montes dicti Agones, 74.
Morticinum omen, 9. & *seq.*
Mos, vox veluti sacra, 20.
Mutitationes. Vox primum in lucem prodita explicatur, 43. & *seq.* Mutitare apud Ovidium, *ibid.* Ducitur a muto, 44. Mutitationes nobilium cenarum, *ibid.*

N

NEmus Caesarum, 132. & *seq.*
Neptunalia, 124.
Neptunus Equestris dictus Consus, 75. Vid. *Consus.* Neptuni aedes in Circo Flaminio, 135.
Nicostrate Evandri Regis mater, 9.
Nonae quo ritu declaratae, 3.
Norisius, xiii. 126. & 128.

O

OPalia, 136.
Opiconsiva, 129.
Opis ara, 136. Ops Consiva, 129.

Ora-

Oraclum, non autem Oraculum cur Praenestini pronunciabant? 48. Idem fuit ac delubrum Fortunae Primigeniae lactantis Iovem, *ibid.* & *seq.* In eo celebre Lithostroton, 49. Illud ab aede Fortunae distinctum, *ibid.* Vocum: *Oraclum patet* explicatio, *ibid.* & *seq.* Inde dictus Iuppiter Arcanus, *ibid.*
Ovidius restituitur, 32. & 43. Illustratur, 13. 34. & 122. Eius hortorum situs, 64. & *seq.*

P

PAcis ara, 123.
Paganales feriae, 74.
Pales Dea pastorum, 56. Inde Palilia festa, vel Parilia, *ibid.* Ritus eorum agendorum, 57. An antiquiora natali Urbis? 58.
Panes varii, 91. *not. a.*
Panvinius reprehenditur, 34.
Papiae gentis nummus, in quo vox *triumpus*, 128.
Parentalia publica, 83.
Parilia festa, 56. & *seq.*
Pastorum Dea Pales, 56.
Paterculi textus restituitur, 122. Illustratur, 125. & 134.
Pax Augusta. Ei ara dedicata in campo Martio, 17. & *seq.*
Peregrina sacra, 42.
Petrinius Petrus, I.
Pharsalica Iul. Caesaris victoria quo die contigerit? 126. Non fuit cautum, ut ille dies ignoraretur, *ibid.*
Pietatis aedes, 135.
PIUS VI. Pont. Max. laudatus, 127.
Plebeii ludi, 134.
Plinius illustratur, 5.
Pluto dictus Summanus, 122.
Poblicii fratres, 71. Poblicius clivus, *ibid.*
Polluceo, idest offero, consecro, 80.
Pontedera Iulius fallitur, 34.
Pontifex Minimus, 2.
Pontifex Minor, 2. Quo ritu Nonas declararet? 3.
Pontifex Sacrarius, 2.
Pontificales ludi, 25.
Populifugia, 123.
Porrima, 12.
Portunus, Portunalia, 128.
Postverta, Postvorta, 12.
Postumius Iulianus, VII.
Praeneste colonia Romanorum, 47. Deinde municipium, *ibid.* Apud Praenestinos festum Fortunae biduo agebatur, *ibid.* Eorum tutelaris Dea Fortuna Primigenia, *ibid.* Et Iuppiter, *ibid.* & *seq.* Quamnam ob caussam? 48. Apud eosdem Oraclum, *ibid.* Vide *Oraclum*. Forma regiminis Praenestinorum, 52. Apud eos Palatium Caesarum, V. & VIII. Hemicyclus, VI. Vid. *Fasti*. Praenestini natura gloriosi, X.
Praenestinae sortes, 51. & *seq.* Pueri manu mixtae, & eductae, *ibid.*
Praerogativa, 92. *not. d.*
Praesul pro Praesultor, 32.
Primigenia Fortuna tutelaris Dea Praenestinorum, 47., & *seq.* Vid. *Praeneste*. *Oraclum*.
Primigenia Fortuna in colle Quirinali, 46. Primigenia unde dicta? 48.
Prorsa, Prosa, 12.
Puerperiis Iuno praeposita, 22.

Q

Q. R. C. F. notae explicantur, 34. & *seq.*
Querna corona Imp. Caes. Augusto quam ob caussam tributa? 11. & *seq.* In nummis illius expressa, 12.
Quinquatria festum Minervae, 29. & 118. Quinquatrus, quinquatres, *ibid.* Quinquatria Artificum dies, *ibid.* & *seq.*
Quirinalis collis, 46. Dictus Agonalis, 74.
Quirini aedes, 117.
Quirinius Cos., non autem Quirinus, 25. In Vulgata dicitur Cyrinus, *ibid.*
Quirinius, & Valgius Coss., 23. & *seq.*, 69. 70.
Quirinus in colle, Quirinalia, 122.

R

REdemptruare, 31.
Regifugium. Locus Festi de Regifugio restitutus, 35. Quo die Regifugium ageretur? *ibid.* & *seq.* & 117.
Remuria, 119.
Remus Romulo a Verrio praelatus, 82.
Rex dictus, equorum manceps, 77. & *seq.*
Robigalia dicta a Robigo, 63. Robigus Deus, *ibid.* & *seq.* Festum Robigalia, 64. Robigi lucus, & aedes, 65. Sacrificium canis, & ovis, *ibid.* Ludi, *ibid.* & *seq.*
Romani ludi magni, 130.
Romanula Urbis porta, 81.
Romuli lituus appellatur a Verrio clava, 33. Illaesus ab igne repertus, 34. Erat incurvum, & inflexum bacillum, insigne auguratus, *ibid.*
Rubra saxa, 64.
Rufus C. Iul., XIV. M. Petronius, *ibid.*
Rusticus Cn. Pontius, XIV.

S

SAbinae raptae in ludis Consualibus, 75.
Saliares coenae, 21.
Salii sacerdotes Martis, 20. Ab iis Ancilia circumlata, *ibid.* Descriptio eorum, quae Salii faciebant, 21. 30. & *seq.* Eorum curia, & sacrarium, 33. & *seq.*
Salutis aedes, 125. & *seq.*
Sanclementius Henric. Abbas, 102. & 130.
Sanseverinus Franc. Archiep. Panormit., 103.
Saturnalia secunda, 22. Matronarum, *ibid.* & 136.
Saxa Rubra, 64.
Scelerata porta Urbis dicta Carmentalis, 9. Castra, 130.
Septimontia, 74. Dies Septimontium dictus Agonalia, *ibid.* In septem Urbis montibus sacrificia fiebant, *ibid.* Talis dies non erat circa finem Decembris, *ibid.*
Serviliae gentis nummus, 68.
Servius Tullius quo die natus? 38. Eius statua in aede Fortunae Virilis, 41.
Sibyllini, Sibullini libri, 44. & *seq.*
Siculum bellum ab Augusto confectum, 130.
Soli indigeti sacrificium, 126.
Sortes Praenestinae, 51. & *seq.*
Spei aedes, 125.
Stercus ex aede Vestae delatum, 121.
Sterilitas frucum, 72.
Stuppanius Ioh. Franc. Card. laudatus, II. & *seq.* In eius aedibus reliquiae Fastorum Verrii Flacci, *ibid.*
Svetonius illustratur, 25. 119. 127. & 132.
Summanus Deus appellatus Pluto, 122. Eius aedes, *ibid.*
Sutorium atrium, 33.

T

TArquinius Rex non abiit ex Comitio, 35. & *seq.*
Tarvilius amator Accae, 83. & *seq.*
Terminalia, 117.

Thea-

Theatrum marmoreum Pompeii, 127. Dictum templum Veneris, *ibid.* Cui additae minores aedes, *ibid.*
Themis dicta Nicostrate Evandri Regis mater, 9.
Thorenas C., XIV.
Tiberina in insula templum Aesculapii, & Iovis, I. utriusque templi annus dedicationis, *ibid.*
Tiberinalia, 128.
Tiberinus Deus, 135.
Ti. Caesar, X. Cur ei Imperatoris praenomen Verrius non tribuit? 8. Illius triumphi ex Pannoniis dies, 14. In dedicatione aedis Castoris, & Pollucis suum, & Drusi nomen inscripsit, *ibid.* Et in dedicatione aedis Concordiae, *ibid.* Quo die, & quo anno auspicatus fuerit Pontificatum Max.? 28. Signum simul cum Iulia ad Theatrum Marcelli Augusto patri dedicat, 61. *& seq.* semel a Verrio Augustus appellatus, 62. Quo die, & anno togam virilem sumpserit? 63. Eius natalis dies, 135.
Ti. Claudius cognominatus Germanicus, 125. Eius natalis dies, *ibid.*
Toga virilis quo aetatis anno ab adolescentibus sumeretur? 63.
Tribunitiae potestatis initae solemnis dies, 73.
Triumpus, vox in actis Fratrum Arvalium, 127.
Troiani ludi, 66.
Trutta Ioh. Franc., 102. *& seq.*
Tubilustrium, 32. *&* 120. Unde sic appellatum? 33. Cuius caerimoniae arcanae, *ibid.*

V

VAlgii nummus illustratur, 70.
Varronis textus emendatur, 29. 33. 41. 42. 68. 79. 81. 118. 122. *&c.*
Vaticanum Sacrarium, 127.
Vediovis Deus, I. Eius aedes in Urbe duae, 26. Nominis Vediovis significatio, 27. *& seq.*
Velabrum, 81.
Veneralia, 58. *& seqq.*
Veneris Erycinae templa, 66. Victricis aedes, 127. Genitricis, 131.
Venus. Viniri loco Veneri dicebatur, 39.
Vernanus Genius, seu Lar, 133. Eius festus dies, 134.
Verrius Flaccus. Fasti ab eo ordinati, I. *& seq.* Laudatus a Varrone, V. Eius statua Praeneste posita contra hemicyclum, & inscriptio, VI. *&* XVIII. Quis ille fuerit? XVII. Fortasse Philosophus Epicureus, *ibid. &* XX. *not. d.* Vita Verrii Flacci cum notis, XVII. *& seq.* De eodem testimonia, XX. Illius opera, 87. Narrationes historicae, *ibid. & seq.* Verborum significationes, & orthographia, 90. *& seq.*
Vestae hostiae oves, 69. Illius in Palatium translatio, *ibid.* Dedicatio aedis, 70. Vestalia, 121.
Via Claudia, al. Clodia, 64.
Victoriae ara, 129. Ludi, 134.
Victumae inmolantur, 15.
Vinalia, 128. Mensis Aprilis, 58. *& seq.* Et Augusti, *ibid.* Haec dicta Rustica, & Veneralia, *ibid.* Vinaliorum dies Iovis, non autem Veneris, 59. *& seq.* Meretricum festus dies, 66.
Vinum effusum e templo Veneris, 61.
Viscontius Ioh. Bapt., 102.
Vitiosus dies, 12.
Vitulus victima Iovis propria, 52.
Volcanalia, 128. Volcano feriae, 120.
Volturnus, flumen, an ventus? 129. Volturnalia, *ibid.*
Volupia Dea, 79.
Urbis natalicius dies, 58.

Y

Y Littera apud Graecos eadem, quae V apud Latinos, 44.

ROMAE EDITVM PRAESIDVM ADPROBATIONE
TYPIS BENEDICTI FRANCESII
ABSOLVTVM A. D. XVI. CALENDAS MARTIAS
ANNI INTERCALARIS MDCCLXXX
QVA DIE
S S. D. N. P I V S V I
PONTIFEX MAXIMVS EST CREATVS
PONTIFICATVS EIVS QVINQVENNALIBVS PRIMIS SOLVTIS
SECVNDIS SVSCEPTIS
FELICITER

RETRACTATIONES
SCITU PLANE NECESSARIAE.

In prima Tabula Calendarii Praenestini die XV. Ianuarii *dele* vocem HERCVLES, & *pag.* 13. quae in eam vocem commentus sum. In marmore, attrito licet atque corroso, indubitanter legitur: HIC DIES DICITVR INSTITV*tus* . . . . SI FIDENAS EO DIE CEPISSIT. Sufficies autem *pag.* 13. hanc notam. Pluries P. R. Fidenas expugnavit, praecipue vero duabus vicibus Mamerco Aemilio Dictatore, qui vice altera exercitum in expeditionem eduxit *votis nuncupatis*, ut scribit Livius *lib.* IV. §.32. Quamobrem ex Livio probabiliter suppleri posse videtur quod in marmore Praenestino deficit, & distinctius ex Verrio intelligi quod solummodo generatim Livius indicat.

In Calendario Praenestino Calendis Martiis occurrit manca haec vox ALBI . . . . nomen scilicet illius, qui vovit aedem Iunonis Lucinae in Exquiliis. Notavi *pag.* 22. hanc aedem, teste Plinio *lib.* XVI. conditam fuisse A. U. CCCLXXIX. haud tamen mentem subiit, quod Tribunus militum cum potestate Consulari nomine Albinus *al.* Albinius creatus A. U. CCCLXXVI. memoratur a Livio *lib.* VI. §.30. Fortassis hinc eam vocem explere licet.

In Calendario Antiatino cum eius editoribus contra marmoris fidem monitore cl. v. Caietano Marinio omisi hanc notam apponere diei III. Augusti: TI. AVG. INLYRICO VIC., quae quidem maximi momenti est ad dignoscendum tum huiusce victoriae diem, tum cladis Varianae; praetereaque unum, fortasse praecipuum, patefacit ex *multis magnisque* honoribus Tiberio ob eamdem victoriam, ut tradit Svetonius, S. C. decretis. Vide *pag.* 16.

In Calendario Capranicensi die XVII. Augusti rectius leges: PORTVNO AD PONTEM AEMILI. IANO AD THEATRVM MARCELLI.

Die XV. Octobris in Calendario Antiatino notatur: VERN. DIES FEST., & dubitabam *pag.* 133. an legere oporteret VERN*arum*, an vero VERN*ani*, quia in tabula eidem Calendario superposita, qui eam ediderunt, unanimiter testabantur se legisse: AEDIT. VERNANI. Sed laudatus cl. v. marmore consulto deprehendit in ea tabula insculptum certo esse: AEDIT. VERNARVM. Oh, factum bene. Actum est de Vernano.

120.—
666

SPECIAL 91-B
OVERSIZE 10194-1

THE GETTY CENTER
LIBRARY